DISPVTATIONVM LIBRI DVO,

IN QVIBVS CALVMNIAE, ET captiones Ministri anonymi Nemausensis, contra Assertiones Theologicas, & Philosophicas in Academia Turnonia, anno M. D. LXXXII. propositas, discutiuntur:

AVCTORE M. IOANNE HAYO SCOTO Societatis IESV, in eadem Academia Theologiæ Professore, atquè Artium Decano.



LVGDVNI,

APVD IOANNEM PILLEHOTTE.

SVB SIGNO IESV.

M. D. LXXXIIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



NOBILISSIMO

GENEROSISSIMOQ. DOMINO D. IVSTO LVDOVICO TVRNONIO Comiti Roſsilionis, inclyto quinquaginta Cataphractorum equitum Duci, &c.

IOANNES HAYVS S. D.

DIVINAE pietatis monimenta, quæ olim in Chriſtiana Repub. viguerunt (Comes Clariſsime) ad Religionis Catholicæ rationem, ex Chriſti Domini præſcripto ritè colendam neceſſaria quibuſdam in regionibus magna ex parte deiecta, in aliis verò prorſus extincta eſſe, ſine magno doloris ſenſu nequeo cogitare. Sed hoc acerbam huiuſce rei recordationem valde mihi auget, quòd video in Sacrarum literarum tractatione non eã adhiberi mentis, iudiciíque ſubmiſsionem, quam omnes præſtantiſsimi Eccleſiæ Catholicæ Doctores, tanquàm ſingulare fidei conſeruandæ præſidium adhibendam cenſuerunt; Quin potius eò inſolétiæ progreſſum eſt, vt quiuis de plebe homuncio intelligentiæ ſuæ imbecillitate, immenſam diuinæ Maieſtatis vim metiri, diuinúmque numen (quod rerum vniuerſi-

tas capere nō poteſt) mentis ſuæ anguſtiis concludere ſe poſſe arbitretur. Tantæ porrò temeritatis, atque impudentiæ culpa vnde manauerit, nimis longum videretur exponere. Repetenda enim eſſet parum ſanè grata ciuilium diſſenſionum memoria, quas hominum improbitas toto penè Septētrione non multis ab hinc annis excitauit: Magnúmque exiſtimationis periculum ſubeundum, ſi res in clariſsimarum Prouinciarum oculis, atque in auribus omnium Gentium poſitas breui narratione percurrere tentarem. Ac ſi quis etiam triſtiſsimis his noſtris temporibus Eccleſiæ Chriſti ſtatum tibi explicare vellet, laborem planè inutilem ſuſciperet: cùm tu (qui ob literarum ſtudia, quibus te ab ineunte ætate totum addixiſti, & conſecraſti, non huius tantùm tēporis, ſed anteactam omnium ſeculorum memoriam animo es complexus, maximiſque rebus publicè geſtis, cùm primùm per ætatem licuit, nō affuiſti modò, ſed etiam præfuiſti.) Cùm tu, inquam, Comes clariſsime, quicquid his annis proximis vel præclarè à bonis viris geſtum eſt, vel impiè à perditiſsimis hominibus patratum, ita quaſi recens animo inſculptum habeas, vt quod aliis libri, id tibi memoria cumulatè præſtare poſsit. Neque verò dubito quin, ſi tibi ab omni Reipub. procuratione vacare liceret, doctrinæ atque humanitatis ſtudium armorum vſui coæquares, vel etiam anteponeres, cùm ſapientiſsimorum hominum congreſſus vehementer expetas, ſcholarúmque exercitationibus mirificè oblecteris: diſputationum vero ſubtilitatibus ſic capiaris, vt eruditis Academiæ tuæ ſpatiis nihil antiquius habere videaris. Hinc etiam factum maxima ex parte credimus, vt hoc tuum Lycæum Turnonium magna omnis generis nobilitate Diſcipulorum floreat: qui tibi ea, quæ ex doctrinarum palæſtra accipere cupis ſolatia, abundè ſuppeditant: quique magno non tuæ tantùm Viuarenſium Præfecturæ, ſed & aliarum regionum commodo ingenuis, & Chriſtiano homine dignis artibus informati, & quibus ſe contra veritatis hoſtes tueantur armis muniti, quam in primis ſuis ætatulis incorruptam Pietatis, & Sapientiæ puritatem ſemel imbiberunt, nulla hæreſum eis eripere vnquam poterit immanitas. Cùm itaque in hoc laborioſo docendi munere, aliiſque præclaris Scholarum noſtrarum functionibus, in ſumma pace, & tranquillitate

quillitate (qua Dei gratia, tuoque præsidio fruimur) versaremur, & hanc Academiam quisque nostrum (quam ὡς σπάρταν ἐλαχόμεθα) pro totis, vt aiunt, viribus exornare contenderet, ecce tibi præter omnium expectationem cuiusdam Nemausen. Ministri contra Theses nostras Theologicas, ac Philosophicas nobis libellus affertur: quem cùm primùm vidimus, Scriptoris temeritatem, & stuporem satis mirari non potuimus, qui cùm sanctissimos, doctissimosque Patres ne à limine quidem salutârit, & liberalium disciplinarum, linguarumque supellectilem tenuem admodum comparârit sibi, sic tamen nos mendaciis, conuitiisque, ex Caluiniano ludo depromptis onerârit, vt scurræ potius, quàm Theologi partes sibi sumpsisse videatur. Cúmque plerique viri graues (quibus Caluinianæ factionis mores probè perspecti sunt, planéque comperti) vigilantissimo Rectori nostro auctores essent, ne obscuri. personatique hominis futilibus, putidisque ineptiis responderetur: Libellusque ipse (cuius vnicum exemplar habere vnquam potuimus, idque vnius Ioan. Primasij I. C. opera) suppressus omnino videretur. Interim crebri ad nos rumores de illius per multorum ora iactatione deferuntur, frequentibusque Catholicorum literis monemur, ne veritati, nostro silentio, iniuriam aliquam impunè fieri patiamur. Quare ne fortè nostra mora sinistræ aliquid labis Christi Ecclesiæ ab eius aduersariis aspergeretur, amicorum precibus penè quotidianis Rector noster victus, tandem hominis nobis planè incogniti (nomen enim suum apponere ausus non est, Nemausensémque Academiam, quam vocat, Libelli sui auctorem fecit) petulantiam à nobis scripto comprimendam esse iudicauit. Cùm autem inter suos Academicos essent plurimi, qui longè commodius, elegantiusque præfractæ hominis istius temeritati resistere potuissent, mihi tamen hoc ideò muneris potissimùm demandauit: quòd is ego sim, qui cùm totos tres annos sacram Theologiam professus fuerim, & Quæstiones (aduersus quas iste digladiatur) fusè, copioséque in Scholis nostris tractauerim, vnũ me potissimum petere, meoque iugulo gladium intendere, aduersarius ipse putaretur. Quo demum labore singulari Dei benignitate inter domesticas occupationes, & debilitatem stomachi (qua me perpetuò laborare non ignoras) perfunctus,

illum, Comes clarissime, non tanquàm munusculum spontè oblatum tibi consecrare, sed veluti iure debitum offerre decreui. Tu enim is es qui post Illustrissimum illum magnum Franciscum Cardinalem, benignissimum Academiæ nostræ parentem, atquè eximium nobilissimæ vestræ familiæ decus: Post religiosissimum virum Patrem tuum, antiquæ Pietatis & iustitiæ singulare specimē, qui nostram Sodalitatem in hoc amplissimo Musarum Domicilio perhumaniter fouit: Post fortissimum fratrem tuum, Regis Christianissimi apud Pontificem Max. Pium V. oratorem, cuius res præclarè gestæ non in Gallia tantùm, sed etiam in Italia, ipsaque Vrbe Roma celebrantur: Denique post lectissimam, præstantissimámque Heroinam Claudiam Tureniam Matrem tuam, cuius tam multa extant in nos beneficia, Tu inquam, is es, qui Academiæ tuæ patrocinium libenter suscepisti, nostrámque Familiam omni auxilio iuuare nō destitisti, atquè eam, non modò ab externis hostibus, qui ei internecionem moliebantur, defendisti, verùm & aduersus maleuolorum calumnias (quibus semper optimi cuiusque labores patent) sæpe propugnasti. Quare te etiam, atque etiam rogo, Comes clarissime, cùm non sim nescius futurum vt hoc nostrum opus, in varias multorum reprehensiones incurrat, tu pro ea, qua totam Academiam clientelæ tuæ commissam benignitate defendis, hunc etiam laborem nostrum tueri velis: atque in tua splendida Bibliotheca ei locum aliquem esse patiaris, vt si quando animus tuus Reipu. negotiis defessus, Caluinianorum captiones cognoscendi studio teneatur, tu libellum hunc ad manum habeas, sicque Professorū Academiæ tuæ, ac Ministri Nemausi rationum momentis ad veritatis staterā expensis, vtri pro veritate pugnent, iudicare possis. Vale. Turnonij è Gymnasio tuo.

1583.

Lectori

Lectori Christiano S.

QVOD serius, quàm pij, & eruditi viri cupiebant, hic meus labor in lucem exeat, mirari, Christiane Lector desines, vbi quæ, conatibus meis moram & tarditatem attulerunt, intellexeris. Spem enim non exiguam nobis Minister Nemausensis, libello à se in lucem edito, inieccerat, se coram de propositis à nobis Thesibus Theologicis, & Philosophicis, nobiscum disputaturum: Cui vt animos adderemus, easdem Theses Theologicas, secundò typis excudendas, ac maturè Nemausum deferendas curauimus. Verùm homo domi suæ (vbi neminem habet qui resistat) audax: foris verò adeò imbellis, ac timidus, vt primum hostis conspectum ferre non possit, in arenam hactenus descendere non est ausus; sed (vt ignauus miles) quos argumentorum telis confodere non potuit, conuitiis, & maledictis impetere aggressus est. Neque verò satis illi fuit libello vno, nomen nostrum calumniis, & mendaciis lacerasse, quin & Diagramma suum (quo Caluiniana opinionum portenta ad nauseam inculcat) denuo Thesibus nostris obiiceret, victoriam de nobis se reportasse existimans: cùm tamen quid sit cum hoste ad Scholarum morem cōfligere (quantùm ex ipsius nugatoriis captionibus conijcere licet) nunquam didicerit. Nos autem ne vllam haberet nouus iste Theologus excusationis causam, defensioni nostræ ante Michaëlitias disputationes, seriò manum admouendam esse non iudicauimus, ne fortè si scripto captiones suas discuti intellexisset, congredi nobiscum deinceps omnino recusaret. Frequentiores præterea Academiæ nostræ hoc anno habitæ disputationes (quibus pro officij munere, quod in ea sustineo, interesse cogebar) me adeò occupârunt, vt exiguum ad scriptionem mihi temporis spacium suppeteret: præterquàm quòd Theologiam quotidie explicarem. Ad hæc diu multúmque mihi laborandum fuit in reperiendis Auctorum sententiis, quas vt plurimùm peruersè Compilator iste citat. Typographus denique, qui mensem integrum in Libello Quæstionum nostratibus Ministris à me

Quæ causæ huius Respōsionis editionē retardauerint.

proposita

propositarum, excudendo insumpsit, operis huius editionem, ob aduersam valetudinem, non parùm est moratus: Dum enim omni studio contenderem, vt Libellus ille (qui Ministris Nemausensibus, in qua se occupent, materiam suppeditabit) quàm primùm diuulgaretur, omni scriptione abstinui. Huc accesserunt quotidianæ Societatis nostræ non leues occupationes: & valetudo non satis firma, ad graues scribendi labores perferendos. Habes, Christiane Lector, iustissimas meæ in hoc opere diuulgando moræ, & tarditatis excusationes. Reliquum est vt conatibus meis benignè faueas, & si quid minus suauiter à me dictum deprehenderis, tecum ipse cogites, quicum mihi negotium sit. Noui enim quàm sit Caluini & Bezæ Sectator ad omnem maledicendi, & calumniandi licentiam instructus, vt omnem suam, in hoc præclaro studio, ætatem consumpsisse videatur. Cuius quidem rei vt specimen aliquod tibi exhiberem, delegi aliquot Modestiæ ipsius flosculos, quibus, cùm argumenta desunt, ad Societatem nostram, more suo cohonestandam vti voluit, vt primo aspectu, quid de toto ipso opere, in Christiana schola eruditus quiuis sentire debeat, tu ipse facilè perciperes. Te interim rogo, vt me excusatũ habeas, si nonnunquam tibi impolitè loqui videar: Theologus enim, Theologorum Patrum & vocabula non satis vsitata vsurpare, & dictionem ipsam minus elegantem imitari non erubui: cùm dixi confortatas acies, de nouo, inquiens, *& id genus nonnulla, quibus inter alios Hieronymus, Christianus Cicero, interdum vtitur. Quòd si bonam in partem omnia acceperis, quid sentiant teretes delicatorum aures, non admodum curabo.*

Vale.

MODE

MODESTIAE CALVINIANAE FLOSCVLI, EX MODESTA SCILIcet Ministri anonymi Responsione, & Expostulatione excerpti.

RESPONS. Pag. 2.

ASsertiones ἀθεόλογοι ἀφιλόσοφοι.

Pag. 3. Iesumagistæ, Iesuzuvvideri, id est, Christi hostes, Vomicæ, siue Carcinomata generis humani.

Pag. 4. Pseudoprophetæ, Balamitæ, vltimi Antichristi crepitus, Bellorum tubæ, & faces, Sophistæ, Corruptores iuuentutis. Circulatores. Obscuri, & nullius nominis homines. Impudentissima calumnia. Indecorum conuitium.

Pag. 5. Inciuilis vestræ inanitatis, id est, ματαιολογίας ἀπαιδεύτου importuna audacia.

Pag. 8. Insidiosæ propositionum vestrarum ambages. Vernaculæ & vestræ genti peculiares fallaciæ. Assertiones desertæ aut indisertæ.

Pag. 9. ψόγοι non λόγοι, id est, cauilli.

Pag. 15. Vestra illa ἑωλοκρασία, id est, rancidarum nugarum egestio.

Pag. 29. Crassus ille & Capernaiticus communicandi modus. Vernaculæ vobis atque domesticæ artis hîc latent insidiæ.

Pag. 39. Stupida & crassa ἰχθυμυθία, qualem vestrę Scholę pręscribũt.

Pag. 44. Scholæ illæ vestræ Turnonij imperij oppido quàm infelices. Scomma illiberale, & sycophanticum, i. planè Iesuiticum.

Pag. 45. Vobis vt Idolorum, ita hominum vesanum cultum, id est, vt εἰδωλολατρείαν, ita ἀνθρωπολατρείαν planè relinquimus.

Pag. 49. Idola id est Imagines Iouis, Iunonis, Mineruæ, Christi, Mariæ, Petri, Pauli, eodem enim furore, & Christi Domini, & Sanctorum nominibus abutimini.

Pag. 50. Vestra impudentia. Vestra incredibiliter præfracta audacia.

Pag. 52. Nugacissimis mendaciis. Idolorum furores in miserorum populorum animis fouetis. Portentosissimi erroris insaniã adaugetis. Mendacis Versipellisque spiritus veteratoriæ sunt hæ machinæ. Vobis id vnicè pensi est, vt collapsa mendacij rudera instauretis. Picturatæ illæ Imagines quas vestrarum præstigiarum insignia esse vultis. Vestri illius purulenti & veteris carcinomatis fœda est egestio. Verborum strophis miseras hominum conscientias impudenter circumuenitis.

Pag. 53. Malus ille vester εἰδωλομανίας Genius huius distinctionis Auctor. Vestræ illius commentitiæ δουλείας iugum. Totum illud vestrum ὑπερδουλείας cõmentum. ὑπερβλάσφημον esse intelligamus. Tenebricosæ ignorantiæ impudentes blasphemiæ.

Pag.54. In re maximè seria non nugari modò, sed & insanire, & fascinis præstigiisque illudere.

Pag.56. Hæc sunt mysteria vestri illius Verbi non scripti, quibus vel Bacchanalia, aut Fescenninæ lasciuiæ, haud impuriores nugas iactare possent. Ecquid aliud est rabiosè furere, si hoc non est? Portentosæ insaniæ?

Pag.57. Aduersus stupidam, vecordémque hanc insaniam, aut insanam vecordiam, amentémque stuporem. Vos quibus hoc propriũ & peculiare est, vt in Ecclesia peræquè sitis ἰδίῳ ἐποίητε. Rem vestram agitis, quum in Idolorum patrocinio, Veritatis Idolum veritati ipsi opponatis.

Pag.58. Estis vobis semper similes, id est, Versipelles, & Stelliones. Is quippe impostor habetur &c.

Pag.59. Dicimus vos nobiscum agere, veteratoriè & sycophãticè.

Pag.60. Apocalypseos cap.9. Prophetiam de locustis quæ ex vltima abysso prodierunt, vobis propriè Iesuitis conuenire, sine conuitio affirmamus. Superstitiosarum vestrarum Imaginum astipulator.

Pag.61. Vos qua fronte non modò manifestam impietatem in Idololatria stabilienda audetis defendere, ridiculísque verborum tricis Veritatem conspurcare, sed mendacia etiam rabiosis cõuitiis cumulare? Vt iuuentutem fidei vestræ cõmissam *Discatis* nugari, mentiri, conuitiari. Exoletum Idolorum furorem renouatis, conuitia impudenter ingeritis. Iuuẽtutem superstitionis & calumniæ insania imbuitis. De tam fœdo argumento λόγων ἅλις.

Pag.63. In vtraque Quæstione, improbè & sycophanticè, vel si mauultis, imperitè versati estis.

Pag.72. Ecquos Tragelaphos, Centauros, Pegasos, Ecquas Chimæras, Gorgonas, monstrosarúmque aliarum naturarum magis importuna & ridicula commenta, potuit olim Socrates æquius & verius Sophistis obiicere, quàm vestris Magistris Veritatis studiosus lector, & potest & debet. Omnes Vertumni Sophistici pro more vestro facies assumite. Vestræ doctrinæ subiectũ est Nihil. *Vn beau rien entre deux plats.*

Pag.77. Vos hallucinari affirmamus, & Ecclesiæ Veterísque Catholicæ consensum nouis vestris commentis opponimus. Emansorũ atque transfugarum nomina & crimina vobis condonamus.

Pag.78. Hac Μετουσίᾳ nihil monstrosius excogitari potest. Quàm portentosæ Chimeræ, quanta τερατολόγων Tragelaphorum importunitas. Cætera id genus εἰδωλοποιητά.

Pag.81. Peræquè est ὕπουλον & morbidum.

Pag.82. Apage Canabalicos illos, siue Cyclopicos esus vestros, & infandum Idoli genus tandem agnoscatur.

Pag.89. Obscurum esse nõ potest, quàm reuerà sitis vel ψευδοθεόλογοι

vel planè

vel planè ἀθεόλογοι.

Pag.90. Constituimus vos in omni veritate esse εἰδωλοποιητάς, nec minus λογεμπόρους quàm ψυχεμπόρους.

Pag.91. Ita à vobis tractata, vt ἀφιλοσοφώτερον, & infelicius quicquam à quoquam non posit.

Pag.94. Apage symphoniæ vestræ oppido quàm discordis nauseas. Asserimus vos ἀφιλοσόφους & ἀπαιδεύτους esse.

EXPOST. pag. 3.

In hoc prostituti pudoris vestri monumento.

Pag 4. Vestrum alij pugnant aduersus cognitam veritatem: alij ignoratione veritatis inoletum mendacium tuentur: Omnésque certatim in eo elaboratis, vt homines vel in errore detineatis, vel errorem in illis augeatis.

Pag.5. Pro more vestro, conatus nostros veteratoriè eluditis.

Pag.16. Non obliti sumus vos esse Iesuitas, id est, decipularum nectendarum architectos, & in verborum distinctiuncularumque insidiis totam artem vestram occupari. &c.

RESPONS. pag. 97.

Ne in veritate asserenda modestia in nobis meritò desideretur, illud verò nobis prouidendum fuit, an verò in hac scriptiúncula, id præstiterimus piorum & cordatorum iudicium est.

β 2

DE INSCRIPTIONE
LIBELLI MINISTRI.

Minister Caluinum imitatur.

CVM primùm in libelli tui præclaram ἐπιγραφὴν oculos coniecissem, Minister, illius egregij Magistri tui, in libris suis inscribendis non ferenda calliditas, statim mihi in mentem venit. Is enim (vt de institutionibus Christianis, cùm à doctrina Christi penitus abhorreant, deque aliis emētitis librorum eius Inscriptionibus nihil dicam) in Ecclesiæ Lugdunensis Præcētorem, petulantiæ suæ virus euomere volens honorificè hunc in modum est exorsus, *Gratulatio ad venerabilem Presbyterum Dominum Gabrielem de Saconay, Pracentorem Ecclesiæ Lugdunensis, de pulchra, & eleganti præfatione, quam libro Regis Angliæ inscripsit.* Decimo verò versu, ad ganeas, & lustra orationem suam deflexit, ac scurræ deinceps sic partes egit, vt sine horrore, nescio an Christianus vllus legere possit, quæ nouus ille Gebennensium Doctor literis mandauit: Tu etiam in eius Schola ad conuitia petulanter iacienda apprimè instructus, non potuisti sine ementita inscriptione librum tuum incipere. Cæterùm Nemausensem, quam vocas Academiam, Gallia, quod sciam, hactenus non agnouit, sicut neque Gebennensem: Quam Beza, Sectæ vestræ nunc antesignanus, in Epistola sua ad Henricum Huntingtonię in Anglia Comitem ex Lemanno lacu nuper ortam esse somniat. Sed tu quo pacto, quæso, tuas in Assertiones nostras obiectiones, Responsionem vocas? Non videris Aristotelem bonum differendi artificem in libris Topico. legisse, vbi τῶ ἐρωτῶντος, καὶ τῶ ἀποκρινομένου partes his verbis explicat, ἔστι δὲ τὸ μὲν ἐρωτῶντος τὸ οὕτως μεταγαγεῖν τὸν λόγον, ὥστε πεῖσαι τὸν ἀποκρινόμενον τὰ ἀδοξότατα λέγειν ἐκ τῶν διὰ τὴν θέσιν ἀναγκαίων. τοῦ δ᾽ ἀποκρινομένου, τὸ μὴ δι᾽ αὐτὸ φαίνεσθαι συμβαίνειν τὸ ἀδύνατον ἢ τὸ παράδοξον ἀλλὰ διὰ τὴν θέσιν. Quæ si vera sunt, vt sunt, nonne te ἐρωτῶντα esse, nos autem ἀποκρινόντας vides? sicque tuas obiectiones non ἀπόκρισιν .i. responsionem, sed ἐρώτημα, hoc est interrogationem debere nominari?

Caluinistæ pro libidine Academias suas instituunt.

Ministri libellus malè inscribitur. Responsio.

Aristot. li. 8. Top. c. 3.

In Præfationem eiusdem.

PVlchrè sanè libellum tuum ordiris, qui nostra opera, atque industria ad Academiam vestram, nobis planè incognitam, Theses nostras fuisse delatas scribis: Nemausi, sicut & alibi, vt illæ diuulgarentur, Academiæ nostræ Rectorem pro Tabellariorum opportunitate oblata, curasse non inficiamur. Quòd autem in illo versiculo, quem dicis, de Academia vestra nulla facta fuerit mentio, certò affirmamus. Cæterum si nostram probri loco, Cardinalitiam appellas, te virtutis hostem non obscurè profiteris: Improbus quippe est, qui præclarum hoc iuuandæ patriæ in Academia fundanda amplissimi

Cardinalis

Cardinalis Turnonij studium improbabit. Quod si Academiæ, Regiæ habentur, quæ Regia sunt auctoritate fundatæ, certè Academia nostra Regia est: nam diploma Regiũ penes nos habemus, quo omnia priuilegia, quibus reliquæ in Galliarum Regno Academiæ gaudent, Rex Christianissimus liberaliter huic nostræ concessit. Nemausense verò Collegium, regia quidem munificentia iam sustentari fatemur, at ideo negamus Academiam dici: Imò verò fidenter asserimus, nullo vos iure Collegij istius gubernacula tenere: sed per vim, & summam iniuriam Episcopo Nemausensi, & Canonicis ipsum ademisse. Quod postea subiungis, de *picturatis* nostrarum Theseωn *stemmatis*, prodit tibi esse religioni IESV nomen intueri, qui tamen Lutheri Zuinglij, & aliorum Hæresiarcharum imagines summis in delicijs habes, & in Sacrarium, cum Beza Magistro tuo, diligenter reponendas (vt suo loco docebo) iudicas. Turnoniæ familiæ stemmata, fortassis propterea derides, quòd Turnonij Domini Christianæ religionis perpetui cultores, contra pietatis, patriæque hostes strenuè semper dimicarint, atque vt auitam tuerentur religionem, nullum vnquam vitæ periculum recusarint. Quòd si tibi homini nouo maiores tui stemmata nulla reliquerunt, non propterea in illo responsionis tuæ *frontispicio* Nobilitatem, tua tam modesta, & eleganti oratione exagitare debuisses, hoc præsertim tempore, quo plebis factiones in Nobiles ab improbis hominibus excitatæ, nondum sint omnino sublatæ, ne fortè te Auctore eas superioribus annis cœpisse, quis meritò suspicetur. Ac tu omnium primus somniasti potius quàm scripsisti, stemmata in *frontispicio* posita, doctrinæ esse demonstrationes, atque emblemata. Vide ne cùm tuo *frontispicio* pudorem omnem amiseris. Euanuisse verò tibi terrorem perlectis Assertionibus nemo credet, cùm his latebris, Caluinianam tuam animositatem occultari hactenus volueris, ex quibus ignauiæ tuæ in nos fulmina miserè iacere tibi visum est, ne si in iustum certamen descendisses scholasticis telis confossus, temeritatis perpetuum esses ad omnem posteritatem exemplum. Assertiones deinde nostras (quæ tua est Caluiniana modestia) *tantillas* appellas *copias*: Verùm & hac in re te ignauum, & socordem esse Caluinistarũ ducem prodis, cùm nugarum, & captionum tuarum maximæ acies, *tantillas*, vt tu loqueris, *copias* ne tantillùm quidem cõmouere potuerint. Vt verò te in historiis versatum probares, inscitè, & parum sanè appositè tuas faces ad boum cornua alligatas, & Iudicra tua nobis hoc loco obtrudis. Si nunc primùm Turnoni Theses sanctissimo Iesu nomine, & Mecenatis nostri exornatæ stemmatis in publicam fuissent disputationem propositæ, ignorantiæ tuæ facilè ignouissem: At cùm te videam vndique conquirere, quæ librum tuum augere queant, non possum nõ te fraternè monere, vt reconditam istã tuam historiæ scientiam, in tempus magis opportunum reserues: Aut certè nos, quæ sit no-

Academia Turnonia Regia est.

Coll. Nemaus. nõ debet dici Academia.

Minister nomen Iesu & stemmata Turnonia irridet.

Ministri barbaralexis.

Ministri calumnia.

minis Iesu,& amplissimi Mecenatis nostri stématum,cũ facibus boũ cornibus alligatis,& ludicris tuis carduis affinitas (ne in posterum ineptus ab omnibus ludius habearis) perspicuè doceas. Quantùm verò Annibalis Pœni perfidiam in te,tuisque residere orbi testatum reliquisti; tantùm nos, Caluinista, honori ducimus à te comparari prę stantissimis illis Parisiensibus, qui semper in Deum & Regem singulari fide excelluerunt. Vos autem Burgundionibus , tunc regni Galliæ perduellibus, Regisque hostibus infensissimis dum similes fuisse refers, vos perduellionis simul, regiæque Maiestatis inimicos egregia illa tuæ πολυϊστορίας ostentatione conuincis. Famosi porrò , iudicio tuo, sunt libelli, Minister modestissime, grauissima , quæ Assertionibus nostris sumus complexi fidei Christianæ dogmata: Quę omnibus vestris lituris (licet in sutorium atramentum Lacum Lemanum conuerteretis) deleri nunquam poterunt : Et cùm armis , ac castris ne vnum quidem hactenus Christianæ fidei iota deleri potuerit, ridiculus (vt leuissime dicam) nunc es , qui machina patientiæ & silentij (à quibus Factio vestra semper abhorruit) veritatem sic opprimi potuisse, vt in auras euanesceret , existimasti. Ais postmodum tibi pacis tempus esse optatissimum, atque ad omnem dissidij rumusculum perhorrescere. Quod verum esse facile crederem , si omnium primi in acie Caluini ministri confligere cogerentur : At vbi post principium , vt inquit ille , vos in tuto positi hostem (quem nunquam oculis vidistis) maledictis & conuitiis laceratis , in animum certè inducere non possum , vos pacem optare. Adhæc, cur nos, obsecro, nullum hostem in Occitania vidisse dicis, cum in ipsomet Nemauso, Sedenæ, Diæ, Vcræ, Annonæi, Vernuuti, Bossiuti , Possini, Soyoni, Chelari, & alibi, Io. Serranum, Cumbanum , Casbonum, Vinc. Pisam, Mercerium, Galiardum, Chetrerium, aliósque eiusdem farinæ Ministros , Socij nostri sæpè vel ad disputandum inuitarint, vel in disputatione vicerint, vt testes sunt integræ ciuitates. Iam nobis, si audes, exprobra, quod nullo viso hoste in Occitania triumphemus. Atque inde fortè euenit, vt diceres, bellum aduersus veritatem tantopere nobis arridere, cùm nihil antiquius habeamus, quàm eandem veritatem contra Caluini Asseclas , aliósque omnes pro virili tueri. Obiice nobis interim falsò quantum voles Cothurnatã ignorantiam , & Sophisticam Philosophiam : Nos Christianæ doctrinæ & veræ Philosophiæ iusti possessores , ab ea , quam à Maioribus accepimus, veritatis possessione , à vobis nouis hominibus , & ante Caluinum mundo incognitis, nulla nos ratione deturbari patiemur. Iustam te certaminis ex animo occasionem expetere , nobis nunquã Minister, persuadebis, cùm toties oblatam Symmystæ tui semper recusarint, & ego Academiæ Turnoniæ nomine protestor, nos semper esse ad fidei nostræ vobis rationem reddendam paratos , vtque nobiscum congrediamini in optatis habere. Nos tamen nullam tibi Minister,

Minister Annibalis perfidi se similem significauit.

Minister nõ est amator pacis.

Professores Turnonij cũ quibus Ministris disputarint, aut disputare voluerint.

Professor. Turnon. ad disputandũ parati.

Minister, vt ais, imposuimus respondendi necessitatem. Improbari quidem possunt argumentis Assertiones: Quòd verò Thesibus vllus responderit, nescio an vspiam scriptum legeris. Theses autem nostræ non minus in Catholicis vrbibus, quæ Christianissimo Regi parent, fuerunt diuulgatæ, quàm Nemausi, vbi regnatis. Dic, quæso, num Catholicas ciuitates (ad quas Assertiones nostras misimus) vt nobiscum de fidei nostræ decretis certarent, prouocauerimus? Misimus, verbi gratia, Anitium, vbi & Collegium est, Professorum & Discipulorum numero florens, non tamen propterea de nobis Anitienses conquesti sunt. Omnibus, qui in Academiis doctrinæ sunt adepti lauream, in Academia Turnonia fit disputandi potestas, exteris præsertim, imò & Caluinianis, qui nullum sunt Academicum honorem consecuti. Thesibus, librorum (quos Doctores nostri in singulos annos explicant) Catalogus adiungitur, vt de libris sibi prospiciant, qui in nostram se tradere disciplinam cõstituerunt: Quamobrem summa ratione Academiæ nostræ Rector, vt passim diuulgentur, quàm diligentissimè prouidere solet. Non erat igitur quòd nos famosorum libellorum Auctores appellares, cùm nihil in Assertionibus nostris, quod de vllius fama detrahat, scriptũ reperiatur. Quis fuerit Caluinus, & quam viuendi rationem Beza Coryphæus vester secutus sit, nemini obscurum esse potest. Sperare verò tibi licet quæcunque animo, cogitationéque complexus es, at scias spem tuam inanem fore. Sic enim apud omnium ordinum homines, Secta vestra iam flagrat inuidia, vt tota tua oratio; quid, inquam, tua? imò omnium Caluinistarum, quotquot extant libri, pessimã, quam de vobis omnes, & meritò, cõceperunt opinionem, extinguere nulla ratione valeant. Paulò pòst, pernegas Theses nostras & Theologicas & Philosophicas esse: Vereor ne fraus aliqua cõiunctionis (&) repetitioni subsit. Si easdem Theses, & Theologicas & Philosophicas esse negas: age cum tuis Sodalibus, qui omnem in docendo ordinem, Theologiam cum Philosophia commiscentes, perturbant. Conuitium (tuo iudicio) Academiæ nostræ non facis, cùm Assertiones nostras ineruditas, & inscitas esse petulanter, pro tua modestia, scribis. Vbi ad rem ventum fuerit, qui nunc pij, eruditi, sobriique Lectoris iudicium expetis, solum Deum (vt alio loco à te factum est) veritatis esse iudicem vltro fateberis. Ad quid verò Minister, in orationis tuæ vestibulo, de pacis vtilitate, tam eleganter egisti? Quis in hoc florentissimo Gallię regno, tot nuper tragœdias excitarit nullus ignorat. De tumultibus quidẽ Scoticis si loquendi tempus esset, verè dicerem Caluini Ministros Scoticam Nobilitatẽ adeò excæcasse, vt præceps ad omnem impietatem ruerit. At de his satis, ne tuam digrediendi consuetudinem æmulari videar, qui extra rem curiosè nimis de huius regni statu dissersis, cùm tua curare deberes: Ciuitatis quidem Nemausensis voluntas, fides, & diligentia ad pacem

Minister ἄγνοιας λίθου notatur.

Cur theses huc, & illuc mittãtur ab Academiæ Rectore.

Pag. 42.

Origo tumultus Gallici.

Nemausensium fides.

ad pacem seruandam nobis satis perspecta est, exeant solùm μετὰ τῶν μαχίμων Ministri, nullàque de seruandis Regis Edictis in posterum erit Nemausi contentio. Interim, viri nostrum præposteræ cupiditatis œstro perciti Regiæ Maiestatis auctoritatem violent, non solùm seditiosarum cócionum facibus, sed etiam libellis perniciosis ad discordiæ ciuilis incendium concitent, æquis iudicibus relinquo definiendum. Hoc tamé vnum ex te scire vellem, cur tu (qui disertis Edictorũ regiorũ verbis cautum esse refers, ne quis inuidiosa factionum vocabula in priuatis etiam colloquiis vsurpet) Regia Edicta ita cótemnas, vt in hoc præclaro tuo scripto omnes propè paginæ probrorum in nos, conuitiorúmque plenæ reperiantur? ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις. Nulla poriò in Thesibus nostris sunt probra, nudam veritatem simplicibus sumus verbis complexi: Tu ipse insignis es calumniator, qui asseris vos à nobis Hæreticos, sicarios, perditos, pietatis hostes appellari: nulla enim de vobis ibi facta est mentio. Christianæ quidem religionis perfugas, Hæreticos esse scripsimus, & denuò profitemur: neque hac in re edicto Regio aduersamur: Si Hæreticus es, tu ipse videris. Quod ad Sicarios attinet, diximus Bezam, nuper Husitarum, Lutheranorum, & ex aliis Sectis sicariorum Imagines typis Geneuæ vt excuderentur curasse: de Caluini Ministris, ne γρῦ quidem. Quid nunc respondebis doctè Caluinista? An Academia Turnonia vos sicarios, perditos, & pietatis hostes appellauit? Noli in nos per summam iniuriam, populi odiũ concitare: Nos Edictis Regiis paremus. Imò verò neque Caluini Ministros, quamuis summo iure nobiscum ageres, in Assertionibus nostris, Hæreticos appellauimus: Verba primæ Thesis sunt, *Vt mirum sit nostri temporis Hæreticos &c.* Si soli Caluini Ministri in Hæreticis numerandi sunt, Academiam nostram violati Edicti ream ingenuè fatebor. Beza præterea mortuorum tantùm Imaginibus Sacrarium (sic librum suum inscribit) exornat. Vos autem Ministri Nemausenses, nondum è viuis excessistis: cur ergo vultis in sicariis numerari? Quòd si in sanctos Caluini discipulos Academia Turnonia aliquam probri iniuriam intulit, cur vobis sæpè flagitantibus, Senatus regius dicam nobis nõn scripsit? Sicariorum, & perditorũ hominum imagines in Bezæ Sacrario reperiri, si negaueris, te vanitatis facilè conuincam. De Vvitclefo (quem Beza in Sacrarij sui *frontispicio* tanquam ducem, multis laudibus ornat, cùm hominis imaginem, vt tu loqueris, nõ scripserit) nullus esset scribendi finis; tot enim opinionum portenta euomuit, quot vix alius ante ipsum. Ac ne diuinare tibi, & non rem certam memorare videar, testis huius rei erit vir doctissimus Thomas Vvaldensis, qui multis libris Vvitclefistarum errores diligentissimè refutauit: *Hoc nouerit sanctitas tua* (inquit ille) *quòd citra Priscillianistas Hæreticos, nullus tot antiquorum hæreses reuocauit in orbem: nullus tot Philosophorũ anilium*

Rom. 2. 21.

In thesibus Turnoniis ne verbum quidem de Caluinistis.

VVicleſi hæreses quam plurimæ.

In prologo doctrinalis priscæ fidei

lium repullulare fecit errores,tot probat,tot sustinet iam sopitos. Ariana superstitio vix tribus,aut quatuor hæresibus capitalibus totam concitauit Ecclesiam: Nestoriana item paucis: Pelagiana, Iouiniana, & cætera tales exorta paruo numero quamuis nimio,sua dogmata terminabant.Hic autem quasi abyssus dedit vocem suam, in vero iudicio de obliteratis vetustorum erroribus, sibi præripit octingentos. Hunc Vuitclefum Christianæ religionis hostem,Beza martyré fuisse somniat, quem tamen constat mortem ob hæreses suas non sustinuisse, hísque illum compellat vocibus. *Supererat tanto Athleta martyrÿ corona,quam viuo frustra expetitam quadragesimo demum post mortem anno,crematis ossibus tuis es adeptus.* Nouum martyrij genus in Bezana officina excogitatum, quia scilicet Vuiclefi ossa cremata fuêre,propterea martyr fuit Vuiclef,ossa in Martyrum vestrorũ Sacrario reponenda erant,non auté ipse Vuitclef,qui pro pietate non occubuit. Quòd si Vuitclefum, Hæreticum fuisse negaueris, te ab hæreseos crimine non poteris excusare. Nam omnes illius errores pro sacrosanctis Christianæ religionis oraculis suspicere cogeris: Quòd si Hæreticus fuit, ergo & homo perditus,& pietatis hostis. Sicarius etiam fuisse facilè conuincitur,quòd tam multi ex eius ludo sicarij exierint, vt Anglorum & Bohæmorum testantur historiæ. Vnum superest tibi perfugium,in Sacrario Bezæ non inueniri eius idolum. At non defuit Bezæ voluntas illius cum cæteris reponendi, si alicunde habere potuisset, vt ipse ingenuè fatetur. Quòd auté Ioannis Husi Imagini Bezæ in Sacrario suo locum dederit,qui Bezam nouit,mirari profectò non desinet, quòd Husitæ, tanquam iuratos Christianæ religionis hostes, Caluinianos omnes detestentur. Ac certè testari ipse possum,cùm Bohæmiam peragrârim,multis in rebus à vobis Husitas dissentire. Sacerdotes enim nullos admittunt,qui à Catholicis Episcopis (cùm ipsi Episcopos nullos habeant) ad rem diuinam faciendam ritè non fuerint consecrati. Sanctorum inuocationem retinent, imaginibus debitum cultum tribuunt:Qui denique fortè eorum delubrum ingrederetur, cùm altaria,& Imagines ad Ecclesiæ Catholicæ morem passim cerneret, se in templo Catholicorum esse existimaret. At enim germani fratres sunt Caluinistarum, quotquot Ecclesiæ Christi bellum indixerunt. Ergo cùm Beza Ioannem Hus martyrem faciat, si Husitas imitari vultis,suscipite in Germaniam peregrinationẽ,vt martyrem vestrum vos verè colere omnes intelligãt;Tignarij enim carceris, quo seruabatur Hus,Constantię etiam nũc reliquię ab Husitis magno in honore habentur.

Vvitclefus est Bezæ Martyr.

Sicarius fuit.

Ioan. Huss.

Husitæ à Caluinianis differunt.

Neque etiam negare poteris,(si Caluini dogmata vera, & Christiana esse credis) quin Martinus Lutherus hæreticus fuerit: Is enim (vt infra* dicemus)Sacramẽtarios omnes hæreseos teneri scelere,nô obscurè professus est.Illum verò Sicarium fuisse tota Germania testa-

Mart. Lutherus Caluinistas vocat hereticos.

* Pag. 18. & 19.

Vide Surium in comment. rerum in orbe gestarum.

tur. Eius enim studio, & labore Germaniæ Principes bellum crudele, & exitiosum contra Imperatorem Carolum V. susceperunt: Eiusq; pestiferis suasionibus permoti fuerunt Rustici, vt contra Clerum, & Nobilitatem arma sumerent: sed iusto Dei iudicio temeritatis suæ pœnas dedit, cùm breui temporis spatio, centum Rusticanorum hominum millia in Germania miserè, à Nobilibus concisa, interierint. Habes, Bezane patrone, duos Hæreticos, sicarios, & homines perditos, ac pietatis hostes, qui in Caluini castris contra Christi Ecclesiam non militarũt, ne dicas Academiam Turnoniam regium Edictum violasse, quasi integerrimos scilicet Caluini discipulos maledictis laceraris. Quid de Zuinglio dices, qui Heluetios constantiæ, & fortitudinis laude in primis claros, vt intestinis bellis se conficerent adegit? Et quamuis sicam vibrans iustam scelerum suorum pœnam persoluerit: Beza tamen in Diuorum numerum eum aggregat, scribens, *Zuinglium, in castris ministerio suo fungentem, hostilis manu cæsum cremauit, vt serui sui obitum, Deus duplici dedecore coronaret.* Nega, si audes, Zuinglium sicarium, hæreticum, hominem perditum, & pietatis fuisse hostem, atque impietatis te suscepisse patrocinium conuincemus. Martinum quoque Bucerum, & Paulum Fagium Lutheranos homines ad Reipub. Christianæ perniciem natos martyrij palmam post mortem tulisse idem Beza fingit, vt ipsorum Idola meritò in Sacrario à se collocata probaret. Idola verò paucorum, qui ex Caluini schola, tãquam ex equo Troiano, videlicet, prodierunt, in Sacrarium illud reposita videmus, vt mirum sit te Caluini Discipulum, tam strenuè pro hostium tuorum honore decertare. Atque vt à Sacrario Bezæ ad tuas ineptias redeamus: Tuam deinde personatam modestiam multis verbis, sed frustra, conaris persuadere. Doctrinæ vestræ (quam Apostolicam, & Catholicam esse dicis) errorem vt ostendamus, postulas: Quod sanè ex animo tum scriptis, tum sermonibus nostris hactenus præstitimus, & vbicunque sese offeret occasio, nos præstituros pollicemur, eo quidem spiritu, qui veritatẽ decet, id est, lenitatis, & modestiæ. Vtri verò nostrûm sint Hæretici, Ecclesiæ Catholicæ iudicandum relinquimus: Quæ Caluinianam doctrinam iampridem hæreseos nomine condemnauit: neque hac de re homini Christiano licet dubitare. De rebus autem fidei, concertationes iudicamus suscipiendas esse, vel vt iis qui iniquam tuentur causam error, disputationis subtilitate eripiatur: vel certè vt tam vtili exercitatione assuefacti, fidei nostræ Decreta cõtra hominum improbitatem, (vbi opus fuerit) facilius tueri possimus. Tu dum æquos iudices, & legitimum disputandi modum quæris, inertiæ, & ignauiæ tuæ non obscuram nobis iniicis suspicionem. Iudicent Auditores, seruentur præscriptæ ab Aristotele, in Christianis Academiis longo iam vsu approbatæ disputationum leges, & nobiscum (si tibi animus est) in aliqua Academia congredere: Tibique *Christianæ religionis veritatem ex Christi Verbo* contra Caluinianas

Zuinglius sicarius cuius crudele dictum fuit *Euangelium sitire sanguinem. vide Hos. in cẽsur. de Ador. Trinit.*

M. Bucerus.

Sacrarium Bezæ dicitur vt 3. Æneid. *Auri sacra fames.*

Disputationes ad quid instituantur.

ταχιδοξίας perſpicuè (Deo iuuante) probabimus. Tu enim in Caluini, & Bezæ ſchola ad malè ſentiendum, & dicendum diligenter admodum educatus, ὡς ἐκ τῆς ἁμάξης loqueris, (vt trito fertur veteris Comœdiæ prouerbio) atque adeò impotenter inueheris, vt quid dicas nihil penſi habere videaris. Nam quid tibi vis Græcule, per tuum *Ieſumagiſtas*? (vt reliqua taceam) quod neque Græcè, neque Latinè, neque etiam Germanicè quicquam aliud ſignificat, niſi te non ſatis, præ ira, mentis compotem fuiſſe, cùm hæc in nos emoueres. Hæccine eſt Caluiniana modeſtia? Vbi nunc eſt Regij Edicti auctoritas? Rhetorico artificio Caluinianam tuam ſcio innocentiam tueberis, qui ex intimis Rhetorum præceptis, quibus *Prædicantium* indies reſonant ſuggeſta, in nos probris librum tuum accuratè ſanè refercisti. Hæc tua ſunt, Miniſter, maiore ex parte in nos excogitata elogia, quæ ſingularem veſtram modeſtiam, Caluini Miniſtro dignam prodiderunt: Quare neglectam à te patiériæ, & ſilentij machinam, procacitati tuæ in præſens obiiciam, ne tecum videar debacchari. Quiſnam porrò ſit Beza, & quam à teneris annis viuendi rationem ſecutus, nõ eſt quod pluribus explicem, cùm fœdiſsima ipſius poëmatia Catulli, Propertij, Tibulli, Martialis obſcœnitatem redolentia illud ipſum ſatis, ſuperque teſtentur. Quòd ſi hæc tibi non ſufficiant ad mores eius perfectè intelligendos, legere poteris eiuſdem Bezæ Epiſtolam ad Meliorem Volmarium Rufum: & aliam ad Andream Dudicium Apoſtatam: vt ſileam, quæ de eius vita ſcripſit Hieronymus Bolſecus Doctor Medicus (qui cum eo familiariter vixit) & Doctores Theologi Claudius Sainctesius Epiſcopus Ebroicenſis in Apologia examinis, ac Gilbertus Genebrardus, Hebraicarum litterarum Profeſſor Regius in Chronologia ſua, atq; in Præfatione in Pſalmos: Vt nihil de Lutheranis dicã, qui eum viuis ſuis coloribus depinxerunt. Stringar igitur ille quantùm volet, in nos ſuos archilochios iambos, & noſtra proſcindat nomina, cùm ab improbis vituperari maximam eſſe laudem ſemper duxerimus. Neque verò graue nobis aut moleſtũ videri debet, cùm ille ipſe ſapientiſsimo Cardinali Turnonio, acerrimo fidei Catholicæ propugnatori, Patrique Patriæ optimo nequaquam pepercerit, tali in eum ludens Tetraſticho,

Indoctus doctos paſcis Turnone: beatus,
Si tam animo ſaperes, quàm tibi menſa ſapit.
Euge tamen, Muſa, veſtras alere improbus artes
Quum detrectet honos, ſi modo paſcat ὄνος.

Quod quidem cùm multas contineat calumnias, tum illa nobis cenſetur atrociſsima tanti viri ſplendori illata iniuria, qua eum (dum παρονομασίαν Græculus affectat) ὄνον nominauit: Quem tamen non ſolùm experientia prudentiſsimum, ſed diuinarum etiam, atque humanarum rerum cognitione ſapientiſsimum fuiſſe ex hiſtoriis, Scriptoribúſque ætatis noſtræ celeberrimis perſpicuum euadit: Vtque

Miniſter ex plauſtro loquitur.

Miniſter contumelioſus.

Bezæ mores ex quibus intelligãtur.

a Lib. epigr. pag. 164. excu. Geneuæ ann. 1576.

Beza Illuſt. Card. Turnoniũ atrociter calumniatur.

permultos silentio prætercam, qui ei singularem cùm doctrinæ, tum Sapientiæ laudem tribuerunt, vnus omnium instar nobis erit Dionysius Lambinus, Græcarum literarum Professor Regius, eiusdémque Cardinalis alumnus, & familiaris in Epistola, qua ei sua in Horatium Commentaria dedicauit, *eum singulari sua prudentia & sapiētia pacis inter maximos Principes auctorem extitisse*, scribit. *Cúmque Romana sedes Pauli quarti obitu vacaret, etiam aduersariorum suorum suffragiis, Pontificem Maximum designatum fuisse* cōmemorat. Quòd si ad eius sapientiam comprobandam hoc, alioqui certissimum, argumentum vobis non satisfacit, audi quid in altera dicat Epistola, quam libris Aristotelis de moribus, à se Latinitate donatis ad eundē præposuit. *Hoc tantùm dicam*, inquit, *illud mihi in te videri summa laude, atque admiratione dignissimum, te hominem maximis Reipubl. curis districtum, plurimis, ac grauissimis occupationibus distentum, ita non intermittere studia doctrinæ, vt quotidie horas aliquot ad libros veterum vel legendos, vel animo tuo rerum ciuilium cura suspenso, ac defatigato audiendos tibi separes. Quod vt minore negotio, & maiore cū animi oblectatione efficere queas, curasti vt domi tuæ viros haberes, omnium ingenuarum artium laude præstantes, quibuscum de literis, de numerorum, ac magnitudinum proportionibus, ac mensuris, de sonorum ac vocum distinctionibus, & interuallis, de rebus occultis, & ab ipsa natura inuolutis, de variis Poetarum generibus, de optima dicendi figura, de iure ciuili, de rebus diuinis communicare, & sermones conferre posses.* Hæccine qui agit Minister, nomine τοῦ ὄνου ab obscœno Poëta meruit appellari? Nam si verum est, quod ait Aristoteles, Heracliti dictum vsurpans ὄνους σύρματ᾽ ἂν ἑλέσθαι μᾶλλον ἢ χρυσόν, ἥδιον γὰρ χρυσοῦ τροφὴ ὄνοις, quomodo his delectabatur doctorum virorum verè aureis sermonibus, si ὄνος, quemadmodum Beza improbè calumniatur, vt vel hac ratione se vindicet, quòd idem Cardinalis pro sua singulari in Christianam religionem pietate, atque non vulgari doctrina in conuentu Pisiaco præsidens, confessionem Besanam tantopere sit auersatus. Sed audi præterea quid apud Lambinum postea sequatur. *Neque verò nunc primùm istud facere instituisti, sed quo tempore tibi per occupationes tuas studio doctrinæ & literarum dare operam non licebat, cùm Hispanienses, Italicas, Britannicas legationes obibas, cùm totius Regni Gallici clauum tenebas, gubernaculáque tractabas. Cùm in mediis curarum ciuilium vndis, negotiorúmque publicorum fluctibus versabaris, eo tempore doctissimorum virorum comitatu stipatus iter faciebas, equitabas, nauigabas, diuersabare.* Et post nonnulla: *Sed ego, quoniam me quoque in tuorum numerum aggregare voluisti, cùm tu superioribus annis (vt memoria tenes) Aristotelis libros decem de moribus ad Nicomachum Græcos partim legeres, partim me legente regustares, ac recognosceres, vnáque ad iuberes Latinos quosdam interpretes, ex quibus alij tibi inquinatè loqui, alij non satis fideliter Aristotelis sententiam*

Card. Turn. pro sapiētia sua Principes inter se cōciliat, Pontifexque max. designatur.

Card. Turn. quibus studiis oblectaretur.

Arist. lib. 10. Ethic. ad Nicom. c. 5.

Legationes obit in Hispaniā, Italiā, & Angliā pro rex Galliæ Frācisco 1. ab Hispanis capto.

ſententiam interpretari viderentur, atque ob eam cauſam iuſsiſſes me operam dare vt hos libros tibi in Latinam linguam conuerterem, &c. Vidéſne quàm falsò tuus Beza in ſuis vaniſsimis Epigrammatis ſapientiſsimum virum traduxerit? Cui ſi linguæ Græcę, Latinæq́ue cognitio defuiſſet, nunquam ea quæ Lambinus refert potuiſſet efficere. *Digeſt. de quæſtionib. l. de minore. §. Nec debet.* Sed ne fortè dicas Ius vetare de domo Rei teſtem ſumere, audi quid Orator, ſimulq́ue Philoſophus noſtro ſeculo pręſtantiſsimus, necnon Poëta ſuauiſsimus M. Ant. Muretus de eodem ampliſsimo Cardinali cecinerit,

Mureti Epigra. de Card. Turn. ante Moralia Ariſto. à Lamb. Latinitate donata.

Turnoni antiquæ ſpirans virtutis imago,
Quo ſtupet hæc ætas, quóque beata tumet. &c.
Vt tua cùm ſerì repetent monimenta Nepotes,
Si, dederint cælum quæ tibi facta, rogent:
Poſt alias laudes quas bello, & pace paraſti,
Conſilio moderans tempus vtrumque pari:
Quot quas fudit opes pleno tibi copia cornu
Aſsiduè doctos fouerit his & viros:
Pectore & ingenuas conſtanti adamaueris artes,
Adiiciet titulis hoc quoque fama tuis.

Atque hæc duorum doctiſsimorum hominum teſtimonia proferenda iudicauimus, tum vt optimi, & ſapientiſsimi Academiæ noſtræ Parentis famam à Bezæ conuitiis liberaremus: tum vt qua fide dignus ſit, quóque ſpiritu aduerſus fortiſsimos Catholicæ fidei propugnatores impellatur, omnibus eſſet exploratum. Quamobrem non eſt quod admodum curemus ſi contra nos Beza Iambos ſtringat ſuos, aut στηλιτευτικοῖς λόγοις quaſi alter Gregorius Theologus (ſi Superis placet) nomina noſtra proſcindat. Neque etiam ſcio an noſtræ Sodalitatis quiſquam eum peculiari aliquo operæ confutandum ſuſceperit, niſi forte caſu tantùm in portentoſam aliquam eius opinionem noſtrorum libri, alterius argumēti, incurrerint. Quare imperitè ſanè nos Eratoſtrato confers, quippe qui in tali muſtaceo lauream quærere nec ambiamus, nec ſi maximè vellemus, valeremus. Nam quis neſcit Bezam eſſe perſimilem Eceboli illius Sophiſtæ, Præceptoris Iuliani Apoſtatæ, qui Chriſtianam religionem (quam ſub Cōſtantio profeſſus fuerat) timore ſub Iuliano abiurauit? Sic ille veſter non ſolum Catholicam religionem, ſed etiam Caluinianam (quam nunc tantopere exoſculatur) apertè prodidit, cùm anno 1556. ad Palatinum Electorem, Ottonem Henricum, Lutheri placitis addictiſſimum ſe conferens, vt eius Principis ſibi beneuolentiam conciliaret, eam verbis conceptis Confeſsionem fidei ſcripto edidit, qua verum, & reale, & ſubſtantiale corpus, & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus rerum viſibilium repræſentari, & exhiberi profeſſus eſt. Cumq́ue hac de re à Tigurinis Zuinglianis argueretur, *Dolum aliquando bonum eſſe, & alind agere, atque ſimulare*, eis conatus eſt per-

Beza Caluiniſmi præuaricator.
Surius in Comment. rerum geſtarū ex Beza, & aliorum ſcriptis.

ſuadere: Quare inania ſunt, quæ tu de Beza tuo nobis minitaris. Ad meliorem verò frugem ſe ille antè recipiat, quàm de aliis ſubleuandis cogitet. Certè nos mentem (Deo iuuante) nunquam mutabimus neque Bezanas imprecationes pertimeſcimus, Deúmque obteſtamur vt Sathanæ ſatellites increpet[a], & abſcindat[b], qui Chriſti Eccleſiam nouis quotidie opinionum portentis conantur perturbare: Aut potius (quod optamus ex animo) ſaniorem eis mentem, pro ſua benignitate, inſpiret. Cæterum quàm bonus Dei ſeruus, tuus Caluinus fuerit, res ab eius Aſſeclis paſsim furioſè perpetratæ, ſatis ſuperque demonſtrant: Cuius quidem manes, qui ab Inferis excitare cuperet, is profectò in ruinam & perniciem totius Chriſtianæ Reip. coniuraſſe videretur. Magnum deinde crimen, & ante hoc tempus ſcilicet inauditum nobis obiicis, Miniſter, quod ſine apertis calumniis, mendaciiſque compluribus commemorare non potuiſti: Ioannis nempe Balæi Piſcatoris cadauer hominis obſtinato animo in religione Ref. mortui, procuratione Iuſtini Leſcoti Viennenſis noſtri, humo effoſſum in oppido Andanciæ (Collegij Turnonij iuribus addicto) atque in Rhodanum proiectum fuiſſe. O immane facinus, & dignum propter quod Caluini Miniſter in nos ira exardeſcat! In hoc ſanè facto, tantùm abeſt vt criminis aliquid agnoſcamus, vt niſi à Magiſtratu curaſſemus fieri, nos graui culpa non vacare fateremur. Nam ſi fortè ignoras, ſacros Pontificum Romanorum (quos Chriſti Domini Vicarios in terris eſſe credimus) Canones obſeruare ſtudemus, atque paſsim (iis præſertim in locis, quæ iure aliquo nos contingunt) obſeruari deſideramus. Quoniam autem ius Canonicum, à te ne viſum quidem vnquam eſt, accipe quid, Cap. *Si autem, De Hæreticis*, ſcriptum habeatur, *Si autem in hoc peccato*, (hæreſeos,) *deceſſerit, neque ſub priuilegiorum noſtrorum, quibuſcunque indultorum obtentu: neque ſub alia quacũque occaſione oblatio pro eo fiat, aut inter Chriſtianos accipiat ſepulturam.* Et ne Decretum hoc, tanquam vnius Pontificis commentum ſubſannes, en aliud alterius, eodem Tit. c. *Quicunque. Quicunque Hæreticos, credentes, receptatores, defenſores, vel fautores eorum ſcienter præſumpſerint Eccleſiaſtica tradere ſepulturæ, vſque ſatisfactionem idoneam, excommunicationis ſententiæ ſe nouerint ſubiacere, nec abſolutionis beneficium mereantur, niſi propriis manibus publicè extumulent, & proiiciant huiuſmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuò careat ſepultura.* Ignoras etiam eodem iure excommunicatos in humo ſacra ſepelire eſſe interdictum *Clem. 1. de Sepulturis*: Quare, cum Religionis Ref. homines ab Eccleſia Catholica excommunicati ſint, quid conquereris, Miniſter, à nobis ius eſſe violatum? Quòd ſi in Romanam Eccleſiam τὸν νοτίν ου κατιχεύας, & Romanorum Pontificum Decreta aduerſus humanitatis iura pugnare ediſſeras, quæ vetant mortuorum cadauera effodi, perpẽde quæſo, quid Ioſias Rex optimus Iudeę (cuius ſtudia paulò pôſt, tam

[a] *Iude V 9.*
[b] *Galat 5 12.*

Legatur Bolſec. de vita Caluini, & Vetus Conſiliarius Regius.

Miniſter ait Balæum mortuum in religione ref. id eſt refractariola, vel refutata, vel refuga &c.

Hæretici cũ Chriſtianis ſepeliri non debent.

Iliad. α.

tam altè prædicas) fecerit de iis falsorum Prophetarum ossibus, quæ in sepulchris Bethel condita fuerant: *Et conuersus Iosias, vidit ibi sepulchra, quæ erant in monte, misitq́; & tulit ossa de sepulchris, & combussit ea super altare, & polluit illud iuxta Verbum Domini, quod loquutus fuerat vir Dei, qui prædixerat verba hæc.* I, nunc, & Romanorum Pontificum, si audes, Decreta conuelle, si vis vnà sanctissimi Regis Iosiæ factum improbare, qui non id tantùm (quod à Romanis Pontificibus constitutum est) effecit, neque in profluentem mortuorum ossa proiicere contentus est (vt tu nobis falsò imponis, cùm Balæus tuus non procul à piorum hominum sepulchris fuerit humatus, vt tota Andancia testari potest) sed ossa effossa super illud altare, quod erexerat Hieroboam, concremauit. Habes iam Minister, quæ nos iura impulerunt, vt Balæi tui effossum cadauer extra humum sacram sepeliri curauerimus. Vnde falsò garris, Pacem à nobis se violatam conqueri: ex Regis enim [a] Edictis, vos vnà cum Catholicis humari non debere facilè perspicitur, quum in eis statutum sit, vt Magistratus à vobis rogati, peculiarem locum ad vestrorum hominum sepulturam assignent. At tu quo tandem iure illos excusabis, qui sacra Martyrum ossa non modò ex tumulis extraxerunt impiè, sed etiam in fluuium, aut in ignem proiecerunt, quum ea [*] Ius Ciuile distrahere, vel mercari vetet? Quid præterea de iis dices, qui non solùm priuatorum hominum sepulchra, verùm & Regum ipsorum Mausolea violare præsumpserunt. Quæ (quamuis hostium) sacra, & religi.osa [b] eodem iure sic esse constat, vt rei violati sepulchri, supplicio summo affici, aut in Insulam deportari, aut in metallum damnati debeât. Quod attinet ad earum rerum (quas nos violenta audacia perpetrauisse scribis) commentarium, vbi à te fuerit editum, non deerunt, qui præfractam tuam vanitatem confutabunt. Ex omnibus enim illis tuis rebus, ne vnam quidem proferre poteris, vnde vel minima nomini nostro dedecoris labes aspergatur. Neque etiam tibi persuadere debes illustrem Turnonium Comitem vnquam passum fuisse, vt aliquid contra fas, & iura in sua ditione à quoquam impunè patraretur. In nos postmodū multa effutis, quæ nullo pacto probabis. Memineris quæso tui [c] ἀποφθ γματες *Nihil facilius esse, quàm malè dicere.* Nos quidē gladio [d] (qui Dei Verbum est) veritatem tuemur: Et igne [e] (quem Christus venit in terram mittere) omnium errorum vestrorum stipulas succēdere pro viribus contendimus. Vos verò non argumentis (quæ vobis desunt) sed ferro, flammaque opiniones Caluini propagare voluistis. Neque certè erat, quod diceres, nos lucem viuis auferre velle, cùm maximè Caluinianas tenebras Euangelij diuina luce vbique terrarum ab hominum animis dispellere nitamur. Feritatem porrò Factioni tuæ propriam, seruato tibi Minister: Societas quidem nostra, vt Gentes fera,&

Pag 49.
4. Reg. 23. 16.
Dei mādato improborū ossa effodiuntur.

Ministri mēdacium.
Pag. 5.

[a] *Artic. 20. Edict. pacificationis anni 1577. & art. 7. edicti 1581. superius confirmatis.*
[*] *Cod. de Sacrosanct. Eccles. l. nemo Martyres.*
[b] *Dig. lib. 47. tit. 12. de sepulch. violat. l. 4. & 11.*
[c] *Pag. 3.*
[d] *Ephes. 6. 17.*
[e] *Luc. 12. 49.*
Typog Geneuen. pro insigni gladium habēt cum inscriptione, *Non veni pacem mittere sed gladium.*

ræ, & immanes Christianam lenitatem colant, hactenus (Dei beneficio) diligenter præstitit. Mitissimúmque Iesu nomen vnà cum sacris reparationis generis humani insignibus (quæ tu nostræ feritatis arma perperam interpretaris) in eatum cordibus insculpere maximoperè desideramus. Appingimus quoque B B. Apostolorum Imaginibus claues, & ensem vt ἱερογλυφικῶς: duplicem Petri potestaté, & prædicationem Verbi Dei Paulo peculiariter concessam designemus.

Cur Claues & Ensem imaginibus Petri & Pauli appingamus.

Quarum quidem rerum vsum omnem vos ita peruertistis, vt in vos optimè illud Plutarchi, τῇ κλειδὶ τὰ ξύλα σχίζειν, τῇ δ' ἀξίνῃ τὴν θύραν ἀνοίγειν, quadrare videatur. Cæterum quàm hallucinaris, Minister, inter bellorum intemperies Societatem nostram excreuisse asserens, cùm longè maior nostrorum numerus in pacatis regionibus existat, quàm in iis, quæ bellum ciuile passæ sunt: Eaque est, in hoc maximè Regno, nostrorum hominum paucitas, vt colonias in quamplurimas ciuitates, quæ summis votis nos expetunt, deducere non possimus. Tu in nos deinceps, bone vir, quò tua charitate Christiana grauissimum populi odium concitare niteris, quasi tumultus bellici, & ciuilis discordiæ auctores futuri simus. Memineris quid sanctissimus Propheta Elias Achabo Regi sceleratissimo respondetit: *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus Patris tui, qui reliquistis mandata Dei, & secuti estis Baalim.* Certè nihil vsquam vllo tempore à nostris vel scriptum, vel dictum est, quod non ad huius Regni pacem, tranquillitatémque spectarit, vt eæ omnes ciuitates abundè testantur, in quibus est aliquod Societatis nostræ domicilium, quæ omnes (Dei benignitate) Christianissimo Regi parent. Quod si fortè vel nostrorum Conciones, vel scripta vobis ἐνθύμεις ὄντα bilem mouent, quippe quæ errores (quibus plebem indoctam circumuenitis) redarguant, multique propterea, per Dei gratiam, à vobis deficiant, non est quòd seditionis causam vllam in nos deriuare debeatis.

Plutarch. li. περὶ ἀκοῆς.

3. Reg. 18. 18.

Professores Turnonij paci studét.

Minister verbis græcis inscite latina explicat.

Actor. 26.

Dum nos præterea ματαιολογίας ἀπολιτεύτου (quibus verbis quasi alter Apollo Pythius, inscitè tamen, hæc tua Latina *Inanitatis inciuilis* obscurate voluisti) accusas, paucis D. Pauli verbis nonnihil immuitatis respódemus, οὐ ματαιολογοῦμεν, ὦ κράτιστε ὑπηρέτα, ἀλλὰ ἀληθείας, καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθεγγόμεθα. Neque verò nobis dum ἀπολιτεύτους videris nominare, iniuriam facis: Nulli enim nostrûm πολιτεύουσιν, imò quotquot sumus in hoc Sodalitio, μή ποτε ἡμῖν πολιτευτέον ἐν παντὶ τῷ βίῳ profitemur. Atque vtinam vos Ministri, essetis ἀπολιτικώτεροι: sic enim Respub. maiore proculdubio tranquillitate frueretur. Verùm, heus tu, qua fronte nos te ἀντικατηγοροῦντα, non ἀντιλοιδοροῦντα habituros dixisti, cùm libelli tui nulla pagina sit, quæ quamplurimarum τῶν λοιδοριῶν, καὶ τῶν αἰτιῶν non sit plena? Sed sicut διὰ τὰς λοιδορίας σου manum haud verterimus, ita & τὰς κατηγορίας, καὶ αἰτίας τῆς κακοδοξίας ὑμῶν quas & Assertiones nostræ continent, & fusius in hoc opere pertractamus, vos nunquam poteritis re-

Ministri plus æquo. πολιτεύοντες

ritis refellere. Postea quàm iustè conquEraris de Regiorum Edicto rum auctoritate probrosis vocabulis in vestras Ecclesias à nobis violata, νομοφύλακες Nemausi iam iudicarunt, quum vobis instantibus maximè vt dies nobis ob id diceretur, nihil esse causæ viri sapientissimi responderunt. Non enim Edicta Regis vetant ne Caluini, aut Bezæ errores verbo, scriptóque redarguamus. Quod addis *ex religionis controuersiis natum hominum furorem, impotentius esse debacchatum*, præclaris sanè Religionem tuam *Ref.* effers laudibus quæ furorem hunc in mundum inuexit. Quis enim ante Lutherum, Zuinglium, & Caluinum tot de religione controuersias excitauit vnquam? Tua verò μέλιτος γλυκίων (vt ait ille) ῥῆσις, ad quos pios referatur, non video: nisi fortè nos (quos paulò antè in Impiorum numerum retulisti) vocibus recantatis, intelligas, quibuscum duntaxat hanc requisitionem instituisti: Qui profecto non alia, nisi veritatis causa, & salutis animarum desiderio, neque illam disputationem, neque hunc scribendi laborem suscepimus. Te autem amicè monitum volumus, ne ita eloquentiæ floribus studeas, vt in Grammaticam pecces turpiter: Vide enim vtrum ex Syntaxis legibus hanc loquendi formam probare possis, *Sed rationi, qua ratio esse constiterit.* Nominare postea debebas *vestros illos homines*, quos dicis, *plenas hisce de rebus tractationes perscripsisse*, vt commentaria haberemus ad manum, quorum subsidio, quæ tu obscurè, & nullo ordine effutisti, facilius possemus intelligere. At quid tibi vis per tuas *Quæstionum circunstantias, quas in nostris Assertionibus notauimus?* An extra cancellos θέσεων nostrarum te nolle egredi significas? Plerunque tamen longissimas efficis παρεκβάσεις, atque ad meras nugas, quæ *circunstantias*, vt tu loqueris, nostrorum propositorum nequaquam attingunt, frequenter digrederis, complura nobis affingens, quæ nunquam cogitauimus, vt suo loco ostendetur. Atq; hæc ad orationis tuæ primordium breuiter respondimus. In posterum, Iesu Christo propitio, quasi pede collato sic tecum agemus, vt non solùm rationes tuas (si quæ sunt) proferamus, sed etiam ipsa tua verba, aliqua ex parte inseramus expendenda. Tu interim Minister, omnia æqui, boniq́ue consule.

Pag.6. Controuersiæ de Religione bella pepererunt.

Home. Ili.a.

Pag.6. Minister σολοικίζει.

Minister sæpissime à re proposita digreditur.

LOCI SCRIPTVRAE SACRAE EXPLICATI.

APPRO

APPROBATIO DOCTORVM SACRÆ THEOLOGIÆ.

Hæc Catholica Hæreticorum refutatio, singulari eruditione, & pietate referta, digna est quæ in publicam totius Ecclesiæ vtilitatem euulgetur. Lugd. CIↃ. IↃ. XCIV.

DE BOLLO. Ord. S. Dominici.

Ioan. Balmesius. S. I. *Car. Sagerius. S. I.*

NOVS n'empeschons, ains permettons à M. Iean Hayus Escossois de la Societé de IESVS, Professeur en Theologie en l'Vniuersité de Tournon, de mettre en lumiere, & faire imprimer ce present liure, intitulé *Disputationum libri duo, contra anonymũ Ministrũ, &c.* n'y trouuãt chose qui soit contre nostre saincte Mere Eglise Catholique, Apostolique, Romaine: n'y contre les saincts Decrets, Canons, & Conciles, & specialement contre le sainct Cõcile de Trente dernier. Faict & octroyé ce vingtquatriesme iour de Mars, mil cinq cens quatre vingts & quatre.

LAVRENCIN Vicaire general substitut, & Official ordinaire de Lyon.

ARNOLDVS VICINVS, Prouincialis Collegiorum Societatis IESV in Lugdunensi Prouincia, iuxta Priuilegium eidem Societati à Rege Christianissimo 10. die mensis Maij, anni 1583. concessum (quo Bibliopolis omnibus vetatur, ne libros ab eiusdem Societ. hominibus compositos, absque illorum permissione imprimant) permittit Ioãni Pillehotte, Bibliopolæ Lugdunensi, vt IOANNIS HAYI opus, cui titulus est, Disputationum libri duo, &c. *ad octo proximos annos imprimere, ac liberè diuendere valeat. Datum Turnoni 6. Decembris 1583.*

A. VICINVS.

DISPVTATIONVM
LIBER PRIMVS,

In quo tres sequentes Assertiones, ab Anonymi Ministri calumniis, & captionibus vindicantur.

ASSERTIONES THEOLOGICAE IN Academia Turnonia anno 1582. disputatæ.

I.

Singulari Dei beneficio Christianam Ecclesiam rerum sacrarum monumenta, partim litteris consignata, partim per Christianorum hominum manus, sine scripto tradita, conseruasse credimus, eorúmque ad salutem consequendam necessariam intelligentiam omnibus enodare, ac proponere: vt mirum sit nostri temporis Hæreticos, scripturas sacras non ex Ecclesiæ præscripto, sed pro sua libidine interpretari, bonámque earum partem (quam antiquitas approbauit) ex sacrorum Codicum numero tollere.

II.

Qui fidei res omnes ad scriptum Dei Verbum reuocant, in eos se difficultatum laqueos inducunt, vt nullum planè exitum inuenire posſint: Nam scripturam ipsam, quæ traditiones non scriptas commendat, aspernari, Ecclesiæ auctoritatẽ eleuare, & nullum sibi ad comprimendam aliorum insolentiam, qui scripturis omnibus fidem planè derogant, præsidium reliquisse cõuincuntur, imò & pleráque fidei dogmata (vt de perpetua Dei Matris virginitate, ac infantum baptismo) repudiare coguntur.

III.

Et cùm se nihil nisi scripturas loqui profiteantur, pro fidei decretis Hæresiarcharum errores tanto studio amplectuntur,

vt satius ducant scripturas ipsas negare, quàm illorũ ineptias repudiare. Quare & Machabæorum libros (quibus eorum qui ex hac vita excesserunt in piorum hominum ad Deum precibus, memoriæ, & purgatorij ignis in primis stabilitur fides), ex sacrorum librorum canone esse delendos contendunt: Qua in re inscitiam suam produnt, cùm alia multa scripturarum testimonia suppetant, quæ purgatorium esse ignem, non obscurè confirmant.

CAPVT PRIMVM.

CATHOLICVS.

QVAM in libri tui inscriptione professus es modestiã Caluini Minister, prima, (vt tu nouo more loqueris.) Respõsionis tuæ verba, nõ obscurè testãtur. Tibi negotium esse ais cum Iesuitis, id est, vt tu pro tua singulari modestia interpretaris:

Calumnia Ministri.

MINISTER. pag. 8.

Cum eo hominum genere, qui in eo maximè artis suæ præstantiam ponunt, vt subtilißimis disputationum laqueis vel prudentißimorum solertiam circunueniant:

CATHOLICVS.

Minister edicta regia contemnit.

Itane Regiorum edictorum, quam ab Academia Turnonia violatam paulò anteà conquerebaris, auctoritatem, liberè nunc contemnis? Societatis nostræ homines, Christianißimi Regis patrocinio, in Galliarum Regno dum afflictis Ecclesiæ rebus pro viribus opitulantur, subtilißimis disputationum laqueis, vel prudentißimorũ solertiam, te auctore, conantur circumuenire? Disputationum nostrarum subtilitatem, Gebennensium acies, quamuis instructißima, ferre certè non poterit: Sed dic quæso, qui Aristoteleos fontes exhausisse præ te fers, quænam sit hæc ars, cuius præstantiam nobis vendicamus? Quem nostrum magnificè de artis vel minimæ præstantia se iactãtẽ vnquã audiuisti? Doctores nostri, quibus irretire conamini, simplicium hominũ animos, in dies laqueos dissoluũt, atque inauditam (ne quid grauius dicam) viuendi licentiam, quam tuæ Sectæ buccinatores, discipulis suis magno Reipub. Christianæ malo dederunt, arctißimis Christiani instituti vinculis reprimere, atquè ad eam quam à Christo Domino accepimus Religionis normam traducere, pro virili parte non cessant. At tibi videmur vel prudentißimorum solertiam circumuenire? Dic oro clarius, qui in media luce tenebras quæris; Seductores tibi videntur nostri ordinis homines? Pro iniuria, magnas tibi rependere gratias cupimus. Vtinam & tu, qui disputationum subtilitatem à limine nondum salutasti, te seduci à nobis

patiaris (vt cum Apoſtolo dicere poſsimus, Cùm eſſemus aſtuti, dolo te cepimus) id eſt, noſtra opera ad Chriſtianam Eccleſiam aggregari. In memoriam nobis reuocas Chriſtum Dominum à Iudæis Seductorem fuiſſe nuncupatum; quare vel hoc nomine maximè gloriamur, quòd à Caluinianæ ſectæ alumno, nos qui vitam noſtram omnem Chriſtianæ militiæ ſingulari ratione conſecrauimus, eadem qua à Iudæis Chriſtus ἀρχηγὸς noſter, nominis ignominia afficiamur. Maximè enim Societatis noſtræ laudem illuſtras, cùm à Caluiniana diſciplina nos abhorrere dicis. Ex omnibus quas profitemur artibus ſcire cupimus, quàm intelligas luculenta illa tua oratione, *In eo maximè artis ſuæ præſtantiam ponunt?* Putas fortaſsis nos omnes in vna aliqua diſciplina ſic occupari, vt cæteras negligamus: at falleris; Pietatem in primis colimus, deinde variarum doctrinarum ſtudiis Iuuentutem fidei noſtræ commiſſam erudimus; ac (quæ Dei eſt benignitas) vberrimos laborum noſtrorum fructus capimus, cùm ex diſcipulis noſtris multi ſint, qui veſtris conatibus reſiſtant, & pro Eccleſia Dei, probitatis, & doctrinarum armis inſtructi, ſtrenuè vobiſcum dimicent.

2. Cor. 12. 16.

a Mat. 27. 63.

Ab improbis vituperari, ſumma eſt laus.

MINISTER. pag. 8.

Prouidendum etiam atque etiam à nobis initio eſt, vt rectè conſtituta quæſtione diſputatio deinceps certius vtiliusq́; progrediatur.

CATHOLICVS.

Prouidentiam tuam laudarem, ſi de quæſtione conſtituenda controuerſia vlla eſſet; eo planè modo quæſtionem conſtituis, quo argumentorum tuorum aciem inſtruis, id eſt, dum ſummum ordinem conſectaris, omnia ſine ordine facis.

MINISTER. pag. 8.

Si quis ex hac diſputatione fructus poteſt exiſtere.

CATHOLICVS.

Aui tui Martini Lutheri κακοήθειαν in memoriam mihi reuocas, qui diſputationis ardore incenſus, claſsicum ſe contra Catholicam Religionem non ob Chriſtum ceciniſſe, auſus eſt dicere. Quòd ſi tuo iudicio, nullus ex hac, quam ſuſcepiſti, diſputatione fructus poſsit exiſtere, quid te ad ſcribendum impulit? operam, oleúmque in re, cuius nullus exiſtet vſus, Chriſtiano homini inſumere non licet.

Miniſter imitatur Lutherum. Io. Cochlæus in hiſt. de actis & ſcriptis Lutheri ann. 1519.

MINISTER. pag. 8.

Quorſum tamen euadat, non inutile de veritate certamen exiſtimandum eſt (ait Tertullianus) ex quo veritatis aduerſarius, obſtinatior atque inſolentior excedit.

CATHOLICVS.

Ea eſt ingenij mei tarditas, vt quid his verbis, tibi velis aſſequi nequeam. Redi in gratiam cum tua Logica, quæ te dum hæc ſcriberes videtur deſeruiſſe, ac librum Tertulliani adſcribe, vt germanam auctoris ſententiam ex ipſo fonte hauriamus.

MINISTER. pag. 8.

Quosdam etiam vestrum cognitæ, exploratæq́ veritati nolle repugnare, charitas iubet vt existimemus.

CATHOLICVS.

Catholicæ doctrinæ veritas Turnoniæ Academiæ professoribus est explorata.

Sociorum meorum nomine tibi Minister, respondeo, doctrinę, in qua instituti sumus, exploratam nobis esse veritatem, quam, Dei præsidio, constanter ad extremum vitæ spiritum retinebimus. Caluini verò somnia detestamur, & tibi tuique similibus, qui sciẽs prudens non modò certissimis Christianę fidei mysteriis repugnas, sed quibus potes calumniis, detrahis, non grauatè relinquimus. Cur tu amplissimum Charitatis munus in summas angustias redigis? Si charitas iubet, vt de quibusdam nostrûm benè existimes, quid te mouit, vt malam quam subiicis, de cæteris conciperes opinionem?

MINISTER. pag. 8.

Cæteri ne sine hoste & sanguine simplicibus imponant specie veritatis, illud verò à nobis est omni studio, & opera elaborandum.

CATHOLICVS.

De hoste & sanguine somniat Caluini Minister.

Virum te prouidum ostendis, qui memor illius Homerici ξυνὸς ἐνυάλιος, antè conflictum, de hoste, & sanguine, tam diligenter cogitas. Nos pro Christiana Religione sanguinem nostrũ libenter profundimus: nuper autem natam Caluini doctrinam, ex hominum animis, verbi Dei præsidio extirpare, & ad Gebennensium lacum, æterna obliuione sepeliendam, amandare omni studio contendimus.

Pax Caluini Ministris parum grata.

Pacémne tibi gratam existimabimus, qui Theologiæ scholam, sine hoste, & sanguinę, haberi non posse apertè, palamque profiteris? Noli quæso tibi regiam vsurpare potestatem, contende argumentis, gladij vsum Regni magistratibus relinque: Qui porrò sunt illi simplices quorum patrocinium tibi arrogas? tantúmne abs te tua tibi est otij aliena vt cures? qui antea simplicitatem profitebaris, simplicium nunc defensionem tibi sumis? Qua in re proiectam tuam audaciam mirari satis non possumus, quòd tuo iudicio simplex cùm sis, in certamen non quidem sanguineis, acerrimis tamen telis confodiendus descenderis: ac quasi cum mulierculis tibi decertandum esset, muliebri nos conuitio volueris verberare, vt à fidei Christianæ, quam suscepimus, propugnatione, ad maledicta, quæ in nos ferociter & liberè iacis, retundenda pelliceres.

Homo simplex simplicium est patronus.

Fraus Ministri indicatur.

MINISTER. pag. 8.

Prolixæ igitur illæ & insidiosa, propositionum vestrarum ambages, Logices legibus definiendæ sunt, vt ex insidiis prodeant vernacula illæ, & vestræ genti peculiares fallacię, résque adeò nullis inuolucris & fucis ipsa simplex, & vera perspiciatur.

CATHOLICVS.

Minister ignarus Logices.

Si animum ad mâsuetiores Musas ἀπ' ὀνύχων Minister adiecisses, nihil contra Logices præcepta, in Thesibus nostris peccatum

tum inueniſſes. Verum qui hoſtem, & ſanguinem tantopere refor midas, vt in latebris nobis planè incognitis ſimplicitatem tuam hærere volueris, meo conſilio, Mathematicorum ſcripta euolues, vt deinceps à Logices vſu paratior, nobiſcum decertes. Numera ſyllabas (ſi ἀνάλυσιν tibi præſcriberem, reſponderes Græcum eſt, non intelligitur) aliquot propoſitionū Euclidis[a] & Archimedis,[b] ac tū nobis propoſitionum longitudinem vitio verte. Nos in Theſibus componendis ſummorum Mathematicorum ſatius conſuetudinem ſequendam duximus, quam oſcitantem Gebennenſium inſcitiam, nuper ex Lemanno lacu excitatam. Ambages nobis obiicis cum tamen nihil ambiguum ex Theſibus protuleris. Inſidias nemini inſtruximus, ſed nudam, & ſimplicem veritatem, perſpicuis verbis propoſuimus. Vernaculas, & peculiares quas tribuis noſtræ genti fallacias (quod a i Gentis quidem nomen attinet) nec Grammaticorum opera intelligere potuimus: Nomina quæſo gentem, cuius vernaculas & peculiares fallacias, te proditurum iactitas.

a Elemē. 10. & 18.
b De lineis ſpir. propoſ. 18. & de Conoid. & Sphæroid. propoſ 3. & 12.

Profeſſores Turnonij in Theſibus cōponendis Mathematicos imitantur.

MINISTER. pag. 8.

Cuius hæc eſt plana, & perſpicua ἀνάλυσις.

CATHOLICVS.

Si res de qua diſputatur ſimplex ſit, & vera, cur te in ea explicanda defatigas? cur præceptis Logices abuteris & extra eius egrederis cancellos: Nos verò, contra omnem diſſerendi legem, tenebricoſis, in Theſibus ſcribendis, incognitæ ante Caluinum Logicæ, cauernis ſepire, atque (quæ tua eſt auctoritas) includere moliris. Si propoſitionum ἀνάλυσιν te tradere dixeris, diſce antè, in pronomine *cuius* ad Grammaticorum normam loqui, quàm ad Theologorum campum certaturus de rebus grauiſsimis, deſcendas. Tandem ad rē ipſam, quin ſummam, immodeſtæ tuæ noua inſcriptione dares Lectori ſignificationem, aggredi non potuiſti.

Miniſter præceptis Logices abutitur.

Miniſtri in Grāmatica erratum.

CAP. II.

MINISTER. pag. 8.

Explicatio prima quæſtionis è Ieſuitarum Aſſertionibus euoluta.

CATHOLICVS.

O Magnum dicendi artificem, qui quod inuolutum non fuit euoluet! Profer iſta, quæ tu in noſtris Theſibus pro tua ſimplicitate, & modeſtia, inueniſti ſiue verborum, ſiue rerum inuolucra, ac tum demum liberè euoluere poteris, quicquid contra Logices præcepta peccatum eſſe deprehenderis. Tu ais nos veras Logicæ leges deſeruiſſe, ſed cùm nullas omnino à nobis deſertas proferas, ſuſpecta eſt omnibus hæc tua ſingularis ſimplicitas, & vſurpata modeſtia.

Miniſter euoluit quod non eſt inuolutum.

MINISTER. pag. 8.

Quæſtio eſt de verbi Dei, & Eccleſiæ autoritate.

CATHOLICVS.

Somniare videris, Minister: In nostris Thesibus nihil de verbi Dei (si Dei verbi nomine τὸ ἔγγραφον tãtùm intelligas) auctoritate scriptum reperisti; fortaßis tui symmystę hac de re tecum digladiantur. Præclarum video disputationis fore exitum cuius cómẽto ab insigni initium positum est. Logica Ioann. Caluini, non Aristotelis, certò scio, te nugari docuit, Pergis tuo more, tibi logices, in qua plane hospes es, scientiam arrogare.

MINISTER. pag. 8. & 9.

Huic quæstioni de vestra sententia explicandæ adhibentur tres assertiones, sed ita desertæ aut indisertæ (dum elegantiam quandam affectantes deserunt veras leges logices illius quam profitemini) vt hoc vnum nostræ aduersus vestrum τὸ ἀμέθοδον reprehensionis (de qua suo loco dicemus) exemplum sobrio & erudito lectori abunde esse posit.

CATHOLICVS.

Ministri nugæ. Nugis abũdas, Minister, cùm Theses nostras *desertas aut indisertas* esse scribis. Nihil hac tua reprehensione desertius legi. Sunt tibi A Ministro desertę Theses. Theses nostræ *desertæ aut indisertæ*. Ex tua Logica neque desertas neque indisertas eas probabis: Erraui, me ergo ipse corrigam, à te fuisse desertas nostras Theses probè scio, cùm (vt tu ipse fateris) inuitatus, nobiscum congredi hactenus non sis ausus. Sobrium, & eruditum lectorem requiris, qui antea simplicium aduocatus veneras, sobrium te omninò, etiam in tua logica esse conuincam, & planè siccum, ac ieiunum, doctrinæque Christianæ expertem. Thrasonis postea tibi partes sumis gloriose, & modeste Logodædale.

MINISTER. pag. 9.

Vos igitur iuuabimus & vobis ipsis arma λογικώτερον expediemus.

CATHOLICVS.

Militis gloriosi vocẽ audio: reserua tibi arma tua, quæ, vbi amentatis argumentorum nostrorum hastis occubueris, vt in Gebennensium suspensa delubro ὡς τὰ τῶν ἀρχαίων ἀναθήματα temeritatis tuæ ac insolentis procacitatis, perpetua sint testimonia, facilè patiar: ac ne videar tibi iniuria, liberalitatis tuæ magnificentiam repudiare, age, videamus tuam in expediendis armis δεξιότητα, & solertiam.

MINISTER. pag. 9.

Ministri calumnia. *Sic nimirum vestram hac de re sententiam distinctius & magis logicè debebatis explicare. 1. verbum Dei est vel scriptum vel non scriptum, aut vt totidem verbis dicitis, verbum Dei partim scriptis partim traditionibus continetur 2. non omnes fidei res verbo scripto continentur, ac proinde ij grauiter peccant, qui omnes res fidei ad verbum scriptum reuocant.*

CATHOLICVS.

Non potuisti sine calumnia præclara hæc tua arma expedire: mendacem memorem esse oportet: Vbi in Thesibus nostris hæc

verba

verba legisti, *verbum Dei partim scriptis, partim traditionibus continetur*: Sententiam verborum non negamus, quam in prima nostra Thesi his verbis complexi sumus, *Singulari Dei beneficio, Christianam Ecclesiam, rerum sacrarum monumenta, partim litteris consignata, partim sine scripto tradita conseruasse credimus.* Vbi sunt tua totidem quæ nobis affingis verba? disce oro verius in posterum loqui, Cum tuo cõmento miserabilẽ cõiunxisti differendi inscitiam, perindè enim tibi est affirmare verbũ Dei esse vel scriptũ, vel non scriptũ, & asserere, *verbum Dei partim scriptis partim Traditionibus contineri*, at tu negare non audes, verbum Dei esse vel scriptum, vel non scriptum: Logices enim præceptis constrictus teneris. (Repete memoria, si tamen eas aliquando degustasti, contradicentiũ propositionum leges) neque inficiari poteris, verbum Dei partim scriptis partim traditionibus contineri: Vide vir modestissime, quàm rectè, nobis expedieris arma λογικώτερον, quibus te primo congressu conficeremus. Logicè putas te explicasse nostram de verbi Dei auctoritate sententiam, at in tua differendi ratione, nihil planè logicum reperio, Oro vt Caluiniani aures arrigant, & præclaram noui Thrasonis ratiocinationem audiant,

MINISTER. pag. 9.

Verbum Dei est vel scriptum vel non scriptum, aut verbum Dei partim scriptis partim traditionibus continetur, non omnes fidei res verbo scripto continẽtur. Ac proinde ij grauiter peccant qui omnes res fidei ad verbum scriptum reuocant.

CATHOLICVS.

Nondũ ratiocinationẽ logices didicisti legibus constringere: nulla est hîc partium copulatio, quam seueræ illæ tuæ logicæ leges præscribunt. Doce in quem syllogismorum ordinẽ garrulã tuam infantiam reponamus: Quod si facere non possis, in gyrum rationis redi, & viros varia doctrinarũ eruditione excultos, tuis ineptiis in posterũ noli lacessere. Ne sine corollario logico, ad alteram quæstionem euoluendam accederes, subiecisti, Minister nescit ratiocinationem instituere.

MINISTER. pag. 9.

Ita de vestra sententia verbum Dei est ἔγγραφον, & ἄγραφον sicuti ius ciuile: hæc nimirum è vestris verbis planè eliciuntur.

CATHOLICVS.

Quàm sis subtilis eliciendi artifex, vel simplex lector iudicabit: Perspicuis verbis diximus, & denuò repetimus, rerum sacrarum monumenta, partim esse litteris consignata, & partim sine scripto tradita. Nihil ergo ex nostris verbis elicis, sed inanem tuam loquacitatem profundis. Quod de iure ciuili adiecisti, quorsum spectet ignoro: Iuris ciuilis fortaßis tibi cognitionem arrogas, qui parum ciuiliter instructus, officij onus, quod sustinere non potes, temerè & arrogãter suscepisti. Ecclesiam Dei esse custodem & interpretem verbi Dei nõ

erat

erat, cur tu ex nostris verbis eliceres, cùm nemo nisi à lingua latina inops, orationis obscuritatem nobis obiicere possit. At industriam tuã Caluinianę synagogæ probare voluisti. An *bona fide (vt gloriaris) primariam de verbi & ecclesia Dei autoritate quæstionem exposueris,* æquus & eruditus lector iudicabit. In tuis ex recondita illa Caluini logica petitis ratiocinationibus, auctoritatis vocẽ nõ legi, quare vt te bona fide egisse probes, ad subtilissimam illam eliciendi artem, qua mirificè es instructus, tibi confugiendum erit. Dissimulare non potes, quin ex nostris Thesibus maximam ceperis molestiam.

MINISTER. pag. 9.

Cætera quæ additis sunt ψόγοι non λόγοι id est cauilli non Theologo tantum, Sed ne philosopho quidem digni à rei, personarum, temporisq́; circunstantiis penitus abhorrentes.

CATHOLICVS.

Accipio libenter, quod multiplex tua loquendi disciplina mihi dat liberaliter, cauillos nostros (ita tu homo lepidus in rebus grauissimis iocaris) Theologo esse dignos, operarũ incuria accusabis, quòd à te excogitatam loquendi formulam, tam facilè posteritati ridendã tradiderint. Sed ad rem, quid Theologi persona indignum à nobis est cõmissum? Displicuisse nobis Hæreticorum nimiam in scripturis explicandis licentiam, ac non ferendam, quam sibi de libris canonicis vsurparunt iudicandi temeritatẽ, non inficiamur. Nihil hac in re peccatum est, si tibi displicet nostra sentẽtia, caue ne iure tibi hæreseos notam inuramus. Tu nihil doces, quod in Thesibus nostris, à rei, personarum, temporúmque circũstantiis abhorreat. Ex intimis logicæ tuę mysteriis argumenta deprome, quibus ψόγους, id est, vt tu imperitè vertis, *cauillos* nostros retundas, ne doctorum omnium virorum institutum cõtemnere videaris, cùm pro argumẽtis, ieiunam animi tui sententiam, & inanem loquacitatem nobis obtrudis. Si infantem tuam eloquentiam exagitare vellem, nullum orationi meæ exitũ reperirem. In qua verò Thesi legisti quod ex nostris verbis te confecisse somnias?

Hæreticorũ nimia in scripturis explicandis licentia professoribus Turnoniis displicuit.

MINISTER. pag. 10.

Ecclesia autoritas eleuatur, cùm Ecclesia illarum condendarum (traditionum) habeat potestatem.

Nugatur Minister.

CATHOLICVS.

De simili potestate nihil in Thesibus scriptum esse, scio: hîc tuam bonam fidem requiro.

MINISTER. pag. 10.

Quia scripti verbi autoritas à nõ scriptis traditionibus cõmendatur;

CATHOLICVS.

Fallax hæc tua oratio (quam tu Thesibus nostris agglutinas), infrà suo loco excutietur. Euolutionẽ tuam erudita, ac Logico planè digna oratione concludis.

MINI

MINISTER. pag.10.

Hæc sunt demonstrationis vestræ media, id est τὰ μέσα συνεχόμενα, Quæ vos non Logicè quidem, sed Rhetoricè, præter veras disserendi leges ita proposuistis, vt in illa Rhetorica occultatione quam affectatis, rerum veritatem penitus occultetis.

CATHOLICVS.

Agnosco τὸ συνεχόμενον. nam Græculus voces Latinas, sæpe Græcis verbis explicat. At dum Logicæ vsum tibi vendicas, in eius laqueos te sic induisti, vt nulla Ministrorum manus te expedire possit. Quis enim non dicam summus, sed plebeius Logicus, demonstrationem vnam plura habere τὰ μέσα docuit? Si vocis ambiguitate nos ludis, explica quid demonstrationis nomine velis intelligi. Si multas ratiocinationes vna complexione te deuinxisse responderis, inuoluisse te, quæ aperta & conspicua erant, cōtra tùm Logicorum, tùm Rhetorum præcepta, nullo negotio cōuincemus. Disserendi partes Rhetoribus omnino negas, quando nos *demonstrationis nostræ media, nō Logicè sed Rhetoricè præter veras disserendi leges proposuisse* scribis, Timorem nobis frustrà iniicere studes, cùm pro tua euoluendi solertia, περὶ τῶν μέσων propositæ demonstrationis sententiam tuam in alium locum reiicis. At Caluinianus tuus terror, qui in maledictis positus est, nos non commouet, rerum & non verborum patrocinium suscepimus: argumentis ex Verbo Dei petitis, & telis ex Ecclesiæ Christi præscripto vibratis, commoueri nos scias, & non tuis, quibus abundas, ineptiis.

MINISTER. pag.10.

Verùm num illa ex Ecclesiarum nostrarum doctrina verè à vobis dicantur, suis locis viderimus &c.

CATHOLICVS.

Vis ergo demonstrationis nostræ τὰ μέσα, Caluiniana trutina examinare, aut certè falsi crimen nobis obiicere: Adscribe oro Gebennensia commentaria, quorū subsidio orationis tuæ inuolucra euoluere possimus. Nos nullas tibi calumnias inflximus: Quæ de hæreticis scripsimus, conscientiæ tuæ candore conuictus, de te dicta esse existimas. Euoluendi leges peruertis, cùm inter calumnias, quas vobis inflixisse nos fingis, & hanc numeras,

MINISTER. pag.10.

Pro fidei decretis hæresiarcharum errores tanto studio amplecti, vt satius ducamus scripturas negare, quàm nostras ineptias repudiare.

CATHOLICVS.

Perpende optimè euoluendi, & eliciendi artifex, orationis nostræ simplicitatem, & de Hæresiarcharum ineptiis nos esse locutos facilè disces. Grammaticorum tricis, summa, quæ in te est, eruditio Theologica, nullum planè reliquit locum. Modestiam tuam breui oratione concludis,

MINISTER. pag. 11.

Sed de conuitiis iam satis supérque.

CATHOLICVS.

Rectè *satis supérque*, in tua putida præfatione pro tua modestia nos conuitiis verberasti,& nullum petulantiæ modum antè seruare, quàm scriptum perficeres,constituisti. Maximum ergo tibi conuitiū fecimus,cùm *verbum Dei esse vel scriptum,vel non scriptum* (si rectè nostrā sententiam euoluisti) scripsimus.Sine conuitio etiam Christiano homini non licebit asserere,Ecclesiam Dei esse & custodem & interpretem Verbi Dei.Si te hæreticum profiteris,quæ hæreticis obiicimus cùm verissima sint,'non est, quòd in maledictis numeres.

MINISTER. pag. 11.

Ministri ἄκυρον: nō enim sententiam recensere propriè dicitur.

Constituta igitur quæstione ad rem ipsam ita accedemus,si prius, vt vestram bona fide sententiam recensuimus sic nostram simpliciter fideliterque referamus.

CATHOLICVS.

Si quæstio,fine sententiæ nostræ explicatione,constitui non potuit, cur non & ante constitutionis tuæ perfectionem sententiam tuam explicauisti? Fortasis tuam à quæstione alienam esse sententiam existimas.Distingue,oro,quæstionem à sententia,vt ordine disputationis nostræ cursus progredi posit. Si Caluiniana fide, quam in nostris Thesibus euoluendis te seruasse, nemo qui scriptum hoc leget,nisi tui similis,negabit, tuam sententiam referre constituisti, ad lacum Gebénensium tibi necessariò redeandum erit,vt gygantes illi, quorum imperium latè patere fingis,nouis venenis lacunas tuas expleant,quò melioribus armis instructus,belligerandi gloriā,quam tua ignauia in hoc primo congressu attingere non potuisti, tandem consequaris.Eruditas tuas Theses,atque ad Logicorum leges accuratè scilicet conscriptas,insigni inscriptione illustrare voluisti.

CAPVT III.

MINISTER. pag. 11.

Ecclesiarum nostrarum de verbi, & Ecclesiæ Dei autoritate sententia.

CATHOLICVS.

Nemausen. plerique in Catholica religione constantes.

Quas Ecclesias intelligas, difficilè est, vel coniectura assequi. Episcopus siquidem Nemausen.catholicus est, ciuésque plerique auitam Catholicam religionem constanter retinent: peculiaris est hæc tua Minister sententia, quàm in Gebénensi synagoga, non in Christi Ecclesia didicisti, quamque his verbis Christianorum omnium odio subiecisti.

MINISTER. pag. 11.

1 *Vnicum Dei verbum,quo salutaris doctrina definitur, agnoscimus Prophetarum,& Apostolorum doctrinam, veteris & noui Testamenti*

libris

libris comprehensam.

2 *Illo verbo Dei scripto omnia fidei dogmata ad salutem necessaria contineri credimus, neque ab eo vel quicquam demere, vel ad illud quidpiam adiungere cuilibet creaturæ fas esse affirmamus.*

3 *Credimus sanctam Ecclesiam catholicam & Apostolicam, verbo illo scripto innixam, esse columnam, & firmamentum, id est, custodem, & interpretem veritatis.*

CATHOLICVS.

Nimis multa ex tua recondita Logica deptomis, quæ orationis tuę ieiunitatem produnt. Christiano homini quidlibet garrire permittis, qui *neque cuilibet creaturæ fas esse affirmas, à Dei verbo, vel quicquam demere, vel ad illud quidpiam adiungere.* Tibi fortasſis viro sapienti, quod cuilibet non licet, permissum esse existimas. Si inanem tuam ταυτολογίαν vellem excutere, nullum reprehendendi exitum reperirem. Dúmque Logicam latinitatem affectas, in sequenti oratione pugnantia loqueris.

MINISTER. pag. 11.

Hanc nostrarum Ecclesiarũ de verbi & ecclesiæ Dei autoritate esse sententiam testatur illarum confessio post annos complures edita, antequam vix, ac ne vix quidem, auditum esset in Gallia Iesuitarum nomen.

CATHOLICVS.

Ad Logicorum spinosas subtilitates nimis adhæres, qui Ecclesiarum vestrarum antiquitaté antiqua loquendi formula explicare nõ potuisti. Docebunt te Grammatici rectum vsum vocum *post & antequam:* tuum erat proferre, confessionem vel vnam, *post & ante annos* illos tuos *complures editam*, aut vnum certè ex omnibus vestris scriptis, quod vniuerso terrarum orbi cognitum (vt tu falsò gloriaris) fuerit. Ignorat Minister legitimũ vocum *post & antequam*, vsum.

CAPVT IIII.

MINISTER. pag. 12.

Illustre est & planè augustum verbi & Ecclesiæ Dei nomen, & ab vtrisque nostrum peræque acceptum Verbi & ecclesiæ nomina primùm sunt distinguenda.

CATHOLICVS.

Ex nominibus nomen facis. Cur verò ea confundis, quæ distinguenda sunt? Logica tua fortasſis nimis inops te subitò ὀνοματοθέτην creans tibi potestatem facit nouæ, rebus etiam antiquis imponendi nomina. *Vis Verbi & Ecclesiæ Dei nomen ab vtrisque nostrum pereq; accipi:* quod tuum de nobis iudicium, æquis animis accipere non possumus. Lubenter à te discerem, cur in explicanda Ecclesiarum vestrarũ sentẽtia *Dei verbum esse Prophetarũ*

& Apostolorum doctrinam, asseruisti. *Veteris & noui Testamenti libris comprehensam*, nunc verò teipsum vt suspicari quis posit quasi corrigens, inquis,

MINISTER. pag.12.

Verbi Christi appellatione, quin veteris & noui Testamenti siue fœderis libros, qui κατ' ἐξοχὴν Biblia appellantur, nobis sit um intelligatis, minimè dubitamus.

CATHOLICVS.

a Pag.65.& 66. Retorquetur Ministri argumentũ in auctorem.

Quid si orator aliquis obtusum illud tuum, quo in disputatione de vera Christi præsentia Catholicos te planè cõfecisse putas de [a] *continere & cõtineri* telum, oratoriis lacerris viribúsq;, in te retorqueret? Quid responderes quærenti? Si Dei Verbum est veteris & noui Testamenti libris comprehensum: quomodo verbi Christi appellatione ipsos libros intelligis? Agnosce vim tui argumenti, & contende omnes neruos, vt æquus lector, te obscuram Ecclesiarum vestrarum sententiam explanasse intelligat. Si dixeris nullam esse in Ecclesiarum vestrarum sentẽtia, à te proposita, obscuritatem, posterioremque tuã orationem à priore non differre, sophista es, quãdo nõ doctrinæ, sed ostentationis caussa, Verbi & Ecclesiæ nomina distinguenda suscepe ris. Posteriorem verò tuam orationem, qua Dei verbum *veteris & noui Testamenti libros*, priore, qua idem Dei verbum *Prophetarum & Apostolorum esse doctrinam veteris & noui Testamẽti libris comprehensam* asseris, obscuriorem esse, si Grammatices præcepta cũ Logicorum subtilitatibus coniunxisti, non inficiaberis. At nondum distinctionem perfecisti tuam,

MINISTER. pag.12.

Quidnam autem verbi non scripti siue traditionum nomine notetis, vos ipsi etiam explicatis, Rerum sacrarum monumenta per Christianorum hominum manus sine scripto tradita.

CATHOLICVS.

Minister subsidium petit ex Turnoniis Thesibus.

Cùm Verbi & Ecclesiæ nomina distinguere non potueris, quin à nostris Thesibus subsidiũ peteres, quàm rectè antea nobis orationis obscuritatem obieceris, tuipse iudicato. Certè planus, vel tuo ipsius iudicio, cõuinceris. Longum nimis esset omnes tuas fraudes & fallacias exagitare. Suscepisti Verbi, & Ecclesiæ nomina distinguẽda, susceptóque distinguendi à te muneri factum esse satis existimasti, cùm Verbi Christi ambitu non scriptas traditiones excluderes, qua in re grauiter es hallucinatus: Traditiones enim non scriptas, Dei verbum esse affirmamus.

MINISTER. pag.12.

Genus est igitur verbum, cuius sunt species duæ, & quidem ἀντιδιῃρημέναι scriptum & non scriptum.

CATHOLICVS.

Quis tè sic argumentari docuit Minister? Ex verbi Christi & traditionum

ditionum à te conficta distinctione, concludis Verbum esse genus, cùm tamen efficere debuisses, vt oratio tua sibi constaret *Verbũ Dei* aut *Christi* esse genus: At neque hoc tibi damus. Satisne sanus es, qui proptereà *Verbum Dei*, scripti & non scripti, genus esse dicis, quòd sua amplitudine vtrumque Verbum complectatur? Nunquid tuo iudicio, Euãgelium Christi domini antè Dei verbum fuit, quàm scriberetur: & iam scriptũ Dei verbum permanet? Si ergo ad tuæ Logicę præscriptum nobis necessariò argumentandum erit, concludemus Euangeliũ suipsius esse genus, quod ἀτοπώτατον & ab omni ratione alienum esse tu ipse, quamuis in Logices studiis leuiter admodum sis tinctus, facilè animaduertis. Intelligis nunc tuas Logices ostentationes, in discrimẽ esse adductas. Quia verbum Dei ἀντιστρέφει, & reciprocatur cum verbo scripto & non scripto, ac latiùs patet, quàm Verbũ scriptũ, vis Verbum Dei esse scripti & nõ scripti Verbi genus. Si obtusæ tuæ differendi spinæ nos pungerent: hominẽ albi, & non albi hominis, genus esse cõficeres. Nam vicissim retrò cõmeant, homo, & homo albus, & non albus. Mortalium enim neminem dare poteris, qui neque albus sit, neque nõ albus. Suadeo vt in Logices subtilitatibus tibi temperes, ne Rhetores, quos antea spreuisti, cum Dialecticis communiter in te impetum faciant, quem exiguæ tuarum subtilitatum copiæ ferre non poterunt. Nos Verbi Dei nomine, omnem, in qua fides nostra versatur, materiam cõplectimur, quam ante scripturam omnem extitisse, vt suspicor, non inficiabetis. Atque vt tibi omnem calumniandi aditum obstruam, quod Iosephus diligentissimus alioqui rerum explicator scribit de columnis à Setho erectis, à veritate alienum esse dices, ne præceptori tuo Bezæ repugnes, qui in oratione, quam Gebennæ habuit, cùm Gebennensium scholarum Rector crearetur, historiam hanc, inter Iudæorum fabulas numerãdam censuit, ac ne me Bezam calumniari existimes, adiiciam hominis verba, cuius elegantiam, in Gallicum sermonem ab ipsomet fortassis conuersam, agnosce.

Quid Dei verbum significet.

Antiquit. Iudaic. lib. 1. c. 2.

Sans parler des deux colonnes que Seth dressa (comme dit Iosephe) l'vne de brique, l'autre de pierre, ne de tout le reste que le mesme Autheur a escrit d'Abraham à ce propos: car ce sont choses, selon qu'il me semble, qu'il faut mettre auec les fables des Iuifs: & quant à moy ie tiens Iosephe non seulement des autheurs profanes, mais aussi ridicules & impertinens.

Sur la fin des Ordonnances de Geneue.

Cùm itaque Iosephi auctoritatem tuus præceptor nihili faciat, viam nobis dedit, qua cõcludamus Dei Verbum multis seculis ante omnẽ scriptionis vsum inter mortales viguisse. Mosem primum litteratum fuisse inuentorem probare contendit Eusebius Ethnicorum testimoniis. Sed vt de scriptionis inuentore tecum non digladiemur, profer vel vnum ex omnibus veteris, & noui Testamenti libris, præceptum ante Mosem scripto mãdatum. Legis itaque scriptio bis mil-

Lib. 9. c. 4. & lib. 10. cap. 3. præparation. Euang.

le quadringentis quinquaginta fere annis dilata est. Toto autem hoc temporis interuallo neminem fuisse, qui numinis verum ac integrum cultũ, piè, sanctéque retinuisset, si negaueris, scripti Verbi testimonio opprimeris. Lege quæ scribit Apostolus ad Heb. de fide eorum qui Legis scriptionem antecesserũt, ac disce Verbum Dei scriptum à non scripto non ex tuæ inauditæ logicæ commentis, sed ex veritatis præscripto, distinguere. Si fidem hominum sine Verbo Dei consistere posse probaueris, in logicis subtilitatibus palmam tibi facilè cõcedam, téque virum esse, qui Theologiam tam subtiliter tractes, vt quod ab omni veritate abhorret, ipsam esse veritatem probes, in posterum putabo. Quid respondebis Apostolo, qui scriptum reliquit, *Habentes eundem Spiritum fidei*? Si futuri enim, & præteriti temporis diuersitatem tollas, nihil inter veterum Patrum fidem, & nostram videbis interesse. Vnus enim Christus Dominus, omniũ Seruator vniuersis omnium ætatũ hominibus libertatem, & salutem dedit. Dices, nondum erant Prophetarum, & Apostolorum libri: & tamen eadem fides tùm erat, quam nos iam profitemur, idémque Dei Verbum. Cur tu ergo Dei Verbum ad chartarum angustias redigis? Tuo fortasis iudicio, propterea Dei Verbum membranis fuit commissum, quòd illud mortalium animi capere non potuerint: hoc si dixeris, logico aliquo argumento, vt nobis illud probes, si tibi fidem haberi vis, necesse est. Audebis ne Apostolos inertiæ, & temeritatis, condemnare, qui ante iniunctum sibi à Christo Domino docendi munus diligentissimè obierunt, quàm Euangelium litteris consignaretur? Putásne nascente Ecclesia, primos illos, qui ad Christianam religionem, Apostolorum opera, se adiunxerunt, minorem salutari Euangelij doctrinæ eo nomine habuisse fidem, quòd scripto nondum esset tradita? Cùm tu omnia ad scriptum Verbum reuocas, de Scripturarũ auctoritate plurimùm detrahis, vt suo loco videbimus. Perturbatissimum enim quem seruasti in scribendo, ordinẽ sequi cogor, ne admirabili, quo in primis polles, euoluendi, & eliciendi artificio, abuti in posterum videar. Ad Ecclesiæ vocem distinguendam Socratica logica instructus, aggrederis.

Ad Heb. c. 11.4.5. &c.

2. Cor. 4.13.

Apostolorũ opera ante Euangelij scriptionẽ, multi se ad Christi ecclesiam adiunxerunt.

CAPVT V.

MINISTER. pag. 12.

De Ecclesiæ appellatione maior est dubitatio.

CATHOLICVS.

Quòd tu de Ecclesię appellatione dubitas, non miror, cùm & ipsam ecclesiam de medio remouens, pro ea nouã Caluini synagogam εἰς ἰδέαν τὴν ἀορατὸν, ἢ ἀσώματον, quam te docuit Plato, substituere contendas.

MINISTER. pag. 12.

Ex qua altera de non scripto verbo controuersia nascitur, quũ illius, & autor, & custos Ecclesia à vobis esse dicatur.

CATH.

CATHOLICVS.

Tu nihil eiusmodi in nostris Thesibus legisti: Caluiniana fides hanc te nobis calumniam imponere docuit. Deum enim & scripti Verbi, & non scripti auctorem facimus: Quòd si tuo iudicio, ex Ecclesiæ appellatione controuersia de non scripto Verbo nascitur, omnem disserendi ordinem peruertisti, cùm antè Ecclesiæ nominis ambiguitatem tollere debuisses, quàm non scripti Verbi nomine, quid significaretur, explicares. At audiamus Socratis discipulum.

MINISTER. pag.12.

Quid ergo vocatis Ecclesiam? Christianam respondetis Ecclesiam.

CATHOLICVS.

Nósne ita respondemus? Euolue Minister Catholicorum omnium scripta, & neminem, qui sic respóderit, inuenies. Tu tibi respódes, quàm rectè, videris. Ecclesiam cum D. Augustino Catholici asserunt, Populum esse fidelem per vniuersum orbem dispersum. Quam autem habeat vim Ecclesiæ vocabulum, accuratè tractarunt Catholici scriptores. Communis consuetudo obtinuit, vt Ecclesiæ vox ad Rempub. Christianam, fideliúmque tantùm congregationes significandas vsurparetur: quamuis, si rationem nominis spectemus, Ecclesia euocationem significet, & pro concilio & concione etiam eorum, qui falsam religioné colunt accipiatur. Si hanc Catholicorum doctrinam ignoras, inertiæ & temerariæ tuæ audaciæ misereor, quòd cùm prima doctrinæ nostræ rudimenta te lateant, recondita fidei nostræ mysteria labefactare, quantùm in te fuit, sis ausus. A te verò confictam responsionem, acuto in primis argumento euertis, inquiens,

Lib. de Catechiz. rudibus cap. 3. & in Psal. 90. Conc. 2.

MINISTER. pag.12.

Nos enim (quos vobis licet hæreticos appellare) ad Christianam quoque Ecclesiam, nos pertinere affirmamus.

CATHOLICVS.

Si hæreticus es, sub Christianæ Ecclesiæ potestatem subiiceris, non minus quàm perfuga sub exercitū, quem deseruit, Christianus tamen amplius verè non eris. Multæ res ad differendum pertinent, quæ non sunt ratiocinationes (vt cum logico logicè agam) sic multi sub Christianæ Ecclesiæ imperium subiiciútur, aut, vt tuam barbariem imiter, ad Christianam ecclesiam pertinent (tuam inquam, barbariem, tibi enim non arridet quód Ciceronis, Cæsaris, & Terentij loquendi elegantiam non redoleat) qui tamen Christiani nō sunt. Ac, vt suspicor, non negabis, fidem Christianam necessariam esse, vt quis sit Christianæ Ecclesię membrum: Vna, auctore Apostolo, est fides, vnius ergo religionis tantùm cultores Christianos appellabis. Vides vt ex sententia, nostra ratiocinatio procedit. Ac ne sine auctore (vt tu facere soles) aliquid affirmare tibi videar, audi D. Cypriani, (cuius testimoniis tu contra nos abuteris) planam & perspicuam

Ephes. 4. 5.

hac de

Christianus quis ex D. Cypriano.

hac de re sententiam.[a] *Quisquis*, inquit, *ille est*, *& qualiscumque est*, *Christianus non est*, *qui in Christi Ecclesia non est*. Ac alio in loco:[b] *Non pertinet ad Christi præmia*, *qui relinquit Ecclesiam Christi*, *alienus est*, *prophanus est*, *hostis est*, *habere iam non potest Deum patrem*, *qui Ecclesiam non habet matrem*. Si vnius Cypriani, sanctissimi Martyris Christi, testimonium non satis apud te ponderis habet, ei D. Augustinum adiungã (quem præceptor tuus[c] Caluinus cæteris patribus præferre solet.) *Si diligenter*[d], inquit, *quæ ad Christum pertinent*, *cogitentur*, *nomine tenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos*, *qui se Christianos vocari volunt*, *re verò ipsa*, *non est apud eos*. Imò non grauatur repetere priorem illa sententiã Diui Cypriani, ipsius Cypriani verbis[e]. Quamuis duorum grauissimorum Patrum testimonia, viro pudenti, satis esse probè sciam, vt nobiscum sentiat, cùm tamen obfirmato nimis animo Logicæ tuæ adhærescas, verendum erit, ne vbi in Philosophia naturali, quantum Philosophi numero ternario tribuant degustaueris, antè in nostram sententiam non sis iturus, quàm tertius aliquis idoneus testis, idem, quod superiores duo, se sentire profiteatur. Qua in re ne Christiani hominis erga te officium neglexisse videar, Tertullianus tertius erit, cui si fidem habeas, Hæreticos in Ecclesiæ membris non numerabis, sic igitur ille, *Christianus non intelligendus*, *qui ab Ecclesia grege aberrauerit*. Hæreticos à grege Christi aberrasse extra controuersiam est, Aliàs enim hæretici non essent. Quæ verò ibidẽ sequuntur, nulla calumnia peruerti possunt. *Si hæretici sunt*, *Christiani esse nõ possunt*, *non à Christo habendo*, *quod de sua electione sectati*, *Hæreticorũ nomen admittunt*. Et quamuis tu *ad Christianam Ecclesiã te pertinere* affirmes, non statim conficies te Christianum esse. Nam & Anabaptistæ, quos Caluinus Hæreticos nominat, se Christianos esse contendunt. Disce, qui propter acumen tuum Logicum, maximè perspicua non perspicis, antè quid sit subtiliter disputare, quàm futiles tuas argutias nobis irridendas proferre. Rem omnẽ diligenter enodatam posteà sic exponis,

a Lib. 4. epi. 2.
b De simplicit. Prælat
c Lib. 1 instit. cap. 1. §. 4.
d In Enchir. cap. 5.
e Serm. 181. de tempore, c. 11.

Lib. de Pudicitia.

In breui instruct. aduersus errores Anabap.

MINISTER. pag. 12.

Quin explicatius etiam loquimur, quum Ecclesiam illam, de cuius agitur auctoritate, Catholicam & Apostolicam appellamus, & in illius nos esse & viuere sinu credimus & profitemur.

CATHOLICVS.

Aliud vos credere, & profiteri verbis dicitis, aliud reipsa facitis? Si in Ecclesiæ *Catholica vos esse*, *& viuere sinu creditis*, Cur Ecclesiam vestram non Catholicam, sed REF. appellatis? Cur non Ecclesiæ Catholicæ sententiam, de Verbi & Ecclesiæ Dei auctoritate excutiendam proposuistis? Quæ sit Ecclesiæ Catholicæ de fidei mysteriis sententia, facilè scire possumus, vos autem quid sentiatis, propter summã opinionum vestrarum varietatem, difficilè assequimur.

Pag. 4.

mur. Argutiarum tuarum nullum exitum reperis subiungens,

MINISTER. pag. 12.

Nondum ne est vocis ambiguitas euoluta? Romanam adiungitis, tanquam definitionis constituendæ formam, & differentiam specificam.

CATHOLICVS.

λῆρον ληρεῖς Minister, & somnia tua nobis narras: nemo est catholicorum, qui dicat *Romanam, esse differentiam specificam* Ecclesiæ Catholicæ & apostolicæ. Hoc loco, paulò altius, qua ratione Christiana ecclesia ab Hæreticorum conuenticulis distinguatur, immanis tua calumniandi nos audacia, & impudens quicquid in buccam venit, scribendi licentia, me repetere cogit. Ac primùm in ipsis Ecclesiæ primordiis [a] Discipulos & [b] Fratres fuisse nuncupatos omnes, qui Christo nomina dederant, nemo qui scripturas legit, negare poterit: Postea verò [c] Christiani proprio nomine appellari Antiochiæ cœperunt, vt hac ratione, à Iudæis distinguerentur. Postquam autem noua hæresum immanitas exoriri cœpit, Catholici cognomen sibi sumendum iudicarunt, qui in vera Christi fide constantes perstiterant: qua de re, accipe grauissimi, & antiquissimi scriptoris Paciani Barcilonensis Episcopi sententiam, *Cùm post Apostolos* (inquit) *hæreses extiterunt, diuersisq; nominibus columbã Dei, atque Reginã lacerare, & per partes scindere niterentur, cognomen suum plebs Apostolica postulabat; quo incorrupti populi distingueret vnitatem*, & paucis interiectis. *Ne æstues frater, Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor.* Si quid Catholici vocabulo significetur, discere cupis, legendus tibi erit Diuus Augustinus, ex cuius scriptis pauca excerpam, quæ tuam, in tractandis rebus Theologicis, non ferendam inscitiam, tuis sectatoribus prodent. Ac primùm, tibi Græculo, eruditissimi viri auctoritatem opponam, qui ex nominis Catholici notatione à Diuo Cypriano tradita, Catholicam ecclesiam nullis certis gentium, aut terrarum finibus definiri probat. *Quoniam* [a] *vos potius esse Catholicos testimonio beati* [b] *Cypriani affirmare conatus es, attende paululum quam Ecclesiam dixerit ille Catholicam, cùm eius defenderet vnitatem: Ecclesia (inquit) Domini luce perfusa: per totum orbem radios suos porrigit. Vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos largius expandit. Vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater fœcunditatis successibus copiosa. Quid igitur & vos ipsos fallitis, & alios fallere mendaciis impudentibus vultis? Si huius Martyris testimonio, vestra est Ecclesia Catholica, ostendite illam per orbem totum, radios suos porrigere: ostendite illam per vniuersam terram, ramos suos copia vbertatis extendere. Hinc enim & Græco vocabulo Catholica nominatur, quod enim græcè* ὅλον

Marginalia: *Act.* 6.1.2.7. 11.26. 1. *Cor.* 5.11. — a *Act.* 6.1.2.7.† 11.26. b 1. *Cor.* 5.11. c *Act.* 11.26. *Act.* 19.26. — Pacian. in epistol. ad Sympronianum Nouatianum. Christianus nomen est, Catholicus verò, cognomen. — a *Augustin. contra Gaudentium lib.* 3. *cap.* 1. b De vnitate ecclesiæ.

dicitur, latinè totum vel vniuersum interpretatur. Per totum ergo siue secundum totum καθ' ὅλον *vnde Catholica nuncupatur. Si hoc nosti, quare te nosse dissimulas? Si autem ignoras, quare non prius quàm loqueris quod nescis, eos qui norunt interrogas? Quod si displicet tibi, non græcam, sed aliquam linguam inueni, qua doceas* καθ' ὅλον *non per totum, siue secundum totum, vel secundum vniuersum significare, & recede à testimonio Cypriani. Ille namque contra te loquitur, qui vides quid dicat, per orbem totum dicit, & per vniuersam terrā porrigi, extendiq́, Catholicam, græco eius nomini ac definitioni cōsentiens.* Quæ sanctissimus hic ecclesiæ doctor Donatistis obiicit in synagogam Caluinianam optimè quadrant. Verùm tu liberè fateris Caluini ecclesiam non esse Catholicam verbis sequentibus.

MINISTER. pag. 15.

Si vos Professores Turnonij, nos esse ecclesiam Catholicam negatis, respondebimus, neque vnquam nobis in mentem venisse simile quicquā, vt vniuersalis Ecclesiæ nomen nobis propriè arrogaremus, licet firmiter credamus nos ecclesiæ Catholicæ esse membra.

CATHOLICVS.

Responde quæso Minister, si Caluini Ecclesia non est Catholica, cuius Ecclesiæ est membrum. Catholica enim ecclesia, Caluini doctinam, à fidei decretis abhorrere, atque ad turbas, & seditiones cōmouēdas, in primis idoneam esse iudicauit, Hussitæ, verò Lutherani, Anabaptistæ, Suenckfeldiani, Trinitarij, ac reliquā sectarum vestrarum genera, vos Caluinianos, tanquam exitiosa prodigia & nefarias pestes Christianæ Reip. execrantur. Quò igitur confugietis Nouam sectam partim ex confictis à vobis nouis opinionum commentis, partim ex damnatis ab hinc multis seculis, barbaris superstitionibus instituistis. Et tamen homo audacissime, Ecclesiæ Catholicæ membra vos esse te credere profiteris: Caluiniana est hæc tua fides, cuius ea est ἐνέργεια vt nihil tam monstrosè cogitari possit, quod ipsa non perficiat. Scio equidem Caluinianæ Sectæ patronos nihil prætermisisse, vt Lutheranorum sibi gratiam conciliarent: At hoc profecerunt, vt quos in Christiana Religione violanda, fraudes inexpiabiles conceperant, Posteritati proderent: seque dum Germanos, Lutheranæ superstitionis addictos, omni fraude, & perfidia fallere niterentur, omnium Sectarum odio irretirent. Caluinus religionis vestræ auctor, in libro quem anno Domini 1538. inscripsit. *Summa confessionis de Sacramentis*, Augustanam confessionem, eandem esse, cum Tigurinorum doctrina, homo impudens asserere non est veritus, quam iniuriam Lutherani non ferentes, Caluinum à mendacio stetisse certissimis argumentis docuerunt. & ipse Lutherus, in postrema sua Confessione de Cœna Domini *Zuinglianos hæreticos, & in æternū damnatos*, nō obscurè pronunciat: & in Thesi 27. ex iis quas contra Tigurinos scripsit, *Hæreticos*, inquit, *seriò censemus, &*

Caluinus mendacij à Lutheranis cōuincitur.

Lutheri de Sacramentariis iudiciū.

alienos

alienos ab ecclesia Dei: Zuinglianos, & omnes Sacramentarios, qui negant corpus & sanguinem Christi ore carnali sumi, in venerabili Eucharistia. Longum nimis esset commemorare, quoties de Caluino, Beza, eorúmque discipulis triumpharint Ioachimus Vuestphalus, Tilmānus Heshusius, Martinus Kemnicius, ac alij Lutheranę super stitionis propugnatores, quamuis furoris & petulantiæ palmam vobis concedant. Accipe paucis, iudicio Ioannis Pappi, Theologiæ Lutheranæ in Academia Argentoratensi doctoris, quibus de rebus Lutherani à vobis dissideāt. *Agitur*, inquit, *nunc inter nos, de Omnipotentia Dei, de vnione personali duarum naturarum in Christo, de cōmunicatio ne idiomatum: de corpore Christi glorioso, de Ascensione eius ad cælum, de dextera Dei, de discrimine sacramentorum veteris, & noui Testamenti, de vi & efficacia baptismi: de prærogatiua infantum natorum ex fidelibus parentibus, de Cœna Domini, de prædestinatione: De quibus omnibus articulis nemo pius, & doctrina Christiana peritus, negare potest, magnas inter nos controuersias esse. Et sanè liberè profiteor me illorum dogmata, de iis omnibus capitibus, improbare & damnare, neque hæc improbando, & damnando, culicem me cribrare puto, & camelum deuorare: sed grauibus & grauissimis erroribus; me opponere.* Hactenus Pappus. Vidésne qua ratione Lutherani vos pro fratribus agnoscere recusent. Vnde miror vehementer vestram ἀσὶλγειαν quòd tanto studio Lutheranorum amicitiā expetatis, quos probris omnibus, maledictísque vexare consueuistis: De vobis sic scribit Idem Pappus: *Ipsi, tam infestis animis, & tam atrocibus verbis, nos condemnant, vt nihil fieri possit inclementius. Vetera sunt hæc Capernaitæ, Cyclopes, Carniuori, Sanguinibibi, pistus & panaceus Deus. Noua autem elogia, quibus nos ornāt quis sine horrore cogitare, (taceo proferre) potest. Beza enim, nostra doctrina de māducatione oris, quam spirituali manducationi, (quæ etiam extra Cœnam Domini fit per fidem) opponimus, & de māducatione indignorum, sunt duo pili caudæ equinæ. Doctrina de maiestate filij hominis, est ei (ignoscat ei Dominus) excrementum Sathanæ, quo is, & nobis, & sibi penè ipsi illudit, nos ei sumus monstra non diutius ferenda Germaniæ, & iuratissimi Sathanæ homines.* Si hæc falsa tibi videntur conuince, hominem Lutheranum mendacij: sin autem vera, nulla m tibi scias cum Lutheranis esse religionis & fidei communionem. Tu Ecclesiæ Catholicæ membrum te esse affirmas, at quid Ecclesiam Catholicam appelles, nondum ex tua recondita Logica deprompsisti. Et Caluinus, pro cuius doctrina propugnas, suam hac de re sententiam sic inuoluit, vt interpres egeat interprete. *Ideo* (inquit) *Catholica dicitur, seu vniuersalis, quia non duas aut tres inuenire licet, quin discerpatur Christus.* Perinde ergo est Caluino, Ecclesiam esse Catholicam, & esse vnam. Sed vt disputationi nostræ modum faciam, cùm præsertim Thomas Stapletonus[a] vir præclara eruditione, atque doctrina re-

Lutherani de Caluino & Beza triumpharunt.

In responsione ad primū Ioan. Sturnij Antipappū.

De grauissimis fidei decretis Lutherani à Caluinistis dissidēnt.

In respon. ad primum Io. Sturmij Antipappum.

Bezana modestia in Lutheranos.

Lib. 4. Instit. c. 1. §. 2.

a Princip. fid. demonstr.

conditos synagogæ vestræ aculeos vobis planè excusserit, & fraudes vestras omnes in Ecclesia describenda, atque fallacias, sic exagitarit, vt ioculatoriam vestram ματαιολογίαν omnibus irridendam præbuerit. Pauca de voce Apostolica, vbi dixero, ad ecclesiam Romanam, quam barbaro & crudeli odio persequimini, pro virili parte contra vestras calumnias defendendam aggrediar. Ecclesiam dici Apostolicam fateris, sed appellationis reticuisti causam: non enim te latere potest, eas solas Ecclesias Apostolicas dici, quæ, aut ab Apostolis fundatæ sunt, aut cum Apostolorum Ecclesiis in fidei doctrina consentiunt. Longè itaque Caluinianæ voces, à vera Ecclesiæ Apostolicæ fide absunt, cùm Ecclesiæ doctrinæ, quæ ab Apostolis, & eorum successoribus ad hanc diem mortalibus tradita est, planè aduersentur. Audi ὦ λῷστε, antiquissimũ Tertullianũ id ipsum quod ego paucis attigi, longa & diserta oratione explicantem. *Apostoli apud vnamquamque ciuitatem Ecclesias condiderunt, ab iis autem ciuitatibus, seu Ecclesiis, ab Apostolis constitutis, traducem fidei, & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputabuntur, vt soboles apostolicarum Ecclesiarum. Omne enim genus ad originem suam censeri debet. Erunt itaque tot, & tantæ Ecclesiæ, vna illa ab Apostolis prima, ex qua omnes, sic omnes primæ & omnes Apostolicæ dum omnes vnam probant vnitatem.* Quæ sequuntur vos planè ἀστόμους, & elingues faciunt: nullus enim est, contra apertã, & dilucidam veritatem tergiuersandi locus. Cogita Tertullianum, orationis suæ fulmen, in Caluinianam sectam vibrasse. *Edant* (inquit) *origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum, ita per successiones, ab initio decurrentes, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerarint, auctorem habuerit, & antecessorem.* Ego etiam à te Caluinianæ synagogæ patrono peto, & summopere contendo, vt mihi vel vnum non dicam Episcopum, sed quemuis alium nominatim, post Apostolorum ætatem, proferas, qui omnes synagogæ vestræ errores, ante Caluinum defenderit: quod te nunquam facturum, certò mihi persuadeo. Hic tibi laborandum erit, & omnes ingenij, ac industriæ tuæ nerui adhibendi, vt me, si mentior, redarguas: Quod si non feceris, Caluinianorum ineptum fabulam, te in posterum iudicabo. Romanæ porrò Ecclesiæ nomen, ita tibi, ac tuis est inuidiosum, vt illud vnà cum Ecclesia Catholica sepultum velis: qua in re, mirabilem tuam solertiam laudo, quamuis animum probare non possim. Respice quoad longissimè potes, præteriti temporis spatium, & Ecclesiæ Romanæ, in Christiana fide, eam fuisse semper stabilitatem, & constantiam, inuenies, vt ne latum vnguem ab Apostolorum doctrina hactenus dimoueri potuerit, Hæresesque omnes sua auctoritate oppresserit, ac planè deleuerit. Romanorum inprimis fidem laudat Apostolus

Ecclesia cur dicatur Apostolica.

Tertullian. lib. de præsc. aduersus hæreticos.

Ecclesia Caluiniana Tertulliano non est Apostolica.

Apoſtolus[a]. cùm eam in *vniuerſo mundo annunciari* ſcribit: Quam *Rom.1.8.*
etiam probauerunt omnium ætatum Epiſcopi,qui in Religionis cõtrouerſiis dirimendis, Romani Pontificis iudicio ſtandum eſſe reipſa comprobarunt. Polycarpus [b]enim Chriſti martyr, Diui Ioannis *Euſeb.lib.4.* diſcipulus,ex Oriente Romam venit, vt cum Aniceto Romano Põtifice,qua ratione cõtrouerſia de Paſchate ſedari poſſet,intelligeret. *hiſt.eccl.c.15.*
Irenæus [c] quòque Lugdunenſis Epiſcopus à Romana Eccleſia, ab *Irenaus.* Apoſtolis ad ſua tempora Chriſtianæ doctrinæ continuationem *lib. 3. aduerſus hæreſes.* petit.Idem facit & Tertullianus. [d] Cyprianique[e] iudicio,ad *Romanam Eccleſiam,perfidia acceſſum habere nõ poteſt.* Tempus me deficeret,ſi omnia, quæ ad hunc locum ſpectant commemorare vellem: *cap.3.* Quare, vt te Caluini diſcipulum, præceptoris tui auctoritate conuincã,perpende, quid pij,& religioſi homines,de Romana Eccleſia ſentire debeant,cùm Romani nominis iuratus hoſtis,veritatis vi, & pondere coactus, multa honorificè, de eadem his verbis prædicet.[f] *Hoc præfari volo,me non negare, quin magnum Romanæ Eccleſiæ honorem, vbique deferant veteres,reuerentérque de ea loquantur: Quod tribus maximè de cauſis fieri arbitror. Opinio enim illa, quæ neſcio quomodo inualuerat fundatam,& conſtitutam eam fuiſſe Petri miniſterio, ad conciliandam gratiam, & auctoritatem, plurimùm valebat. Itaque in Occidente ſedes Apoſtolica, honoris cauſa vocabatur. Deinde quum illic eſſet caput imperij, & hac ratione credibile eſſet præſtantiores tum doctrina,tum prudentia, tum peritia, & multarum rerum vſu, viros illic eſſe, quàm alibi vſquam,eius rei meritò habebatur ratio,ne & vrbis nobilitas, & alia etiam Dei dona, multò excellentiora contemni viderentur. Acceſſit ad hæc,& tertium:quòd quum Orientales & Græcæ Eccleſiæ, Africana etiam,multis opinionum diſſenſionibus inter ſe tumultuarentur, hæc ſedatior aliis, & minus turbulenta fuerit. Ita factum eſt, vt pij & ſancti Epiſcopi, ſedibus ſuis pulſi, illuc ſe,veluti in Aſylum,aut portum quendam ſæpe reciperent. Nam quò minus acuto, & celeri ingenio,ſunt Occidentales Aſiaticis, & Afris,eò etiam ſunt rerum nouarum,minus cupidi,hoc ergo Romana Eccleſia plurimùm addidit auctoritatis, quòd non ita dubiis illis temporibus tumultuata eſt, vt reliqua, ac doctrina ſemel tradita fuit aliis omnibus tenacior.Has, inquam,tres ob cauſas,non vulgari in honore habita fuit,& multis præclaris veterum teſtimoniis cõmendata.*
Hactenus Caluinus,qui ſingulare Dei beneficium, Eccleſiæ Romanæ à Domino conceſſum,vt in fide conſtantiam,præ cæteris Eccleſiis ſeruaret, Occidentalium tarditati tribuit,cùm tamen Apoſtolus fidem donum eſſe Dei pronũciet. Quare vehementer miror *Epheſ.2.8.* iſtius noui Euangeliſtæ τὴν ἀπαίδευσιν, qui Eccleſiæ Romanæ in fide conſtantiam,cum Pelagianis,hominum ingenio adſcribit.

d De præſcri. aduerſus hæret.
e Lib. 1.epi.3.
f Lib. 4. Inſt cap.6.§. 16.
Præclarum Caluini de Eccleſia Romana iudicium.

Quòd verò nos Ecclesiam Catholicam appellamus Romanam, tibi absurdum videtur.

CAPVT VI.

MINISTER. pag. 12.

Hac exceptione siue limitatione, quidnā dici posit à vero aut verisimili magis alienum, id est, magis ridiculum & absurdum vos negabitis.

CATHOLICVS.

Dura tua oratio Priscianum requirit, aut Ascensium, qui ad tuū, *Id est*, adiiciat, construe sic: Opus enim habes limatulo, & politulo aliquo iudicio, vt limitationes & exceptiones, quas nobis affingis, explicet: atque vt in physicis, te non paruos fecisse progressus ostentes, Physica interpretatione nos conficere voluisti.

Pag. 12. *Qui vnam corporis partem totum corpus esse pronunciaret, non exploderetis?* Et nos vicissim responderi cupimus: num eum insanire planè iudicares, qui candorem, esse nigrorem diceret. Catholici, corporis portionem vnam, cum toto corpore non confundunt, cùm vt Ecclesiam Catholicam ab Hæreticorum conuenticulis distinguant, Romanam nuncupant, non magis quàm Apostoli
In Symbolo. qui Ecclesiam sanctam, vt eam magis illustrarent, Catholicam appellarunt. Certum enim est, nullā esse extra Christi Ecclesiam, vitæ sanctimoniam, ac sine sanctimonia Ecclesiam consistere non posse: tam ergo latè patet Ecclesia sancta, ac Ecclesia Catholica. Si ergo Catholicos reprehendis, qui vt Religionis integritatem, ab Hæreticorum tabie incorruptam seruarent, Romanam (quam vocem nulla Hæreticorum Secta ferre potest) iure Ecclesiam Catholicam appellarunt, in Apostolos (quæ tua est temeritas), incurrisse te facilè conuincemus. Cùm Ecclesiam Catholicam Romanam nuncupamus, nullis certis
Pag. 13. terminis eam describimus, neque, vt tu loqueris, *Orbem in Vrbe includimus, neque circumscribimus.* Sed Romani Pontificis, in omnem Ecclesiam, potestatem, quam à Domino accepit, profitemur. Ecclesiámque Romanam (ad quam, vt diximus, auctore Cypriano, perfidia accessum habere non potest) omnium Ecclesiarum principatum (Caluiniana synagoga nequicquam reclamante) obtinere, eiúsque, omnibus qui Christiani haberi volunt, communionem necessariam liberè & palàm prædicamus. Redargue D. Cyprianum si potes, qui perindè esse, cum Pont. Rom. & cum Ecclesia Catholica communicare his
Lib 4. epist. 2. verbis affirmat. *Scripsisti, vt exemplum earundem litterarum, ad Cornelium collegam nostrum transmitterem, vt deposita omni solicitudine, iam sciret te secum, id est cum Catholica Ecclesia communicare.* Cypriani ætate in more positum fuisse, vt Ecclesiæ Romanæ qui præsideret, Catholicæ Ecclesiæ Episcopus appellaretur ex eiusdem Cypriani verbis, nisi summa tua Minister, in Christi Ecclesiam maleuo-
Lib. 3. epist. 11. lentia, & liuor te impediret, facile colligeres: testatur enim à quibusdam

dam ab hæresi ad fidem Catholicam conuersis, Cornelium, Romanum Pontificem, Ecclesiæ Catholicę, Episcopum fuisse nuncupatum. Hunc sanè loquendi modum D. Cyprianus non reprehendit, cum tamen ipse in Ecclesia Catholica Episcopus esset; quem tu noui dogmatis ὑπερασπιστὴς tanquam impium, & ab Apostolorum doctrina alienum, exagitandum suscepisti. Quid D. Hieronymo respondebis, qui etsi linguarum perfectam esset assecutus cognitionem, ex Romana fide hominem Catholicum iudicare non est veritus? *Si Romanam (inquit) fidem suam dicit, ergo Catholici sumus.* D. Ambrosium, si audes, propterea temeritatis, & inscitiæ argue, quòd idem esse iudicârit, cum Episcopis Catholicis, & cum Romana Ecclesia communicare: De Satyro enim fratre suo, sic scriptum reliquit: *Aduocauit ad se Episcopum, nec vllam veram putauit, nisi vere fidei gratiam, percunctatusq; ex eo est, vtrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret.* Et D. August. cui vni quàm toti vestræ Sectæ, maiorem ducimus habendam fidem, Romanam Ecclesiam, & Romanum Imperium, pro totius orbis Ecclesia, & Imperio accipit, scribens: *Non solùm Episcopalia Concilia, & Apostolicam Sedem, sed etiam vniuersam Romanam Ecclesiam, Romanumq; imperium, rectissimè fuisse commotum.* Apud Victorem etiam Africanum, Romanorum nuncupatione Catholici intelliguntur. *Si gladio peremeris, incipient Romani martyrem prædicare*, inquit Iocundus presbyter Arianus, volens Theoderico Ariani Regis filio dissuadere, ne Armogastem Catholicum, morte mulctaret. Si nos propterea explodendos existimas, quòd Ecclesiam Catholicam, appellemus Romanam, vnà sanctissimos Ecclesiæ Patres, quorum non tantùm facta, sed & orationem imitari conamur, nobiscum censoriæ tuæ seueritatis nota inustos eiiciendos, atque à Christianorũ numero exterminandos iudicabis. Quod de candore & nigrore tibi proposui, optimè in vos Caluinianos quadrat, qui Ecclesiæ Catholicæ membra haberi vultis, & tamen Catholicam doctrinam, quam argumentis refutare non potestis, nugatoria vestra disserendi ratione irridere, & tanquam noui Salacones, facetiis Caluiniana licentia potius, quàm Scholarum grauitate dignis, vexare non cessatis. Vtque hanc disputationis partem concludam; quamuis Ecclesiam in Vrbe inclusam, Catholicam appellaremus, nihil contra scriptum Verbum, à nobis peccatum conuinceres. Ecclesia enim illa, in qua Romanus Pontifex præcipuè sedet, cum cæteris orbis terræ Ecclesiis, in fidei communione consociatur; quare & eo modo Catholica appellari potest, quo Christianum quemuis, propter fidei cum cæteris Christianis cõmunionem, Catholicum nuncupamus. Tolle itaque vocis ambiguitatem, & quæ obiecisti contra confictam à te Ecclesiæ definitionem, per seipsa corruent: tuámque in nos maleuolentiam, ac in disserendo non solùm miserabilem,

Ecclesiæ Romanæ Pontifex, est Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Apologia 1. aduersus Ruffinum.

Catholica & Romana fides eadē.

Orat. funeb. de excessu fratris.

De peccato Orig. lib. 2. cap. 17.

De persecut. Vand. lib. 1.

Christiani, Romani olim dicti.

Ecclesia Romana quomodo dicatur Catholica.

lem,

lem, ſed etiam irridendam ἀλογιστίαν facilè prodent. Eccleſiam Romanam grauiſsimi ſceleris accuſas, cùm eam dominatum in cæteras Eccleſias ſibi vſurpaſſe βλασφημῶς ſcribis.

MINISTER. pag. 12. & 13.

Haud quaquam hæc eſt Petri doctrina, vt vni Eccleſiæ fas ſit, non in cæteras tantùm Eccleſias imperium, ſed & Catholicæ nomē vſurpare.

CATHOLICVS.

Ecclesia Romana in alias nō vſurpauit Imperium.

Primatum omnium Eccleſiarum, Romanæ à Domino fuiſſe conceſſum, Catholici certiſsimis rationibus iampridem comprobarunt. Quem, ſi imperij nomine intelligis, rectè Romanam Eccleſiam, in omnes Eccleſias imperium habere dices. Et ſi illos ſequeris, qui *vſurpare*, idem eſſe putant ac præter ius vti, negamus Eccleſiam Romanam in alias ſibi imperium vſurpaſſe. Fraudulenta tua oratio diſtinguenda fuit, ne tu, qui perſpicua inuoluere didiciſti, nugatoriis tuis captionibus nos falleres, & à veritatis poſſeſsione dimoueres. Tuam imperij vſurpationem, arguta ratione explicaſſe tibi es viſus dicens,

MINISTER. pag. 13.

Vt cætera ex illa Catholica Romana, id eſt, vniuerſali particulari. Catholicæ Romanæ appellentur precariò, atque παρωνύμως.

CATHOLICVS.

Miniſter principiorū Logices ignarus, & ſecum pugnat.

Si quæ ſunt apud Ariſtotelem τὰ παρώνυμα legiſſes; cæteras Eccleſias à Romana non παρωνύμως, ſed ὁμωνύμως dici aſſereres. Ad hæc, cur tecum pugnas? Vis vt cæteræ Eccleſiæ Catholicæ appellentur cùm tuo iudicio, vna tantùm ſit Catholica? Reuoca tibi in memoriam, quod ſuperiore pagina de corporis parte, & toto corpore nobis obieciſti, ſi obliuioſum te dixeris, (quod malum latè patet, inter tui ordinis homines, qui idem modò aiunt, modò negant) ſententiæ tuæ repetitione, quod tibi conſuetudo peperit, malo medebor; *Eum qui vnā corporis partem totum corpus eſſe pronunciaret exploderetis?* Et tibi quid faciemus, qui multas, non tamen omnes corporis partes, totum eſſe corpus pronuncias? Quòd ſi orationem tuam, aliò quàm volebas, à me deriuatam dixeris: profer vnum, qui ex vniuerſali particulari Eccleſia, cæteras Eccleſias Catholicas Romanas appellandas ſcripſerit. Quod ſi facere non potes, noli mirari, quòd te commenti huius auctorem faciam. Leges enim hoc ſtatuunt, vt qui mendacia diuulgant, pro auctoribus habeantur, ſi crimen in alium verè tranſferre non poſſint.

L. vni de famoſ. libell. lib. 9. C. tit. 36.

CAPVT VII.

CATHOLICVS.

MAgnam Eccleſiæ Romanæ, compta illa tua oratione, te inuidiam feciſſe putas, qua ipſius in cæteras Eccleſias poteſtatem, irrides dum ſic ſcribis,

MINISTER. pag. 13.

Hanc Catholicæ Romanæ vultis eſſe auteritatem, quæ Eccleſiis per vniuerſum

vniuersum terrarum orbem variè distributis, longè, latéque dominetur, cuius iniussu, nullæ vspiam vnquam Ecclesiæ quicquam de Religionis doctrina, siue ritibus constituant, cuius denique Decreta, pro Verbo Dei habeantur.

CATHOLICVS.

Videtur publicus aliquis Gebennensium scriba, hanc tuam orationem dictasse, cum tam diligenter tibi caueas, Venusta illa tua vocum *Vspiam*, & *Vnquam* coniugatione, ne quid in te ad Romanæ Ecclesiæ odium apud omnes conflandum, Caluinianus aliquis desiderare possit: Tolle insolens & odiosum illud, quo vteris *Dominandi* verbum, ac cætera si potes, argumentis, ex Dei Verbo petitis, improba. Si quis negaret ad Hæreticorum furorem reprimendum, fideique res illustrandas, magnum habere momentum Cócilia, Pastorúmque Ecclesiæ cœtus, non tantùm rerum veterum monimenta ignorare, sed & in Spiritum Sanctum grauissimum committere scelus, facilè conuincetur. Nascente Christi Ecclesia, non antè finem accepit controuersia de lege veteri obseruanda, quàm Ierosolymis, Apostoli, coacto concilio, decretum ea de re facerent.[a] Mótanistarum, Nouatianorum, Manichæorum, Arianorum, Hussitarum, Lutheranorum ferocitatem concilia ritè instituta compescuerunt, audaciámque fregerunt. Neque Caluinus (qui & Spirituisancto[b], & Apostolis[c], præscribit) conciliorum omnium authoritatem aspernari audet: *Priscas*,[d] (inquiens) *illas synodos, vt Nicenam, Constantinopolitanam, Ephesinā primam, Chalcedonensem ac similes, quæ confutandis erroribus habitæ sunt libenter amplectimur reueremurq́, vt sacrosanctas, quantum attinet ad fidei dogmata: nihil enim continent, quàm puram & natiuam scripturarum interpretationem, quam sancti Patres spirituali prudentia, ad frangendos Religionis hostes, qui tunc emerserant acommodarunt.* Quorsum hæc, dices, de conciliis? Vt probem magnam esse Pontificis Romani, in vniuersam Ecclesiam auctoritatem, cuius iniussu, neque Concilia cogere licet, neque Conciliorum placita, pro fidei decretis antè recipere, quàm ipsius auctoritate firmata fuerint. Priscas namque illas Synodos (quas Caluinus, se amplecti & reuereri profitetur) Romani Pontifices, auctoritate diuinitus sibi concessa, confirmarunt. Concilium primò Nicenum, à Syluestro summo Pontifice confirmationem & postulauit[e], & impetrauit,[f] verba concilij sunt: *Quicquid constituimus in Niceno Concilio, precamur vestri oris consortio confirmetur.* Cùm autem, Syluestro iam mortuo, Arianorum furor nondum consedisset,[g] Iulius primus, idem rursus Conciliū approbauit. Patres deinde Synodi Constantinopolitanæ Damasum his verbis, vt cōsentiat, rogant[h]. *His rebus omnibus tanquam legitimè secundum Ecclesiæ canones constitutis obsecramus vestram sanctitatē vt consentiat.* Damasúmque, eandem Synodum confirmasse auctor est Photius Patriarcha Constantinopol.[i] De Ephesina verò Synodo

a *Act. 15. 28. 29*
b *Lib. 4 inst. cap. 8. §. 8.*
c Ibidem.
d *Lib. 4. insti. cap. 9. §. 8.*
Caluinus quatuor generalia Concilia probat.
Iul. 1. in epist. ad Orient.
e *Epi. Concilij Niceni ad Syluestrum.*
f *Epi. Syluest. ad Cōcilium.*
g *In tomo. 1. Concil.*
Romani Pōtifices 4 primo Cōcilia generalia cōfirmarūt.
h *Tom. 1. Con.*
i *Epi. ad Michaëlem, Bulgar. princip.*

ſcribit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, pro Romano Pontifice Concilij præſes quòd Cæleſtinus Papa, *Scripſerit conſona Sanctæ Synodo, & omnia illius geſta confirmauerit.* Chalcedonenſis item Synodus à Leone Romano Pontifice longiſsimis litteris confirmationem efflagitauit. *Rogamus* (inquiunt Concilij Patres) *& tuis decretis noſtrum honora iudicium, & firmitas tua filiis, quod decet adimpleat.* Omnia verò Synodi huius dogmata Leonem confirmaſſe, teſtis eſt ipſe Leo dum ait, *Quòd Imperator, ad omnes Epiſcopos Chalcedonen. Concilij, me ſcripta dirigere voluit, quibus quæ illic de fidei ſunt regula definita firmarem, libenter impleui, ne fallax cuiuſquam ſimulatio, ſententiam meam habere vellet incertam.* Diſce ex his, Caluini Miniſter, quantum ſemper fuerit Pontificis Romani, in Chriſtiano orbe τ πρ.. εἶστ, & auctoritas, ſine cuius conſenſu, neque Concilia cogi, neque coacta, firmam, & ratam in fidei rebus ſententiã pronunciare potuerunt. Poſſem, ſi inſtituta breuitas me feſtinare non cogeret, multa proferre Concilia, quæ aut renitente Pontifice Romano coacta, in fœdiſsimos ſunt prolapſa errores: Aut certè, quæ ipſius conſenſum cum obtinere non poſſent, nullum apud Chriſtianos auctoritatis pondus habere potuerunt. Nam Carthaginenſe Cõcilium, (cui præfuit D. Cyprianus) poſteritati documentum fuit, ne renitente Pontifice Romano, cœtus vllus Epiſcoporum, quantumuis vel vitæ ſanctimonia, & doctrinæ laude excellentium, de fidei rebus iudiciũ ſuum interponat. Et Concilium illud Carthaginenſe tertium, quod nobis [a] Caluinus contra ſummi Pontificis auctoritatem obiecit, Innocentij primi iudicio decreta ſua omnia detulit. *Statutis* ([b] inquit) *noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas:* Cui reſpondens Innocentius ait: [c] *Patres olim non humana, ſed diuina decreuiſſe ſententia, vt quicquid de diſiunctis, remotiſq; prouinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, quàm ad illius Sedis notitiam perueniret, vbi tota eius auctoritate, iuſta qua fuerit pronunciatio firmaretur.* Quam reſponſionẽ D. Auguſtinus mirificè probauit his verbis, *Ad omnia nobis ille reſcripſit, eodem modo quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem.* Quòd autem Eccleſiæ Romanæ decreta pro verbo Dei habeamus tibi ridiculũ videtur. At D. Athanaſius definitionem concilij Nicæni de Filio Patri conſubſtantiali, *Verbum Domini permanens in æternum,* appellare non dubitauit. Cõcilium verò Nicænum, vt apud omnes firmum eſſet, Romani Pontificis auctoritate (vt ſupra docuimus) confirmandum erat. Suo etiam loco plura adferemus Conciliorum decreta, quæ tu à Dei verbo, ſine ſumma impietatis nota, non excludes. Venio ad præclaram illam tuam orationem, in qua neque caput, neque pedes inuenio.

Tom. 2. Cõcil.

Epiſt. ad Pulcheriam Auguſtam.

Iulius. 1. epiſt. 1. 3. q. 6. cap. dudum.

Concilia ſine Pontificis Romani auctoritate coacta errarunt.

a Lib. 4. inſt. cap. 7. §. 2.

b Apud D. Auguſt. epiſt. 90.

c Inter epiſt. D. Auguſt. Epiſt. 91.

Epiſt. 106.

Epiſt. ad Africanos.

CAP

CAPVT VIII.

MINISTER. pag.15.

Πρωτοκαθεδρίας, *Id est, primatus dignitatem, quantumlibet omnibus donorum generibus illustrium Ecclesiarũ, Catholica communioni repugnare, ipse docuit Petrus, (cuius cathedram nullo iure legitimo Ecclesia Romana sibi vendicauit) dum Presbyteros alloquens, seipsum illorum συμπρεσβύτερον, atque collegam esse profitetur.*

CATHOLICVS.

Dic, amabò, qui te in Græcis versatũ profiteris, vbi πρωτοκαθεδρίαν Primatum significare inuenetis? Quæ deinde sequuntur indigent Alcēsio. Quæso vt orationem tuam ritè constructam (vt cum Grammatico Grammaticè loquar) ad nos remittas, vt certã aliquam ipsius intelligentiam consequamur. Logica tua ratiocinatio respondet Grãmaticæ tuæ cõcinnitati: *Primatus dignitatem* (inquis) *Catholica communioni repugnare docuit Petrus, dum Presbyteros alloquens seipsum illorum συμπρεσβύτερον atque collegam esse profitetur.* Quod se Petrus presbyterorũ collegam appellarit, nusquã inuenio. Noli, quæso, pro tua libidine aliquid Verbo Dei προσάπτειν. Sed ad rem. Si perfecisses argumentũ ex Logicorum præscripto, tibi facilè respondissem ex eorundem decretis. Voluisti nos tua Caluiniana Logica fallere. Nemo nostrum dubitat, quin D. Petrus fuerit συμπρεσβύτερος, id est, (vt vulgata Bibliorum editio habet) consenior: At inde non cõcludes, nullum esse in Ecclesia primatum. Nunquid Christus Dominus discipulos suos sæpe Fratres appellat? Confice inde cum tua Logica, Christum Dominum in omnem Ecclesiam principatum nõ habuisse, nec ἀρχιποιμένα fuisse. Sic quia D. Petrus non solus fuit Episcopus (alioquin alij non essent Episcopi) se συμπρεσβύτερον τῶν πρεσβυτέρων esse scripsit. Et quamuis Episcopi omnes Ordinis sacramento sint pares, est tamen inter eos gradus & dignitatis distinctio. Metropolitani enim maiores sunt Episcopis quibus præsunt, & Pontifex Romanus omnium Episcoporum est maximus. Nondum perficere potuisti quod volebas: quare eundem summi Pontificis principatum Apostoli Petri testimonio conuellere conatis,

Minister verba græca imperitè vertit.

Minister aliquid sacris litteris adiicit.

Matt. 12. 49. † 28. 10. Ioan. 20. 17.

MINISTER. pag.13.

Vnumq́, summum Pastorem, id est, ἀρχιποιμένα *Christum agnoscens* (Petrus) *disertè vetat, ne quis in Catholica Ecclesia communione aduersus particulares Ecclesias dominatum vsurpet.*

CATHOLICVS.

Adscribam ipsius Apostoli verba, vt discrimen ipsius veritum ab omnibus desertius intelligatur μηδ᾽ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, Id est, neque vt dominantes cleris: Si tibi perspecta est vis vocis τοῦ κατακυριεύειν, ignorationem tuam prodis, hunc locum nobis obiiciens. Nemo est enim Catholicorum, qui Romanum Pontificem *1. Pet. 5. 3.*

Rom. Pont. in Christianos potestas non est tyrannica.

tyrannicam, in Christianos vsurpasse potestatem asserit. Ratione præpositionis κατὰ, vox κατακυριεύοντες significat vsum tyrannidis, seu dominatus tyrannici. Vetat ergo D. Petrus Episcopos, in clerum, id est, populum Christianum, qui ipsis veluti sorte obtigit, dominari, & tyrannidem exercere. Verùm vt ad tuam parenthesim redeam, *Cuius Petri Cathedram nullo iure legitimo, Ecclesia Romana sibi vendicauit*, Multa dicis Minister, quæ probare non potes. Romanum enim Pontificem in Petri Cathedra legitimo iure sedere, summa est totius Antiquitatis consensio. Nam in primis, si D. Hieronymo fidem habes, errorem hunc tuum depones, qui ad Damasum his verbis scribit: *Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram, ædificatam Ecclesiam scio.* cum D. Hieronymo sentit & D. Augustinus, qui Donatistarum furorem, Pontificum Romanorum successione repressit. *Numerate* (inquit) *vel ab ipsa Petri sede, & in illo Patrum ordine quis cui successit, videte.* Atque his antiquior D. Cyprianus, Nouatianos (contra quos disputabat) ad Petri Cathedram vocat, vt in vnitatem Ecclesiæ se recipiant, cùm ait, *Qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri (super quam fundata est Ecclesia) deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Et alio in loco appellat, Cornelij, tum Romani Pontificis sedem, *Petri Cathedram, & Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est.* Si trium sanctissimorum Ecclesiæ Doctorum testimonia te commouere non poterunt, vt falsam de Romana Ecclesia opinionem relinquas, frustrà in aliorum, qui idem planè senserunt, sententiis adscribendis laborarem. Obscura orationis tuæ ἢ ἀφροσύνη, mihi plus negotij facessit, quàm omnia tua argumenta, quæ prorsus inania sunt, atque ἀσθενῆ.

Pontifex Romanus in Petri cathedra sedet Hieron. de Romani Pont. cathedra iudicio. *August. in Psal. contra partē Donati.* Cyprian. vocat nouatianos ad Petri Cathedram. *Cyprian. lib. de vnitate Ecclesiæ. Idem lib. 1. epist. 3.* Romani Pont. sedes est Cypriano Petri Cathedra, & Ecclesia principalis.

MINISTER. pag. 13.

Quidnam hodie ex eiusdem illius veritatis regula, iis edicturum Petrum credibile est, qui Catholicæ nomen proprio quodam iure sibi vendicarent?

CATHOLICVS.

Quid ais doctissime ἀγράμματε? Animus tuus in patinis erat fortassis, dum hæc scriberes. Quid enim monstri tua luculenta oratione nobis parias, non assequimur; *Ex eiusdem illius veritatis regula.* Quam regulam anteà nominasti? Quorsum cócinna hæc tua pronominum *Eiusdem illius* copulatio spectat nō video. Dum nimis ornatè scribere conaris, obscuritatis inuolucris omnia inuoluis, *Qui Catholicæ*, inquis, *nomen:* Vereor ne tua oratio parum sit Catholica, Scio apud veteres Ecclesiasticos scriptores, vocem *Catholicæ*, sic nonnunquam vsurpari, vt sine omni adiectione, cum Ecclesia Christiana reciprocetur, nomini̇sq; substantiui (vt Grámaticè loquar) naturā induat. Hoc tibi anteà cognitum fuisse dices, sed nemo

Ministri oratio obscura. *August. de vera Relig. cap. 7.* Vsus vocis *Catholicæ* apud veteres.

nemo credet te eorum voces vsurpare, quorũ doctrinã non sequeris.

CAPVT IX.

CATHOLICVS.

RHetores postea, quorum disserendi morem anteà exagitasti, admirabili sanè artificio imitaris.

MINISTER. pag. 15.

Mittimus ea quæ à nostris hominibus, opportunè in hoc argumento afferri solent, Petrúsne fuerit Romæ, ibi ne docuerit, & passus sit, &, si ita sit, idcircóne consequatur Romanæ Ecclesiæ primatum in cæteras Ecclesias deberi, quæ tamen si à nobis reponerentur, vestra eam be sæpius repetita, id à nobis meritò extorqueret.

CATHOLICVS.

Pergratum puto Symmystis tuis fecisses, si hanc tuam venustam orationem in extremas terrarum oras misisses. Parũ enim hoc loco opportuna est, cùm in Thesibus nostris, (quas exagitandas suscepisti) ne verbum vnum de D. Petro legeris. Sed hoc tuis παρέργοις condonamus. Quatuor sunt de quibus dubitas, an nimirum D. Petrus Romæ fuerit, an Romæ docuerit, an Romæ mortem pro Christo obierit, seu (vt tu loqueris) *passus sit*, & an propterea sequatur Ecclesiam Romanam omnium esse Ecclesiarum principem. Si nominasses vestros homines qui his de rebus opportunè, tuo iudicio, disputarunt, magnam apud nos gratiam iniuisses. Quòd si in Caluini sententia te conquiescere dixeris, eius (si quis in te pudor sit) efficiam vt te pudeat. Caluinus quibus potest argumentis, D. Petrum Romæ non fuisse contendit, summa tamen Ecclesiæ Doctorum consensione conuictus, ait se [a] *non pugnare quin Romæ mortuus fuerit.* Hæc est Caluiniana Logica, rem apud omnes certam, & testatam in dubium vocare. In qua te optimè exercitatum profiteris, cum tua de quatuor illis iam commemoratis capitibus prætermissione. Dubitat itaque Caluinus in suis Institutionibus an Petrus Romæ mortuus fuerit. At aliis in locis negat Petrum Romæ fuisse. [b] *Multi*, inquit, *ex veteribus Romam, ænigmaticè Babylonis nomine putarunt notari, hoc commentum Papistæ libenter arripiunt, &c.* Cur hoc cõmentum Caluini credibile sit, discipulis suis reliquit explicandũ. Catholici verò quin Petrus Romæ & fuerit, & docuerit, & mortuus sit ibidem nunquam dubitauerunt. Rectè ergò à te prætermissa sunt, quæ à vestris hominibus in hoc argumento afferri solent. Tricæ enim sunt, & Apinæ: Nos autem cõtra tuæ Sectæ Auctores tibi omnẽ Antiquitatem opponimus. Ac primò, Clementem Romanum Diui Petri discipulum, quem nugarum vestrarum agmina deterrere non poterunt, quin pro veritate contra vos testimoniũ dicat, sic Diuum Petrum loquentem faciens. *Romam cùm venisset* Simon Magus, *in Theatrum meridie & in quadã die prodisset, iussissetque suis operis vt me quoque in Theatrũ raperent, premittebat se per aërem volaturum.*

Minister extra rem agit.

Caluin. non negat Petrũ Romę fuisse.

[a] *Lib. 4. insti. cap. 6. §. 15.*

[b] *In 1. Pet. 5. 13. & in c. 2. ad Gal. 7.*

Caluinus in veteres iniuriosus.

Clemẽs lib. 6. de constitut. Apost. cap. 9.

Petrus Romæ fuit.

cum verò cunctis,promissi huius expectatione suspensi tenerētur, iamq́, à dæmonibus in altum sublatus Simon sublimis per aerem volaret, dicens se in cœlum ascendere,vt inde bona ipsis suppeditaret, cūctiq́, qui astabant,illum tanquam Deum concelebrarent. Ego manus in cælum pariter cum mente tendens,Deo supplicabam,vt illam pestem per Filium suum Dominum nostrum rumperet, & vires dæmonum (quibus ad fallendum, & perdendum homines, vtebatur) amputaret &c.

Ac ne fortè in vno Clemente omne sententiæ nostræ præsidium collocasse tibi videamur,non grauabor aliorum Patrum testimonia adiicere,vt omnes intelligant opportunè à te prætermissa, quæ tui ordinis homines,in suis libris nugati sunt. Irenæus Ecclesiæ Romanæ originem ad D.Petrum & Paulum reuocat: *Maximam* appellans *& antiquissimam & omnibus cognitam, à gloriosissimis duobus Apostolis,Petro & Paulo Romæ fundatam,& constitutam Ecclesiam.* Responde D.Irenæo, Minister, qui Romanam Ecclesiam contemnis,cúmque ὤ τις ἐςί σοι λόγος ἄκυρος extrasse,conuince,& cùm Romanam Ecclesiam Petrus & Paulus fundarint,ac constituerint: nullus est dubitationi locus relictus,quin vterque Romæ fuerit. Ac ne vllum in te scrupulum residere, hac de re patiar, accipe aliud præclarum eiusdem Doctoris testimonium. *Cum Petrus & Paulus Romæ* (inquit) *euangelizarent & fundarent Ecclesiam.* Explica nobis quid sit Romæ euangelizare. Reuoca ad ratiocinationem aliquam, Irenæi sententiam,& conclude Petrum Romæ non fuisse, quod si feceris,te Caluinianorum coryphæum iudicabo: sin minus, agnosce τὸ ἀνθαδὲς σου, & temeritatem,quòd in dubium vocare ausus sis,rem apud omnes notam,& illustribus Antiquitatis testimoniis, à multis contra vestros clamores, iampridem confirmatam. Tertullianus etiam,cùm D.Petrum, & Romæ fuisse scribit,& pro Christo sanguinem ibidem fudisse, luculentam vobis infligit plagam, cuius cicatricem,nulla tēporis longinquitas poterit obducere,dum sic scribit: *Si Italiæ adiaces,habes Romam,vnde nobis quoque auctoritas præstò est. Felix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli, cum sanguine suo profuderunt vbi Petrus, passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus,nihil passus est,in Insulam relegatur.* Vidésne quàm opportunè Caluiniani tui dubitent an Petrus Romæ fuerit,ibidem docuerit, & mortuus sit, cùm Tertullianus scribat Apostolos Petrum & Paulum, Ecclesiæ Romanæ, totam suam doctrinam cum sanguine suo profudisse? Effice oro cū tua Logica,vt qui sanguinē profundit, nihil patiatur,& à vestro mendacio, stare Tertullianū non inficiabimur. D.Cypr. vt suspicor, nō repugnabis,cuius testimoniis,(vt suo loco videbimus) contra nos abuteris. Sic igitur ille: *Post ista adhuc insuper Pseudoepiscopo sibi ab hæreticis cōstituto, nauigare audent,& ad Petri Cathedram,atque Ecclesiam principalem,vnde vnitas Sacerdotalis*

Iren. lib. 3. aduersus hæreses c. 3.
Ecclesia Romana ab Apostolis Petro & Paulo fundata.
Irenæus Ecclesiam Romanā prædicat.
Petrus Romæ docuit.
Irenæus lib. 3. cap. 1.

Tertul. de præscript. aduersus Hæreticos.
Petrus Romæ sanguinem suum profudit.

Cyprian. lib. 1. epist. 3.
Qui ex Africa Romam nauigabant, ad Petri cathedram ibant.

dotalis exorta est, à Schismaticis & profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. Si Petri Cathedra, Romæ est, fuit ergo aliquando Romę Petrus. Expecto à te singularem aliquam verborum D. Cypriani interpretationẽ. Nam qua ratione argumentationem meam enerues non video, nisi fortè cum Rabbinis vocis (cathedræ) ambiguitatem nobis obiicias. Quem historicum Eusebio Cæsariensi oppones, qui D. Petrum, & Romæ fuisse, & ibidem in crucem actum, tanquam rem notissimam posteritati his verbis prodidit, *Sub ipso Claudij imperio, Dei prouidentia fortem, ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum, propter virtutis amplitudinem facilè principem, Petrum, Romam versus ad Simonem Magum: delendum quasi manu deduxit.* Alio item in loco, *Paulum Romæ Nerone regnante securi percussum, & Petrum etiam suffixum cruci historiarum monumentis proditum est. Quinetiam insignis, ac testata Petri & Pauli inscriptio, quæ in cœmiteriis Romæ, ad hoc vsque tempus manet, huius rei gestæ fidem facit.* Tu veterum monumenta, insignésque, ac testatas Apostolorum ἐπιγραφὰς, planè contemnis Minister, vt cum Caluino tuo rem, quæ ambiguitatem nullã habet, in dubium voces: Ac tandem, si dubitationibus vestris certum non præscripseritis modum, an Roma sit Roma dubitabitis. Audebísne barbariem tuam, cum Christiani Ciceronis eloquentia conferre? Reprehende doctissime Pyrrhonie, Lactantij disertam orationem qua Petrum Romæ & docuisse, & à Nerone interemptum fuisse non obscurè ita commemorat, *Christus decedens, aperuit Discipulis suis futura omnia, quæ Petrus, & Paulus Romæ prædicauerunt, & ea prædicatio in memoriam scripta permansit:* & paucis interiectis: *Cùm eos Nero interemisset, Iudæorum nomen, & gentem Vespasianus extinxit, fecítque omnia quæ illi futura prædixerant.* Lactantio ætate quidem inferior, at doctrinarum varia eruditione, & vitæ sanctimonia longè superior Diuus Hieronymus, testimonio suo τὴν ἐποχὴν vestram omnem dispellit, cùm Catholicorum sententiam ad hunc modum confirmat. *Simon Petrus Princeps Apostolorum post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit. Ibique vigintiquinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum, hoc est, decimum quartum Neronis annum, à quo & affixus cruci martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuato, asserens se indignum, quòd sic crucifigeretur vt Dominus suus.* D. Ambrosius etiam, qui vesanam Arianorum rabiem sæpius fuit expertus, cùm Ecclesiam Dei prouidentia regi, & gubernari, probaret illustri, & Mediolanensibus notissimo D. Petri facto in oratione publica (quam ad eos habuit de constantia retinenda) omnem dubitandi ansam vobis præcidit. *Petrus*, inquiens, *victo Simone cùm præcepta Dei populo seminaret, doceret*

Euseb. Cæs. lib. 2. hist or. Eccles. c. 13.

ibidem c. 24.

Lactant. de vera Sapientia li. 4. c. 21. Nero Petrũ & Paulũ interemit.

Hieron. in Catalogo script. ecclesiastic. Petrus Romam iuit vt Simonẽ Magum expugnaret. D. Petrus inuerso capite cruci affixus est Romæ. *Idem refert Hegesipp. lib. 3. histor. c. 2.*

Ambros. li. 5. epistol. Orat. in Auxentiũ.

castimo

castimoniam, excitauit animos Gentilium, quibus eum quærentibus Christiana anima deprecata sunt, vt paulisper cederet: & quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, vt ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, Vrbémque ingredi, ait, Domine quo vadis? Respondit Christus, Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem, diuinum pertinere responsum: Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione suscepta mortis exuerat. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo. Intellexit ergo Petrus, quòd iterum Christus crucifigendus esset in seruulo, itaque sponte remeauit, interrogantibus Christianis, responsum reddidit, statimq́ correptus, per crucem suam honorificauit dominum Iesum.

Christus occurrit Petro ad vrbis Romæ portam.

Hanc ipsam historiam luculenter, vt vides, explicatam à D. Ambrosio, narrat & grauissimus auctor Hegesippus. Quò te vertes, vt de re certissima, meritò te dubitasse nobis probes? Si nullum haberemus Antiquitatis testimonium litteris mandatum, Romani populi consensus, ac monumenta Antiquitatis quæ Romæ vel nunc visuntur, D. Petrum & Romæ fuisse, & Christianorum consilio, dum in fugam se daret, à Christo Domino vt rediret monitum, ac tandem in crucem actum, mortem obiisse, contra vestram ἀπιςίαν & proteruitaté abundè nobis probarent. Latet vos fortè nouos homines, quod Donatistis hostibus Ecclesiæ Romanæ, probè cognitum & perspectum fuisse ex Optato Mileuitano cognoscimus, dum eorum patronum graui hac oratione alloquitur. *Negare non potes, scire te in vrbe Roma, Petro primo, Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus.* Extrema tua impudentia, me longiorem facit quàm volebam: Crambem nō es ausus denuò coquere, ne tibi exedenda esset: At ab aliis coctam in guttur tuum ingeram., vt eius suauitatem velis nolis deguftes. Orationis D. Chrysostomi festiuitatem aures tuæ (modo planè stupidus non sis) refugere non poterunt. *Piscator*, inquit, *Petrus, quoniam virtutem est persecutus, & ciuitatem maximè regiam occupauit, etiam post mortem resplendet sole clarius.* Gebennensem ciuitatem, quam vos vestræ sectæ Regiam fecistis, à D. Chrysostomo, hoc loco intelligi, logico aliquo argumento nobis persuade. Extant præterea duæ D. Chrysost. orationes Græcæ Geneuæ nuper excusæ, Bibliopolæ Lugdunensis sumptibus, in quarum priore, quæ D D. Petri & Pauli laudationem continet, hæc ita leguntur: *κεκοίμηνται δὲ (πέτρος καὶ παῦλος δηλονότι) ἐν τῇ μεγαλοπόλει ῥώμῃ τῇ ἀρχαίᾳ μηνὶ ἰουνίῳ εἰκάδι ἐννάτῃ, ἐπὶ νέρωνος τοῦ ἀνομωτάτου βασιλέων ἀναιρεθέντες.* In posteriore verò, quæ duodecim Apostolorum encomium cōtinet, hæc referūtur, *πέτρος ἐντεῦθεν μαθητεύει τὴν ῥώμην, παῦλος ἐκεῖθεν ἐυαγγελίζεται κόσμον.* hæc Chrysostomus, quæ Latina non faciam, vt tu qui Græcæ linguæ

Hegesipp. lib. 3. hist. cap. 2.

Optat. Mileuit. lib. 2. de Schismate Donatistarū.

Chrysost. in Psal. 48.

cæ linguæ cognitionem tibi arrogas, Symmiſtis tuis ἀναλφαβήτοις οὖσι, ea poſsis rogatus exponere. D. Auguſtinus, acumen veſtrum non reformidabit, qui ſæpius de infeſtiſsimis Hæreticis triumphauit. Perpende ergo, ſi quid in ipſius oratione cum veſtra ſententia repugnans inueneris. *Iouem ſe credi volebat* (Simon Magus) *Mineruam verò, meretricem quandam, Selenem, quam ſibi ſociam ſcelerum fecerat, imaginéſque & ſuam & eiuſdem meretricis diſcipulis ſuis prabebat adorandas, quas & Romæ tanquam Deorũ ſimulachra, auctoritate publica conſtituerat. In qua vrbe beatus Apoſtolus Petrus, eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit.* D. Auguſtini teſtimonio, D. Petrus Romæ diuina virtute, Simonem Magum extinxit, Caluini tamen patrono, prætermittenda erant, quæ à Caluinianis in hoc argumento opportunè afferri ſolent.

Auguſt. lib. de hæreſibus ad quod vult Deũ hæreſi. 1. Idem fert habet D. Ireneus lib. 1. aduerſ. hæreſ. cap 20.

D. Petrus Romæ extinxit Simonẽ Magum.

Quæ ſequuntur à D. Auguſtino tibi dicta exiſtima. *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſsimo martyrio coronare, cui Eccleſiæ præſidentem beatum Innocentium, ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes.* Caluinianis laqueis adeò conſtrictus videris, Miniſter, vt neque D. Auguſtini, neque alterius cuiuſpiam præſidio, iis eximi te poſſe exiſtimem. Patere tamen, vt cum D. Auguſtino te paucis interrogem. *Cathedra tibi quid fecit Eccleſia Romana, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet?* Tibi certò ſcio vehementer diſplicuiſſe quòd Caluinũ Eccléſia Romana in Hæreticorũ numerũ adſcripſerit: At ſi ſapis, Caluinianos errores, quibus imbutus es (fortaſsis, antequàm per ætatem, verum à falſo poſſes diſtinguere) libenti animo reiicies: ac ad Eccleſiam Catholicam (extra quam nulla eſt ſalus) te primo quoque tempore adiunges: Quod vt facias, vel hoc, te maximè mouere debet, quòd Caluinianæ doctrinæ, tam infirma videas eſſe fundamenta, vt leuiſsima ratione conuellantur.

Auguſt. Contra Iulianum Pelagianum lib. 1. c. 2.

Auguſt. Contra litteras Petiliani lib. 2. cap. 51.

Vt Auguſt. tempore Anaſtaſius, ſic hodie Greg. XIII. in cathedra Petri ſedet.

Caluinianæ doctrinæ fundamenta infirma.

Si verò Caluinum obſtinato animo defendere perſeueraueris, Chriſtianæ Religionis capitalem hoſtem, Oroſij grauiſsimi & antiquiſſimi hiſtorici teſtimonio, te eſſe conuincam; qui neminem, ſuæ memoriæ Ethnicorum inueniri exiſtimauit, qui ciuilẽ bellum à *Furio Camillo Scriboniano* excitatum, propter aduentum D. Petri in Vrbem, naſcentémque Romanam Eccleſiam, fuiſſe extinctùm inficiaretur. Cuius hæc verba ſunt, *Exordio, regni eius* (Claudij) *Petrus Apoſtolus Domini noſtri Ieſu Chriſti Romam venit, & ſalutarem cunctis credentibus fidem; fideli verbo docuit, potentiſsimiſq; virtutibus approbauit, atque exin Chriſtiani; Romæ eſſe cœperunt:* & paulò pòſt: *Triſtius ac pernicioſius vrbi Romæ nihil vnquam fuiſſe, quàm bella ciuilia ſatis notum eſt. Itaque propter aduentum Apoſtoli Petri, & tenera Chriſtianorum germina, vix dum pauca ad ſanctæ fidei profeſsionem erumpentia, hanc exorientem tyrannidem; & conſurgens illud ciuile bellum neget quiſquam diuinitus eſſe compreſſum, qui pra-*

Oroſius lib. 7. hiſtor.

Quo tẽpore auctore Oroſio D. Petrus Romam venit.

Ciuile bellũ propter aduentum D. Petri in vrbem compreſſum.

teritis temporibus de compressione bellorum ciuilium simile probant exemplum. Noli quæso, dum infenso nimis animo Ecclesiã Romanã insectaris, honorem Deo, pro summo in Romanam Rempublicam beneficio, debitum detrahere, ne Ethnicis, qui à Christiano nomine abhorrebant, mentiendi licentia superior inueniaris. Tu fortasse non contentus, tam multis grauissimorum virorum testimoniis, ad scriptum Dei Verbum nos vocabis; ex quo vt aliqua certa ratio eruatur, qua D. Petri in Vrbem aduentus confirmari possit, te in primis cupere dices: Tibi morem geram, & Verbi scripti testimonio, cum aliis Catholicis, qui ante me feliciter in eodem sunt argumento versati, Catholicam sententiã confirmare conabor. Si ipsum D. Petrum controuersiæ fecero iudicem, non grauatè, vt suspicor, ipsius sententiæ assentieris: Et quamuis sciam, te insignem esse artificem corrumpendi aliorum sententias, orationis tamen, qua vtitur Apostolus, ea est perspicuitas, vt tu Caluini discipulus, quin in Symmystarum tuorum offensionem incurras (qui ex hoc D. Petri testimonio Romanam vrbem, esse Babylonem contendunt) eam peruertere nequeas. *Salutat vos* (ait [a] D. Petrus) *Ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Si Babylonis nomine Romanam vrbem hoc loco intelligi negaueris, conuince Verbo scripto ex alia Babylone, D. Petrum hanc Epistolam scripsisse. Certè Papias Hieropolitanus Episcopus, Eusebius, & D. Hieronymus Romę eam scriptam esse, Babylonisque nomine Romam significari cõtendunt. Probat etiam Franciscus Turrianus noster eiusdem Verbi testimonio contra Sadeelem, D. Petrum Romæ fuisse. Constat enim tum ex Epistola ad Romanos, [b] tum ex Actis [c] Apostolorum in Vrbe, antè multos, Christo nomina dedisse, quàm D. Paulus ad eam vinctus mitteretur: quos D. Petri studio, & labore, veritatis lucem aspexisse nemo inficiabitur, nisi qui ab alio eo antiquiore, Ecclesiam Romanam fundatam probet. Ex his, facilè quiuis perspicier, quàm opportunè quæ à vestris hominibus de hoc argumento afferri solent, silentio prætetieris: Sunt enim (vt aliàs dictum est) nugæ planè aniles. Caluini argumentationes vna negatione nituntur, quia Apostolus Paulus, non nominat in suis Epistolis D. Petrum: & D. Lucas in Actis ipsius mentionem non facit, propterea eum Romæ nunquam fuisse concludit. Si quis nostrum tam bellè ratiocinaretur, eum ex Philosophorum Scholis meritò explodendum iudicaretis. Quamuis enim & Romę fuerit D. Petrus, atque ibidẽ in crucem actus, non tamẽ intra Vrbis mœnia sic se continebat, vt in alias terrarum oras nunquam excurreret. Mirari ergo non debuit Caluinus, si Apostolus in Epistolis ad Romanos, Philippenses, & Timotheum, illum non nominarit. D. Lucas verò, non omnia est litteris persecutus, quæ vel D. Paulus perfecit: nam concertationem quam cum D. Petro se habuisse ipse Apostolus profitetur, nusquam in Apostolorum

D. Petrum Romę fuisse verbo Dei scripto probatur.

a 1 Pet. 5. 13. Romam Babylonis nomine Petrus intelligit. *Vide Eusebiũ. lib. 2. hist. Ecclesiast. c. 4. D. Hieron. in catalogo, & Oecumen. in Cõmen. in epist. D. Petr.*
b *Rom. cap. 1.*
c *Act. cap. 28.*

D Petrus Ecclesiæ Romanæ fundamenta iecit.

Caluini argumenta negatione nituntur.

Galat. 2. 11. 12. &c.

Apostolorum Actis descriptam inuenies. Atque hæc de tribus dubitationum tuarum capitibus paucis dicta sint. Quartum etiam caput prudéter omisisti, nã quamuis tria priora côcesseris, nemo est nostrû, qui indè côcludet, *Romanæ Ecclesiæ, in cæteras Ecclesias primatû deberi.* Non enim est hæc nostra ratiocinatio, Petrus Romæ fuit, Romæ docuit, & Romæ mortem pro Christo obiit; Ergo Romana Ecclesia, in cæteras Ecclesias principatum habet: Verùm ad hunc modum, ratiocinationem nostram instituimus: Christus Dominus in Euangelio Petro dixit, [a] *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum*, & quod promisit se facturum, posteà præstitit, cùm ei pascendas suas oues tradidit, dicés, [b] *Pasce oues meas*, Ergo fuit omnium Christianorum princeps à Domino constitutus: Quare qui in Cathedra Petro succedunt, omnium Christianorum principes, ex institutione diuina fiunt. Tu quidem negas super Petrum ædificatam esse Ecclesiam, quàm rectè postea intelliges. Vt tecum progrediar omnem scribendi ordinem cogor peruertere.

a Matth.16.18.19.

Romanæ Ecclesiæ in cæteras principatus quo modo ex Euangelio cô probetur.

b Ioan.21.18.

CAPVT X.

MINISTER. pag. 13.

HOc dicimus, etiam si hodie Petrus Romæ doceret, Romanaq; Ecclesia primæuis illis, augustisque dotibus, quibus olim floruit, etiamnum floreret, ei tamen in cæteras Ecclesias dominatum nullo modo deberi, & minus quidem Catholicæ Ecclesiæ nomen per se, & primò ei conuenire, vt ex ea postea omnes Ecclesiæ, nomen precario sortirentur.

CATHOLICVS.

Semper ad odiosum illum tuum dominatum confugis, ac Aristotelis libros ὑστερῶν ἀναλυτικῶν discipulis tuis interpretari videris, cùm Logicis illis eloquentiæ flosculis, *per se & primò*, orationem tuam per se satis incultam, ita diligenter ornaueris. Qua ratione Ecclesia Romana sit Catholica, & contrà, Catholica Ecclesia vocis Romanæ adiectione, Hæreticorum conuenticula omnibus prodat, suprà à nobis est abundè explicatum. Ab argumentis deinde ad conuitia orationem tuam deflectis.

Elegantiæ flosculi.

MINISTER. pag. 14.

Atqui & Romanam Ecclesiam maximis næuis laborare, ne ipse quidem Gregorius Pontifex Romanus negat quippe quæ post Bernardi tempus (qui illius morbos Eugenio etiam Pontifici, tam luculenter repræsentauit) melior aut emendatior, haudquaquam euaserit.

Ex Caluino lib. 4. instit. c. 5. §. 12.

CATHOLICVS.

Tuum erat Minister, hos maximos næuos ostendere: aut certè D. Gregorij librum, vt certi aliquid tibi respondere possemus, proferre. Quòd si per næuos, doctrinæ corruptionem intelligis, te pro insigni calumniatore habebimus, quoad Gregorij testimonio, Eccle-

ſiam Romanam, Chriſtianæ doctrinæ integritatem, cum errorũ prauitate commutaſſe, probaueris. Si verò corruptos hominum mores nobis obiicis, Non inficiamur, multos in Chriſti Eccleſia eſſe vitiis deditos, quos tamen ſi cum Hæreſum veſtrarum architectis cõferas, facilè intelliges vos (vt cũ Chriſto loquar) διϋλίζειν τὸν κώνωπα, τὸν δὲ κάμηλον καταπίνειν. Atque ne odio in vos permotus eſſe videar, nihil amplius de vitæ veſtræ integritate dicam, ſed ad vnum Caluinum Sectæ veſtræ parentem amandabo, vt ab eo cognoſcatis quid de veſtris moribus ſentiendum ſit. Lege itaque eius Commentaria in caput 11. 1. ad Corinth. §. 30. Concionem 30. in epiſt. ad Epheſ. & Concio. 10. in eandem, vbi ſic habet. *Il eſt certain qu'en la Papauté l'on ne verra pas de monſtres ſi horribles comme on en voit là où l'Euangile ſe preſche.* Optarẽ vt ſtylum tuum emendares, qui Romanæ Eccleſiæ næuos tam appoſitè nobis obiicis, vt D. Gregorij tempora cum D. Bernardi ætate deſultoria tua temporum notatione compingas. Si fidem D. Bernardo haberes, non tam petulanter inueherēris in Eccleſiam Romanam, cuius Pontifices ipſe ſemper obſeruauit, & coluit.

Matt. 23. 24.

Caluinus diſcipulos ſuos horribilia eſſe mõſtra teſtatur.

MINISTER. pag. 14.

Quid igitur? Si Romana Eccleſia à Catholica Eccleſia communione ſeſe ſeiunxerit, num Catholicæ Eccleſiæ nomen iure retinebit?

Inſulſa Miniſtri interrogatio.

CATHOLICVS.

Ego viciſsim à te quæro, ſi cælum ruat, num Gebennenſium ὀλιγαρχίαν vſpiam cohærere dices? Videris Bœotio quodam craſsior, cùm tam ignauam interrogationem nobis irridendam ſcripto commiſeris. Tuum erat antè probare Eccleſiam Romanam ſe à Catholicæ Eccleſiæ communione ſeiunxiſſe, quàm venuſta tua interrogatione velle nos premere.

MINISTER. pag. 14.

E latebris igitur exeat veſter ille æquiuocationis, id eſt ὁμωνυμίας anguis, Ieſuita, quem ſub Chriſtiana Eccleſiæ nomine, & velo obtegebatis.

CATHOLICVS.

Næ tu magnus es ὀφιοῦχος, qui tam ſagaciter anguium rimari latebras didiciſti: tuámque laudo prudentiam, qui cùm rem tibi eſſe cũ iis ſcires, qui (vt alio loco innuis) nouas Athenas huc inuexerunt, vocem barbaram Græca exponere voluiſti. Sed vide quæſo, ne tu ipſe διὰ τὴν ὁμωνυμίαν lapſus pro æquiuocationis angue (vt tu ais) τὸν ὄφιν φεύγοντα ἐπὶ τὸν δράκοντα, vt ſcribit Propheta, & τὸν ὄφιν σκολιὸν deprehenderis. Falſum enim eſt in noſtra de Eccleſia Theſi, anguem æquiuocationis latere. Tu porro ſcis quis ille de quo Chriſtus dicit ψεύστης ἐστὶ, & πατὴρ αὐτοῦ.

Iſa. 27. 1.

Ioan. 8. 44.

MINISTER. pag. 14.

Hoc diſertè profitemur, nos Eccleſiæ nomine Catholicam Romanam illam

illam Ecclesiam, quæ sub vestra definitione intelligatur, haudquaquam intelligere.

CATHOLICVS.

Anguis tuus te Lectori imponere docuit, cùm nobis definitionē, à te confectā impudēter nimis tribuas. Si me mentiri suspicaris, profer ex nostris Thesibus verba, quibus Ecclesiæ definitionē illam tuā sumus complexi. Fac oro, vt huius orationis tuæ, *quæ sub vestra definitione intelligitur,* suauitatem degustemus, ac perfice, vt quod sub definitione latere existimas, suprà eam, vt ab omnibus posśit conspici, emineat. Minister commētum suum aliis attribuit.

MINISTER. pag. 14.

Ac præter quidem Petri cæterorumq́; Apostolorum doctrinam, veterisq́; adeò & Catholicæ Ecclesiæ consensum, id dici disertæ omnium voces testantur, è quibus hæc pauca liceat delibare.

CATHOLICVS.

Quæ sunt hæ voces omnium, quas tu cōminisceris? Refuta quæ adduximus pro nostra sententia, Antiquitatis testimonia, & tum disertas tuas voces excutiemus; & D. Petrum redarguis, qui Romæ se scripsisse testatus est, vt Caluinum, vel ad speciem ab extremæ vanitatis nota vindices. D. Petrus Romæ scripsit.

CAPVT XI.

Ex Cypriano tres delibasti, aut potius delumbasti sententias, quarum prima est: Minister delumbat sententias Cypriani.

MINISTER. pag. 14.

Cyprianus lib. 1. epistola 8. Deus vnus est, & Christus vnus est, & Ecclesia vna est, & Cathedra vna, super Petram Domini voce fundata, Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterium est, impium est, sacrilegum est quodcunque furore humano instituitur, vt dispositio diuina violetur.

CATHOLICVS.

Astutè reticuisti illa D. Cypriani verba. *Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum sacerdotiū non potest, quisquis alibi, &c.* Dices hæc verba à te prætermissa, ad susceptam disputationem non pertinere. Tu planè nihil disputas, sed decurtatis Patrum sententiis, librum tuum ϸαψωδεῖς. Quid in hac D. Cypriani oratione reperisti, quod cum Thesibus nostris pugnet, aut Romanæ Ecclesiæ principatum euertat? *Ecclesia vna est, & Cathedra est vna super petram Domini voce fundata.* Conclude Ecclesiam Romanam non esse omnium Ecclesiarum principem. De Petra verò super quam Ecclesia fundata est, paulò pòst videbimus. Altaris & Sacerdotij nomina, Caluiniana Secta ferre non potest, ac propterea in D. Cypriani sententia, Homo parùm in disputando vafer, quæ à me nunc reposita sunt silentio præteriisti. Ex Caluino Callidè Minister quæ sibi aduersantur reticet.

Caluinus lib. 4. instit. cap. 6. §. 17. postea Cypriani sententiam es mutuatus, quam tu in duas partitus es.

MINISTER. pag. 14.

Idem Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Idem tracta. 3. de simpl pral. Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo multi radij sunt, & lumen vnum, & rami arboris multi, robur autem vnum, radice tenaci fundatum, & quomodo de fonte vno, riui plurimi defluunt, & numerositas licet diffusa esse videatur, exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine, sic Ecclesia Domini luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit: vnum tamen est quod vtique diffunditur, neque vnitas corporis separatur.

CATHOLICVS.

Cypriani librum, ex quo priorem descripsisti sententiæ partem, cur non nominasti? Fallere nos fortasse voluisti: Sed ne tui fallantur, quæ in Cypriani oratione à te neglecta sunt, reponemus. *Vnitas tamen seruatur in origine: auelle radium Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit, ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præcisus arescet: Sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit. Vnũ tamen lumen est quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur, ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter riuos latius expandit, vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater fœcunditatis, successibus copiosa.* Quàm sis in Logicis subtilitatibus obtusus, qui scripta tua legit, fugere potest neminem. Nudas enim Auctorum sententias describens, quid ex iis concludere velis, nobis diuinandum relinquis. Aliter Caluinus tuus, qui ex D. Cypriani sententia, arguté suo iudicio, ad hunc modum. ratiocinatur: *Vides vt Christi vnius, Episcopatum vniuersalem faciat, qui totam sub se Ecclesiam capiat, illius partes in solidum ab omnibus teneri dicat, qui sub hoc capite Episcopatu funguntur, vbi primatus Sedis Romanæ, si penes Christum solum integer residet Episcopatus, à singulis pars eius in solidum tenetur?* Disce, ô bone Euanthe, à tuo Protagora argumentari, id est, proposita veritate, quàm longissimè aberrare. Quod hoc loco D. Cyprianus dicat penes Christum solum integrum residere Episcopatum, nunquam probabit Caluinus; nomine vnius Episcopatus Ecclesiam intelligi, cui vnũ Episcopum, Christi Domini in terris Vicarium præsidere vult; huius vnius Episcopatus, à singulis Episcopis, in solidum partem teneri ait, quia singuli Episcopi, de Christianis suæ curæ commissis, Domino sunt rationem reddituri, vt ipse alio loco se explicat. *Et singulis Pastoribus portio gregis, sit ascripta, quam regat vnusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus:* Nomine verò Capitis, Cyprianum non intellexisse Christum Dominũ, ipsemet ibidem.

Marginal notes: Hoc vnum caput Ecclesiæ est Pontifex Romanus. — *Caluin lib. 4. instit. cap. 6. §. 17.* — *Cyprianus lib. 1 epist. 3.*

ibidem testatur: explicans enim causam, vnde hæreses, & schismata oriantur: *Hoc*, inquit, *eo fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, Magistri cœlestis doctrina seruatur; quæ si quis consideret, & examinet tractatu longo, atque argumentis opus non est: probatio est ad fidem facilis compendio veritatis, loquitur Dominus ad Petrum; Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis. Et eidem post resurrectionem* dicit, *Pasce oues meas, & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum. Si cui remiseritis peccata remittuntur illi, si cui tenueritis, tenebuntur, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur, & primatus Petro datur, vt vna Ecclesia Christi, & Cathedra vna monstretur.* Si diligenter Caluinus verborum omnium sententiæ D. Cypriani pondera examinasset, vnitatẽ Ecclesiæ ab vnitate Episcopatus Petri pendere intellexisset, quãuis parem cum cæteris Apostolis, à Domino accepisse Petrum remittendi peccata potestatem dicat, omnibus tamen eum anteponit, cùm *exordium ab vnitate proficisci* scribit, *vt Ecclesia vna monstretur.* Si D. Cyprianus, vt nugatur Caluinus, de Christo Domino, & non de D. Petro loquatur, explicet mihi illa Cypriani verba, *vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.* Dicat quid sit Christum Dominũ sua auctoritate disposuisse, vt vnitatis origo, ab vno principium capiat. Quòd verò ait Cyprianus, *Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis.* Intelligendum est ante institutum à Domino Ecclesiæ principatũ; omnes enim erant Apostoli: at vbi à Domino creatus fuit D. Petrus Ecclesiæ vniuersæ princeps, & pastor, fieri non potuit, vt cæteri Apostoli essent D. Petro omni honore & potestate pares. Explica & tu mihi, quomodo *primatus*, auctore Cypriano, fuerit Petro datus, si Petrus Christianorum omnium princeps non fuit. Miror autem non tuam (cùm Theologiam primis digitis, vt aiunt, non attigeris) sed Caluini stupiditatem, quòd hunc Cypriani locum quo grauissimi Ecclesiæ propugnatores contra Lutheranos sunt vsi, nobis audacter nimis obiiciat. Non est cur ei credamus, cùm ipse Cyprianus identidem de Romanæ Ecclesiæ, Pontificisque primatu, multa & honorificè, & grauiter prædicet. Putásne eum Ecclesiam Romanam (quam Catholicæ matricem, ac radicem appellat)

Matth. 16. 18. 19.

Ioan. 21. 17.

Ioan. 20. 21.

Petrus quomodo aliis Apostolis superior ex D. Cypriano.

Roffensis cõtra assert. Luth. art. 25.

Cyprianus lib. 4 epist.8. ad Corneliũ Romanum. Pontif.

Rom. Pontificis cõmunio, & Ecclesiæ Catholicæ, Cypriano est eadem.

Cyprian. lib. 1. epist. 3.

Cyprian. lib. 3. epist. 11. Ponti. Rom. Eccl. Catho. Episcopus à schismaticis resipiscentibus agnoscitur.

Cyprian. lib. 4. epist. 2.

Locus Rom. Põtificis est locus Petri.

pellat) in ordiné redegisse? *Nos* (inquit) *singulis nauigantibus ne cum scandalo vllo nauigarent rationem reddidisse nos scimus, & hortatos esse, vt Ecclesiæ Catholicæ matricem, & radicem agnoscerent ac tenerent.* Quid ad ea respondebis, Minister, quæ paucis interiectis idem subiicit, Cornelium Romanum Pontificem alloquens, *Vt te vniuersi collegæ nostri & communicationem tuam, id est Catholicæ Ecclesiæ vnitatem pariter & charitatem probarent firmiter, ac tenerent.* Perinde Cypriano est communicationem Cornelij Romani Pontificis, & Catholicæ Ecclesiæ vnitatem tenere. Num vides hæc omnia optimè cum iis cõgruere, quæ de origine vnitatis Ecclesiæ aliàs idem Auctor scripsit, vt cùm Romanam Ecclesiam, appellat *Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem vnde vnitas sacerdotalis exorta est?* Atque vt Caluinum, qui solum Christum Ecclesiæ Catholicæ à Cypriano Episcopum appellari fingit, apertè falli conuincam: audi quid planè, & perspicuè hac de re idem Martyr sentiat, cùm confessionem eorum qui à schismate ad Ecclesiam redierunt, his verbis posteritati tradiderit, & comprobarit. *Nos* (inquiunt) *Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum à Deo omnipotente, & Christo Domino nostro scimus, nos errorem nostrum confitemur, circumuenti sumus, perfidia loquacitate factiosa amentes, videbamur quasi quandam communicationem cum Schismatico homine habuisse, syncera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit: nec ignoramus vnum Deum esse, & vnum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, vnum Spiritũ sanctum, vnum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere.* Age aduersus Cyprianum, si audes, qui hanc confessionem admisit & probauit, in qua Cornelius Romanus Pontifex, Ecclesiæ Catholicæ Episcopus appellatur, & vnum in Ecclesia Episcopum esse debere asseritur. Cornelio Romano Episcopo quod scribit Cyprianus, vestras calumnias refutat. *Factus est autem Cornelius* (inquit) *de Dei & Christi eius iudicio, de clericorum penè omnium testimonio, de plebis quæ tunc affuit suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante se factus esset: cùm Fabiani locus, id est, cùm locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato: Quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat Ecclesiæ ordinationem, quia Ecclesiæ non tenet vnitatem. Quisquis ille fuerit, multùm licet de se iactans, & sibi plurimùm vendicãs, prophanus est, alienus est, foris est: Et cùm post primum, secundus esse non possit, Quisquis post vnum, qui solus esse debeat, factus est, non iam secundus ille, sed nullus est.* Si rei in te est vllius sensus, facilè perspicis Cyprianum sentire Cornelium Romanum Pontificem, omnium Episcoporum fuisse principem, aliàs non solus esse debuit, si cæteri Episcopi pares ipsi potestate fuissent. Atque vt de Cypriano loqui desinã, omnes Caluinianorum calumnias præclara illa oratione sua coercet, qua schis-

qua schismatum & hæresum immanitates, ex summi Pontificis cõtemptu exoriri scribit, *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tẽpus iudex, vice Christi, cogitatur: cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum Sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret.* Euolue Caluini patrone, orationem Cypriani, & explica quis sit, *Vnus ad tempus in Ecclesia sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi.* Si penes Christum solum (vt præceptor tuus Caluinus somniat,) sensit Cyprianus *integrum residere Episcopatum*, necessariò Christus erit ad tempus, & non (vt nos scriptura docet) *in æternum Sacerdos*: erit & Christus vice Christi iudex. Quæ si absurda tibi videntur, patere Caluinianum soporem tibi excuti, vt depulsa errorum caligine veritatem intueri possis.

Cyprian. lib. 1. epist. 3.

Contẽptus vnius Pontificis hæresum origo.

Heb. 6. Psal. 109. 4.

CAPVT XII.

CATHOLICVS.

A Cypriano ad Hieronymum scriptionem tuam (disputationem dicere non audeo, cùm nihil planè dispures) transferre tibi visum est.

MINISTER. pag. 14.

Hieronymus epistola ad Euagrium. Si autoritas quæritur, Orbis maior est vrbe. Quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vindicas? Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij, eiusdem meriti est, & eiusdem sacerdotij, potentia diuitiarũ, & paupertatis humilitas, superiorem vel inferiorem Episcopum non facit.

Minister decurtatas Patrum senten tias citat.

CATHOLICVS.

Quid in Diui Hieronymi oratione tibi tantopere displicuit, vt eã non tantùm decurtatã redderes, sed & omnẽ ipsius ordinẽ immutares? Si D. Hiero. patrocinio, Caluini errorẽ defendi posse existimasti, quid te impulit, vt ipsius sententiam miro, tuo euoluendi artificio corrũperes? Respõdebis, te in præceptoris tui verba iurauisse ἀνοβαγρίζειν. Itaque D. Hieronymi sententiã à te, & Caluino deprauatã ex ipso Auctore sic restituendam scias. *Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus quod Presbyter non faciat? nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est: & Galliæ & Britanniæ, & Africa & Persis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes vnum Christum adorant, vnã obseruant regulam. Si autoritas quæritur, orbis maior est vrbe, Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli siue Rhegij, siue Alexandriæ siue Tanis, eiusdem*

Caluin. lib. 4. institut. c. 7. §. 3.

meriti, eiusdem est & sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt. Sed dicis, quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem? Caluinus ait D. Hieronymum Ecclesiam Romanam oratione sua in ordinem redegisse: tu verò sententiç D. Hieronymi deprauatione contentus, nihil ex ea concludis. Atque vt Caluinum hallucinari doceam. Primùm D. Hieronymus testatur Episcopum esse superiorem presbytero. *Quid* (inquiens) *facit excepta ordinatione, Episcopus quod presbyter non facit?* Cæterum D. Hieronymi in hac epistola consilium est eos, qui Diaconos Presbyteris superiores esse volebant, confutare, vt hæc verba in eiusdem epistolæ initio posita, satis declarant. *Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, vt Diaconos Presbyteris, id est Episcopis anteferret.* Quorum errorem eò maximè redarguit, quod si ita esset, ipsi etiam Diaconi Episcopis (qui & ipsi Presbyteri sunt) essent anteferendi, Non enim ipsi à presbyteris in ordine quo Presbyteri sunt, distinguuntur, cùm ad Presbyterorum Episcoporúmque preces Christi corpus æquè conficiatur. Et quoniam qui Diaconos Presbyteris maiores esse dicebant morem vrbis obiecerant, quo ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur. Respõdit D. Hieronymus: *Si auctoritas quæritur, orbis maior est Vrbe.* Non reprehendit Ecclesiæ Romanæ morem, sed ait contrarium fieri in aliis Christiani orbis Ecclesiis. Episcopos omnes eiusdem esse refert *meriti & sacerdotij*: Nam vnus non est magis Episcopus quàm alius, omnes enim sunt Apostolorũ successores, verum etiam est, *potentiam diuitiarum, & paupertatis humilitatem, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facere.* Nihil hîc habes de potestate gubernandi Ecclesiam: neque dixit D. Hieronymus, omnes Episcopos eiusdẽ esse potestatis & honoris: Sed paucis verbis locutus est, de Ordinis, non autem de Iurisdictionis potestate. In cœtu autem vestro nullos admittitis Episcopos, nullũ vultis inter Ministros vestros esse dignitatis ordinem. Vt porrò intelligas, Caluinum nugatum esse cùm scripsit, D. Hieronymum redegisse Romanam Ecclesiam in ordinem, audi quàm honorificè de Romana Ecclesia sentiat, ad Damasum Romanũ Pontificẽ scribens: *Ego cum successore Piscatoris & discipulo crucis loquor. Ego nullũ primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est, Si quis in ea non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Videntur tibi verba hæc esse hominis, Ecclesiam Romanam in ordinem redigẽtis? Qui cathedræ Petri communione non consociatur, Hieronymi iudicio, *extra domum*

Orbis Vrbe quomodo maior apud Hieronymum.

Hieron. ad Damasum epist.

Extra Romanam Ecclesiam non est salus.

domum comedit agnum, in arca Noe non est, & peribit regnante diluuio. Vbi obsecro agnum comedet Synagoga Caluiniana quæ Romanæ Ecclesiæ communionem aspernatur? Noua erit vobis ædificanda arca, ne Carybdis vos absorbeat. Ac in alia ad eundem Damasum Epistola: *Ariana* (inquit) *rabies fremit, hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat, monachorum circa me manentium antiqua in me surgit auctoritas, ego interim clamito: si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est: Meletius, Vitalis, atque Paulinus, tibi hærere se dicunt.* Et paucis interiectis, *Idcircò obtestor Beatitudinem tuã, vt mihi litteris tuis apud quem in Syria debeam communicare significes, noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est.* Ad firmissimum igitur præsidium Romani Pontificis, quod nulla hæresum tempestas concutere potuit, confugit D. Hieronymus, de cuius in fidei decretis firmitudine si dubitasset, nunquam ex Syria ipsum fuisset obtestatus, vt quibuscum communicaret, litteris suis ei præscriberet. Hieron. ad Dam. epist. D. Hieron. de sede Romana iudicium.

CAPVT XIII.

CATHOLICVS.

POstea in D. Gregorij testimonio, Minister, omne tuæ caussæ τὸ σύνταγμα & βέβαιον collocas.

MINISTER. pag. 14. & 15.

Gregorius libro primo Epistola 80. Nullus vnquam decessorum meorum hoc profano vocabulo vti voluit: quia videlicet si vnus Patriarcha vniuersalis, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc à Christiana mente. In illo scelesto vocabulo consentire, nihil aliud est, quàm fidem perdere. Aliud est quod conseruandæ vnitati fidei, aliud quod debemus comprimendæ elationi. Ego autem ... enter dico, quia quisquis se vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, &c.

CATHOLICVS.

Perperam ex tuo Caluino delibasti hæc paucula, cùm in epist. 80. lib. 1. D. Gregorius nihil eiusmodi habeat: & in epistola 36. lib. 4. non omnia habeantur, quæ tu hoc loco inter se iungere, & miro artificio, vt lectorem falleres, copulare voluisti. Distinguam ergo quę tu confudisti, vt omnes intelligant, quàm sis in Veterum scriptis versatus. In Epistola igitur illa 36. lib. 4. *Ante hos siquidem annos, octo* (inquit Gregorius) *sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij tempore, frater & coepiscopus noster, Ioannes in Constantinopolitana vrbe, ex causa alia occasionem quærens Synodum fecit, in qua se Vniuersalem appellare conatus est: quod mox idem decessor meus, vt agnouit,* *Caluin. lib. 4. inst. c. 7. § 4.* Minister malè citat Doctores. Gregor. ad Eulogiũ Alexandrinum, & Anastasiũ Antiochen. Episcopos.

directis litteris, ex auctoritate sancti Petri Apostoli, eiusdem Synodi acta cassauit: quarum videlicet Epistolarum sanctitati vestræ exemplaria studui destinare: Diaconum verò, qui iuxta morem, pro responsis Ecclesiæ faciendis, piissimorum Dominorum vestigiis adhærebat, cum præfato consacerdote nostro Missarum solemnia celebrare prohibuit: Et paucis interiectis: *Sicut enim veneranda vestra sanctitas nouit, mihi per sanctam Chalcedonen. Synodum, Pontifici Sedis Apostolicæ, cui, Deo disponente, deseruio, hoc Vniuersitatis nomen oblatum est, sed nullus vnquam decessorum meorum, hoc tam profano vocabulo vti consensit. Quia videlicet, si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur, sed absit hoc, absit à Christiana mente id sibi velle quempiam arripere, vnde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacumque parte videatur. Cùm ergo nos hunc honorem noluimus oblatum suscipere, pensate quàm ignominiosum sit, hunc sibi quempiam violenter vsurpare voluisse: propterea Sanctitas vestra in suis Epistolis, neminem vnquam vniuersalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cum alteri offert honorem indebitum.* Et nõ longè à fine: *Prouidendum ne in vnius veneno sermonis, viuentia in Christi corpore membra moriantur: si enim hoc dici licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur, & cùm fortasse is in errore perit, qui Vniuersalis dicitur, nullus iam Episcopus remansisse in statu veritatis inuenitur. Oportet ergo, vt constanter, ac sine præiudicio seruetis, sicut accepistis Ecclesias, & nihil sibi in nobis hac tentatio diabolica vsurpationis adscribat, state fortes, state securi, scripta cum Vniuersalis nominis falsitate, nec dare vnquam, nec recipere præsumatis.* Hæc ex D. Gregorio describenda duxi, vt omnes intelligant, quã sis in transcribendis, deprauatis à magistro tuo, veterum sententiis syncerus artifex. Voluisti quippe ἐν τῷ ὑπερηφανεστάτῳ συγγράμματί σου tuo scripto sanctissimi viri singulari modestia abuti. Nam quia Gregorius vniuersalis Episcopi nomen contempsit, tuo, & Caluini iudicio vniuersæ etiam Ecclesiæ procurationem sustinere recusauit. Lege quæ D. Gregorius de Pelagio secundo scripsit (quæ Caluinus tuus dedita opera prætermisit, ne ipsius fraus deprehenderetur) ac disce Romanum Pontificem Constantinopolitanæ Synodi acta rescidisse, Constantinopolitanúmque Episcopum ne rem diuinam faceret prohibuisse: An hoc vnquam fecisset, si Constantinopolitanam Ecclesiam in sua esse ditione positam dubitasset? Immò inueterato tuo in Ecclesiam Romanam odio obcæcatus, quid Vniuersalis Patriarchæ nomine Gregorius intellexerit non vidisti. Vniuersalis enim Episcopus à D. Gregorio, is dicitur, qui sic vniuersę Ecclesiæ præest vt ipse solus & alius nemo, Episcopus sit: quam huius vocabuli intelligentiam veram esse ex sententia D. Gregorij hæc ipsius verba planè conuincunt: *Si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur, si hoc licenter dici permittitur,*

Pontifex Rom. vniuersalis dictus est à Calcedonen Synodo.

Vniuersalis Episcopus quis sit D. Gregorio.

tur, honor Patriarcharum omnium negatur, & cùm fortasse is in errore perit, qui Vniuersalis dicitur, nullus iam Episcopus mãsisse in statu veritatis inuenitur. Ac non minus perspicuè in epistola ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum (qui Vniuersalis nomẽ sibi vsurpauerat) germanam esse eam, quam attulimus huius vocabuli significationem, his verbis expressit: *Qui indignum te esse fatebaris, vt Episcopus dici debuisses, ad hoc quandóque perductus es, vt despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari.* Gregor. PP. lib. 4. epist. 38

MINISTER. pag. 15.

Et alibi propinqua iam esse Antichristi tempora designantur.

CATHOLICVS.

Hæc à D. Gregorio scripta non negamus, sed oro vt Gregorium diligenter legas, & in posterum locos, quibus singula scripserit diligentius notes. Pergis in tua Dialectica argumentatione, inania verba fundere.

MINISTER. pag. 15.

Ecquidnam verò aliud in hisce commemorandis quam actum ageremus, nisi nos vestra illa excusaret ἰωλοκρασία id est, rancidarum nugarũ egestio? quæ nos sanè cogit, vt idem reponentibus, idem quoque rependamus.

CATHOLICVS.

Disce antè oro, quid sit Græcas voces interpretari, quàm tuam ἰωλοκρασίαν in nos euomas: quod vbi feceris, fac vt scitum hoc conuitium tuum (quod in Christianam Ecclesiam iacis) cum modesta Libri tui inscriptione congruat: At si Christianæ Ecclesiæ doctrina (quam nos Thesibus nostris sumus cõplexi) *rancidarum* est, vt vis, *nugarum egestio*, cùm nobis idem reponentibus, te scribis idẽ rependere, quicquid contra nos lutulento tuo scripto effudisti, in rancidis nugis numerandum esse diffiteri non poteris.

MINISTER. pag. 15.

Eccuinam autem de Ecclesia Romana potius credendum est quàm ei qui & Romanæ Ecclesiæ fuit Episcopus, & meliori, etiam seculo vixit?

CATHOLICVS.

Anteà scripsisti, Gregorij tempore Ecclesiam Romanam *maximis neuis laborasse*: nunc verò ais eundem *meliori seculo vixisse*: At si singularem tuam in scribendo constantiam agitare vellem, nullus esset modus. Quare accipio quam mihi offers conditionem, de Romanæ Ecclesiæ principatu, Romanique Pontificis potestate, Gregorius sit de vtriusque nostrûm communi sententia Iudex, qui his verbis totam nostram litem suo iudicio resoluet. *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce Domini, sancto & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est: ipsi quippe dicitur, Petre amas me, pasce oues meas.* & paucis interiectis, *cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur, & tamen Vniuersalis Apo-* Minister sibi contradicit. Gregor. PP. lib. 4. epist. 32. Ioan. 21. 17.

Gregor. in Psal. 5. pœnit.

stolus non vocatur. De Romana Ecclesia, nihil te in hac Gregorij sententia audire dices. Accipe ergo aliam quæ omnem tibi dubitandi scrupulum eximet; Sic enim de Mauritio Imperatore scribit:

Ecclesia Romana omnium Ecclesiarũ caput.

Intantum autem sua temeritatem extendit vesania, vt caput omnium Ecclesiarum, Romanam Ecclesiam sibi vindicet, & in domina gentium terrena ius potestatis vsurpet: quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro Apostolo specialiter commisit. Vides Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum caput à D. Gregorio appellari, eiúsque curam D. Petro Apostolo singulari ratione fuisse commissam. Vides & hinc istam tuam conclusionem penitus corruere.

MINISTER. pag. 15.

Nefas igitur sit Catholica siue Apostolica Ecclesia nomine Romanam ecclesiam propriè intelligere, cæterarúmque Ecclesiarum autoritatem, & appellationem à Romana ecclesia mutuari.

CATHOLICVS.

Cùm nomine Catholicæ siue Apostolicæ Ecclesiæ Romanam Ecclesiam appellamus, eam Romanam Ecclesiam intelligimus, quæ nullis regionis terminis septa tenetur: sed per omnium gẽtium oras peruadens, Romani Pontificis se potestati subiectam esse profitetur.

CAPVT XIIII.

MINISTER. pag. 15.

Quod si vt æquissimum & verissimum à vobis euincimus Iesuita, vosq́; ex iniusta hac rei vocisq́; possessione vos deturbari patimini, explicatis ambigui insidiis ad veram Ecclesiæ definitionem nulla fallaciæ metu inuestigandam progrediemur.

CATHOLICVS.

Tuo iudicio causam euicisti: absit vt veritatis, æquitatisque patrocinium deserentes, tuæ inani ἀπεραντολογίᾳ succumbamus. Hactenus calumniis, & conuitiis, nullo autem firmo argumento decertasti: & tamen quasi victor Caluiniano more nunc exultas. Quæ in te immisimus iacula, nulla Theologorum tuorum industria educi poterunt, quin mortiferas plagas, quas vobis inflixerunt, omnibus prodant. Negare non audes, quin rei, vocisque Ecclesiæ possessores simus, quamuis tibi possessio nostra iniusta videatur. Profer in medium primum huius iniustæ possessionis auctorem: quod nisi feceris, nulla ratione certam, quam ab Apostolorum temporibus obtinuimus, hæreditatis possessionem, Caluiniano furori diripiendam relinquemus. *Fallacias* non metuis, qui omne tuum studium in eo ponis, vt Christianos omni fraude circumuenias, cùm pro Christianæ religionis oraculis, Caluini somnia substituere non verearis. Iniquissimam deinde nobis, vt ad Ecclesiæ definitionem progrediaris, proponis conditionem.

MINI

MINISTER. pag. 15.

Hac lege vt posthac, vos vestriq́, dediscatis falsam illam profanamq́, Ecclesiæ Catholicæ Romanæ appellationem.

CATHOLICVS.

Trade quæso nobis nouam aliquam dediscendi artem, qui tam duram & iniustam rigidus profectò νομοθέτης nobis imponis legem, vt quod cum nutricis lacte suximus, ad vnicam tuam voculam sempiterna obliuione deleamus.

MINISTER. pag. 15.

Aequúmque esse ostendatis, vt Ecclesia Romana, si Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ membrum censenda sit, sese illius autoritati iudicióque submittat, síque ab ea emendari patiatur.

CATHOLICVS.

Ecclesia Romana, est ipsa Ecclesia Catholica, & Apostolica, quæ, cùm in decernendis iis rebus, (quæ ad fidem & mores Christianorum pertinent) errare non possit, emendatione vestra non indiget.

MINISTER. pag. 15.

Ac proinde hoc primum erit institutæ quæstionis caput, quo Christianæ Ecclesiæ nomen explicetur ex contrarij remotione, id est, καθ' ἀφαίρεσιν τ͂ ἐναντίου. Minister Latina more suo græcè interpretatur.

CATHOLICVS.

Si cætera disputationis tuæ capita huic primo responderint, fœdissimum nobis monstrum paries, quod vbi à Christiana Ecclesia argumentorum telis propulsauerimus, in vos fulmen vibrabit suum, quidque sit Christianæ fidei dignitatem oppugnare, non sine Caluinianæ Sectæ dedecore docebit. *Christianæ verò Ecclesiæ nomen ex contrarij remotione* te explicasse gloriaris, quasi Romana Ecclesia, Christiana esse non possit: Si enim (vt tu somnias) Romana Ecclesia est contraria Ecclesiæ Christianæ, non magis erit Romana Ecclesia Christiana, quàm candor est nigror. Apostolus ergo ad Romanos scribens, tuo iudicio, non ad Christianam Ecclesiam scripsit. Animaduertísne quorsum spectet tua *contrarij remotio?* eò certè, vt te planè conuincat, insanire, dum Christianam Ecclesiam oppugnas. Vehementer tibi placet illa tua τ͂ ἐναντίου ἀφαίρεσις, de qua hanc subiecisti clausulam, *Quam primam rectè & solidè astruendæ veritatis viam esse demonstrationis leges docent.*

Si Dialecticas demonstrationum leges hoc loco intelligis, dum contraria remouere conaris, te parum esse in dialecticis exercitatum, facilè ostenderem. Veritatem nouam, (commenta nimirum Caluini) pro Christianæ religionis veritate nobis obtrudis, *primam viam astruendæ veritatis,* præscribens.

Tandem *Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ veram ex veris germanisq́ notis suis definitionem*, te nobis traditurum profiteris. Nullam hactenus attulisti falsam Ecclesiæ à nobis traditam definitionem. Pag. 15.

Illius

Illius enim, quam suprà nobis affinxisti, nullum prorsus Auctorē inuenies. Profectò deliraret, qui sic Ecclesiam tecum definiret, *Ecclesiam Christianam Romanam:* Repete quæso, dico definiendi leges, & nullam hîc obseruari inuenies.

MINISTER. pag. 16.

Christus non frustra est mortuus, ac proinde nos non temerè profitemur in symbolis, nos credere sanctam Ecclesiam Catholicam.

CATHOLICVS.

Si Magistri tui doctrinam probas, velis nolis, fateri cogeris Christum Dominum frustra esse mortuum. Docet enim omnia opera nostra *probrum magis quàm laudem perpetuò mereri, ac inquinata esse, peccatisq; magis quàm virtutibus accensenda.* Tu, vt suspicor, nō negabis Christum venisse, & pro nobis mortem oppetiisse, [a] *vt opera diaboli dissolueret.* Sed oro te, si omnia hominum opera sunt peccata, vt vos asseritis [b], quænam sunt hæc opera, quæ Christum dissoluisse Apostolus scribit? & si cum Caluino [c], Iustitiam nostrā omnem extra nos constituistis, quomodo negatis Christum frustra esse mortuum? Non video qua ratione peccata nostra deleantur, si omnis nostra iustitia extra nos est. Quod addis, *Ecclesiam Catholicam propriis, verisq; notis agnosci posse, & à falsis adulterinisq; cœtibus discriminari.* mihi pergratum est, vt & illud quod subiicis:

Caluin. lib. 3. inst. c. 17. §. 3.
a 1. Ioan. 3. 8.
b Caluin. li. 3. inst. c. 14. §. 9. & 11.
c Caluinus in antidoto. Concil. Trident. sessione 6.
Minister doctrinæ perpetuitatē agnoscit.

MINISTER. pag. 16.

Sempiternam fore Ecclesiam in mediis etiam mundi pereuntis perturbationibus, neque orphanam relictum iri testatur veritas.

CATHOLICVS.

Tu videris quonam pacto hæc Ecclesiæ perpetuitas, cum Caluini doctrina consistat, qui veteres Patres Irenæum, Tertullianum, Origenem, Augustinum, Optatum, optimo iure contra Hæreticos successionem Episcoporum obiecisse, ita scribit: *Cùm extra controuersiam esset, nihil à principio vsque ad illam ætatem mutatum fuisse: in doctrina sumebant, quod omnibus nouis erroribus conficiendis sufficeret, illis oppugnari doctrinam ab ipsis vsque Apostolis constanter, & vnanimi consensu retentam.* Et in Gallica suarum Institutionū editione, apertè nullam in Ecclesia Romana fuisse doctrinę, ab Apostolorum temporibus, vsque ad Patrum illorum ætatem mutationē factam his verbis profitetur: *C'estoit vne chose notoire, & sans doute, que depuis l'aage des Apostres, iusques à leur temps, il ne s'estoit faict nul changement de doctrine, ny à Rome, ny aux autres villes.* Posteà verò factam perspicuè indicat, cùm scribit Gregoriū *vltimum Romæ Episcopum iurè dici posse.* Quòd si corrupta tuo iudicio non fuit, non minorem habere debes fidem doctrinæ Ecclesiæ, post Gregorij tempora, quàm Caluinus eidem doctrinæ temporibus Patrum habendam esse docuit. Vbi enim Dei Verbum est corruptū, Ecclesia Christi consistere nequit, vt auctor est tuus Caluinus.

Caluin. lib. 4. instit. c. 2. §. 3.
Minister à Caluino dissentit.
Caluin. lib. 4. instit. c. 17. §. 49.
Caluin. lib. 4. instit. c. 2. §. 4.

Túque

Túque cum eodem Verbum Dei facis Ecclesiæ notam: interire ergo nequit Dei Verbum, quin vnà & Ecclesia intereat.

MINISTER. pag. 16.

Omninò veritas nisi ex veritate intelligi potest.

CATHOLICVS.

Nescio an aliquid operarum in curia hîc exciderit: certè tua in scribendo singularis infantia, me vehementer mouet, vt existimem, non aliam fuisse operarum negligentiam, quàm tuam latinè linguæ inscitiam. Vis fortasis veritatem non posse, nisi ex veritate concludi, quid respondebis Logicis, qui ex falsis verum effici posse, certò sibi persuadent?

CAPVT XV.

MINISTER. pag. 16.

Ecquis verò Prophetarum & Apostolorum scripta, Veritatis illius esse autographum, erudita autem & orthodoxa Ecclesia consensum, eiusdem illius Veritatis interpretem esse negauerit? Quid sit scripturæ αὐτόγραφον.

CATHOLICVS.

Mirum erit si in Archiuis vestris vllius veritatis Christianæ *Autographum* reperiatur, cùm primi Sectæ vestræ Auctores omnia vetustatis monumenta, vt igni traderentur diligenter elaborarint. Explica nobis quid sit *Autographum*, & vide ne pro Prophetarum & Apostolorum scriptis, nobis subiicias Maroti, & Bezæ cantiones, quas nos execramur, & vobis modulandas lubenter relinquimus. Quam autem veritatem hoc loco intelligas, planè ignoro. Anteà scripsisti: *Omninò veritas nisi ex veritate intelligi potest*, nunc verò ais, *Veritatis illius, & eiusdem illius veritatis*. Si te tua Grammatica vsum Pronominum non perfectè docuit, suadeo vt legas Despauterium, ex quo quæ in te desiderantur, facilè intelliges. Quod subiungis interim perpendemus.

MINISTER. pag. 16.

Memineritis autem quidnā agatur, id est, non hoc esse iustum certamen, sed velitationem, ac proindè de plurimis paucula nos delibare.

CATHOLICVS.

In re perspicua admonitionem tuam non desideramus: Nudus enim cùm sis, tamquam leuis armaturę miles, nusquā audes consistere, vt cominus cum hoste manum conseras: sed (pro hasta, clypeo, gladio, cæterisque in iusto milite requisitis armis) conuitiis, & fallaciis armatus veritatem oppugnas.

MINISTER. pag. 16.

Nos certè Romanæ Ecclesiæ claues siue Cathedram (quemadmodum vos eam describitis) Catholicæ illius quam quærimus, veras esse notas pernegamus, quas videlicet veras germanasq́; Prophetis, & ab ipsius Ecclesiæ capite, ipsaq́; vera etiam & Catholica Ecclesia ita didicimus.

CATHOLICVS.

S. Hippolyt. lib. de consummatione mundi.

ἀρνοῦμαι i. nego. Antichristi nota.

Facilius est tibi pernegare omnia quàm minimum Christianæ Religionis dogma infirmare. Memineris vocabulum ἀρνοῦμαι, esse vnam ex Antichristi notis, quam vos ipsius οἱ πρόδρομοι tanquam vobis familiarem frequenter vsurpatis. Vis deinde Notas tuas Prophetis fuisse cognitas: Suspicor Prophetas tuos esse Caluinum & Bezam, qui non intelligunt quæ ipsi vaticinantur. Scriptum Dei Verbum (vt tu vis) est Ecclesiæ Nota. Doce Iacobum Patriarchã (quem Prophetam fuisse negare non audebis) & cæteros, qui ante extiterunt, quàm verbum vllum esset literis mandatum, aliquam habuisse huius Notæ cognitionem.

Genes. 49. 1.

CAPVT XVI.

MINISTER. pag. 16.

E*Saias 54. Hoc fœdus meum cum eis dixit Dominus, Spiritus meus qui in te est, & verba mea quæ posui in ore tuo, & non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui.*

CATHOLICVS.

Minister malè citat.

Non rectè legisti Isaiam, cùm in cap. 54. nihil eiusmodi scriptum sit, sed in cap. 59. 21. verba illa reperiantur, quibus hæc quę callidè reticuisti, adiunguntur: *Et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus à modò & vsque in sempiternum.* Describitur hoc loco fœdus, quod cum Christiano populo Dominus facturus erat eiusmodi futurum, vt non in tabulis lapideis incideretur, sed in hominum animis exararetur. Spiritus Christi Domini Ecclesiæ datus eam nunquam deseret, efficietque vt in perpetuum Christianorum hominum aures diuinis laudibus personent. Nihil hîc habes de scripto Verbo, euolue, & inuestiga diligenter singula, & si scripti Verbi aliqua hîc fiat mentio, nos causa cecidisse ingenuè fatebimur. Et quamuis tibi demus Isaiam eo loco nominasse scriptum Verbum, non tamen rectè propterea concludes, eum sensisse scriptum Verbum esse Ecclesiæ Notã. Cùm hoc Isaię vaticinio mirificè congruit, quod scripsit Ieremias: *Dabo legem meã in visceribus eorũ & in corde eorum scribã eã, & ero eis in Deũ, & ipsi erũt mihi in populũ*, & post pauca [b], *si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus, tunc & semen Israel deficiet; vt non sit gens coram me cunctis diebus.* Et caput illud his verbis concludit [c], *Sanctum Domini non euelletur, & non destruetur vltra in perpetuum.* Perscrutare Prophetæ huius αὐτόγραφον si apud te est; & perpende, an legem in tabulis lapideis, membranis, charta, aut alia simili re describendam prædicet., *In corde* (inquit) *eorum scribam eam.* Perpetuitas Ecclesiæ his Prophetarum testimoniis in primis confirmatur: vt & aliis multis Scripturæ sententiis, quibus recensendis propter breuitatis rationem supersedebo. Caluinus tuus ex loco illo Isaiæ quem contra nos adduxisti, concludit *dignos esse, qui*

Ierem. c. 31. 33.

Ecclesiæ perpetuitas à Prophetis prædicta.

b Vers. 36.

c Vers. 40.

Caluin. lib. 4. Inst. c. 1. §. 5.

fame

fame & inedia pereant, quicunque spiritualem animæ cibum, diuinitus sibi per manus Ecclesiæ porrectum respuunt. Te fefellerunt verba illa Caluini, *& hac nota pridẽ regnũ Christi insignierat Isaias.* Leuiter nimis voluisti tua paucula ex Caluino delibare, cùm de scripto Verbo eo loco nullam faciat mentionem: Redi ad Gebenenses doctores, quorum opera, vbi prima Caluinianæ doctrinæ rudimenta didiceris, nugis egregiè instructus, liberius nobiscum certamen institues.

MINISTER. pag. 16.

Ioan. 10. 4. Oues meæ audiunt vocem meam, & sequuntur me, alienũ autem nequaquam sequentur, sed fugient ab eo, quia non norunt vocem alienorum.

CATHOLICVS.

Ineptiarum tuarum præsidium omne in hoc Ioannis testimonio videris collocasse, cùm non tantùm caput, sed & versum (licet mendosè) citaueris: Non enim versu 4. sed 2. verba quæ citasti scribuntur. Hunc verò locum ex Caluino es mutuatus, qui eo vtitur ad probandum Ecclesiam non esse, vbi verbum Dei non apparet. Voluisti deinde grauissima D. Augustini interpretatione, iugulum nostrum petere. *Caluin. lib. 4. inst. c. 2. §. 4.*

MINISTER. pag. 16.

Id est, vt interpretatur Augustinus contra Petil. epistola, cap. 10. habeo manifestissimam vocem pastoris mei, commendantis mihi, & sine vllis ambagibus exprimentis Ecclesiam: mihi imputato, si ab eius grege, qui est ipsa Ecclesia, per verba hominum seduci, atque aberrare voluero, quum me præsertim admonuerit dicens: Quæ sunt oues meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me. Ecce vox eius clara & aperta, & exaudita. Qui enim non sequitur, quomodo se ouem eius dicere audebit? Nemo mihi dicat, Quid dixit Donatus, aut quid dixit Parmenianus, aut Pontius, aut quilibet illorum, quia nec Catholicis quidem Episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, vt contra Canonicas Scripturas aliquid sentiant.

CATHOLICVS.

Catholici non dissident à D. Augustino, vt te existimare coniicimus, qui eius nuda verba profers: Tuum erat Theses nostras argumentatione aliqua improbare. Concedimus quidem tibi in Scripturis haberi vocem Domini commendantis Ecclesiam: At inde non efficies, Verbum scriptum esse Ecclesiæ notam, quasi illi vera essent Christi Ecclesia, qui scriptum Verbum proferunt, hoc Lutherani, Trinitarij, Anabaptistæ, faciũt, fecit & diabolus[a] ac Iudæi[b] contra Christum differentes. Docet ergo D. Augustinus (quod nos libenter amplectimur) eximia illa, quibus Christus Ecclesiam locupletare, & ornare voluit, beneficia, sacrarum literarum monumentis esse prodita. Sic contra Donatistas ex scripturis conuincit Ecclesiam, esse multi-

Verbũ Dei scriptũ Ecclesiæ nota esse non potest.
a Mat. 4. 6.
b Ioan. 7. 42

tudinem conſpicuam ac interire non poſſe. Subiicis & alterum eiuſdẽ teſtimonium.

MINISTER. pag. 17.

Idem ibidem capite secundo inter nos & Donatiſtas quæſtio eſt, vbi ſit Eccleſia, quid ergo facturi ſumus? in verbis noſtris eam quæſituri, an in verbis Capitis ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti: potius quòd in illius verbis eam quærere debemus, qui veritas eſt, & optimè nouit corpus ſuum.

CATHOLICVS.

Neque hic locus cõtra nos facit, cùm nõ dubitemus, quin in Scripturis tradantur beneficia illa quæ Chriſtus in Eccleſiam ſuam cõtulit. Vtque ſententia D. Auguſtini ab omnibus intelligatur, adiiciam quæ ſtatim conſequuntur: *Nouit enim Dominus qui ſunt eius. Quæ ſunt autem verba noſtra, in quibus eam quæri non oportet, aduertite, & videte etiam ibi quid interſit inter noſtra verba & illorum, & tamen in verbis noſtris Eccleſiam quæri nolumus: Quicquid nobis inuicem obiicimus de traditione Codicum diuinorum, de thurificatione, de perſecutionibus, verba noſtra ſunt, & in talibus quidem nos hunc tenemus modum, vt vel vtraque vera eſſe deputent, ſiue quæ à nobis, ſiue quæ ab ipſis dicũtur, vel vtraque falſa, vel noſtra vera, & ſua falſa: vel noſtra falſa, & ſua vera, & in his omnibus nullum eſſe crimen orbis Chriſtiani, cui nos communicamus, oſtendimus.* Ex his facilè eſt animaduertere omnem D. Auguſtini orationem eò ſpectare, vt Donatiſtarum furorem contineat, qui Chriſtianam Eccleſiam, ſolos Donatiſtas complecti exiſtimarunt: Nam Catholicos in Africa, grauia quædam ſcelera commiſiſſe, ac propterea Eccleſiam apud eos interiiſſe, confinxerant: quibus acutè ſanè reſpondet D. Auguſtinus, Catholicos Africanos cum cæteris Chriſtiani orbis Eccleſiis fidei communionem retinere, quare quæ mutuò ſibi obiecerãt Catholici Africani & Donatiſtæ, hominum verba erant, & in Eccleſias extra Africam nullo modo poterant deriuari. Aliundè ergo quàm ex incerta hominum innocentia, quænam eſſet vera Chriſti Eccleſia indagandum erat. Cùm verò in Scripturis plurima de Eccleſia ſcripta legantur, ex iis petenda, D. Auguſtini iudicio, erant quæ controuerſiam illam, inter Catholicos & Donatiſtas dirimerent, vt ſi quæ, in ſcripturis tribuuntur Eccleſiæ Chriſti, in Donatiſtarum Eccleſiam omnia conuenirent, Donatiſtas cauſam obtinuiſſe concederetur: ſin minus, paterentur ſe in Schiſmaticis haberi. Me nihil imponere Doctori tanto tertia quæ à te nobis obiicitur, eiuſdem ſententia planum facit.

Eccleſia Chriſti quomodo in ſcripturis inquirenda.

Cur Donatiſtæ Eccleſiam in Africa periiſſe contẽdebãt.

MINISTER. pag. 17.

Idem cap. 3. ſed vt dicere inceperam, non audiamus, hæc dico, hæc dicit: ſed audiamus hæc dicit Dominus: ſunt certè libri dominici, quorum auctoritati vtrique conſentimus, vtrique credimus, vtrique ſeruimus, ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.

CATHO

CATHOLICVS.

Cùm de fidei rebus orta controuersia,ex Scripturis commodè sedari potest, insanus esset qui neglecta Scripturarum auctoritate in hominis vllius sententia acquiescendum esse existimaret, quod significat Augustinus.

MINISTER. pag.17.

Idem totus Christus caput & corpus est,caput vnigenitus Dei filius & corpus eius Ecclesia,sponsus & sponsa,duo in carne vna, quicunque de ipso capite à scripturis sanctis dissentiunt, etiam si in omnibus locis inueniantur, in quibus Ecclesia designata est,non sunt in Ecclesia.&c.

CATHOLICVS.

Astutè interrupisti D.Augustini orationem,quæ vestram synagogam alienam esse à Christi Ecclesia non obscurè ostendit. Addam ergo quæ sequuntur in cap. 4. lib. de vnitate Ecclesiæ. *Et rursus quicunque de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant,non sunt in Ecclesia, quia de Christi corpore, quod est Ecclesia,ab ipsius Christi testificatione dissentiunt.* Si Caluiniana Secta cùm Christi Ecclesia communicat,te obtestor, vt mihi paucis vbinam gentium sit hæc Ecclesia Christi commonstres. Quod si doctrinam vestram,omnem terrarum orbem occupasse dixeris,res ipsa te ψεύδους & vanitatis redarguet:Rem enim perspicuè falsam,argumentis improbandam non iudico. Quòd porrò D. Augustinus (qui fidei nostræ dogmata Verbo non scripto plerumque cófirmat) in controuersia cum Donatistis de Ecclesia, ad scriptum Verbum prouocarit, Donatistarum fecit obstinatio, & spes certa obtinendæ causæ.Lege diligenter D.Augustinum, ac me nihil fingere fateberis: sic enim ille, quasi consilij sui interpres, ait:*Obscurius dixerunt Prophetæ de Christo,quàm de Ecclesia: puto propterea,quia videbant in spiritu contra Ecclesiam homines facturos esse particulas,& de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos:Ideo illud vnde maiores lites futuræ erant, clarius prædictum, & apertius prophetatum est, vt ad iudicium illis valeat, qui viderunt,& foras fugerunt à me.*

Aug. in Psal.30. Cur de Ecclesia quàm de Christo clarius est Prophetatũ.

CAPVT XVII.

CATHOLICVS.

DEinde à Rhetoribus (quos antea exagitasti) insignem concludendi rationem mutuaris, inquiens:*Sed quid plura ex infinita penè copia commemoremus?* Tenuis est sanè Patrum,qui pro te faciant,copia:Imò,vt verum dicam, ne vnius quidem Doctoris Ecclesiæ testimonio τὸ σὸ ἄτοπον confirmare poteris.

MINISTER. pag. 17.

Ex quibus illud Axioma verum est,Ecclesiæ notam primariam, &

quasi ἐντελέχειαι esse Verbum Dei, & in eo, & per illud Ecclesiam quærendam.

CATHOLICVS.

Hoc est logicè argumentari, silentio inuoluere quæ tuum errorē probare poterant. Si Verbum Dei scriptum est *primaria Ecclesiæ nota*, ante Verbum scriptum cognosci non potuit. Si tibi Turca aliquis de Secta vestra litem moueret, in quo Verbo scripto istam tuam primariam notam inuenires? Scriptum Dei Verbum (non enim τὸ ἄγραφον agnoscis) tuo iudicio est, quasi ἐντελέχεια Ecclesiæ, fuit ergo Christi Ecclesia imperfecta ante noui Testamenti ἐντελέχειαν scriptam. Disce precor ex Philosophis, quid sit ἐντελέχεια; nolo namque iam in eiusmodi philosophicis decertationibus insistere.

MINISTER. pag. 17.

Omnes autem ἑτεροδιδασκαλίας, id est, quæcunque extra hoc Verbum, & sine hoc Verbo docentur esse vocem peregrini, quam veluti adulteri, casta Christi sponsa auersari, ac fugere debeat.

CATHOLICVS.

Minister impropriè loquitur.

Si Logicogrammaticus tuam infantiam exagitaret, nescio an tua oratio cohæreret. Cogita tibi cum eiusmodi homine negotium esse (nam meum hac de re iudicium non interponam) ne illi repugnare videar; qui scripsit *Res contenta doceri.* vis ea quæ sine Verbo scripto in arte aliqua traduntur, disciplinam ab aliquo accipere posse, hoc enim non obscurè significat tua ex intima philosophia petita oratio, *quæcunque sine hoc Verbo docentur*: Suscipe quæso, hanc curam, vt res inanimas tandem ratiocinantes ad normam tuæ nouæ Logicę habeamus. Hactenus tuus logicogrãmaticus.

MINISTER. pag. 17.

Non enim tanta támque angusta res quæ ad veram æternámque felicitatem pertinent, hominum arbitrio erant relinquendæ.

CATHOLICVS.

Ad tuam libidinem vis Ecclesiæ Christi maiestatem minuere, cùm ipsius de fidei rebus iudicium, hominum esse existimas. Quid aliud de Christiana Ecclesia sentiret Turca? Prophetas, Euangelistas, & vno verbo, omnes sacros Scriptores in ordinem rediges, qui tam impiè de Ecclesia Christi sentire potuisti. Nunquid ante omnem scriptionis vsum, quæ ad beandos homines necessaria erant, Ecclesiæ perspecta & cognita fuere? Cur Deum præpotentem accusas, qui seculis multis, *Quæ ad veram fœlicitatem pertinent* (vt tu nugaris) *hominum arbitrio reliquit?* Si te Caluini discipulum, in consilium adhibuisset, nascente mundo litteris omnia quæ ad æternam beatitudinem spectant, consignasset.

MINISTER. pag. 17.

Idcirco doctrinam illam θεόπνευστον & salutarem, certis quibusdam literarum monumentis commendari, & notariorum (quorum fides sit omni

omni exceptione maior) ministerio placuit optimo sapientissimoq́; Deo consignari.

CATHOLICVS.

De Ecclesiæ, in rebus suæ fidei creditis, constantia, tuo iudicio Deus videtur dubitasse, qui membranis commendauit, quod castissimæ sponsæ committere noluit. Membranas ergo, in quibus Dei Verbum primùm exaratum est, perpetuas fore iudicas: Ecclesiam verò, cuius iudicium humanum planè esse existimas, tantis esse omnium rerum mutationibus obnoxiam, vt Dei Verbum sine scripto seruare non potuerit. Multis annis noui Testamenti doctrina sine scripto, propagata & conseruata est, immò barbaras quasdam gentes Irenæi ætate vixisse, quæ sine scriptionis subsidio, doctrinã ab Apostolis acceptam diligenter custodirent, idem sanctissimus Christi martyr narrat. *Quibus (inquit) si aliquis annunciauerit ea, quæ ab Hæreticis adinuenta sunt, statim concludentes aures longò longiùs fugerent.* Huc spectat luculenta illa D. Augustini oratio, *Homo fide, spe, & charitate subnixus, eáque inconcussè retinens, non indiget scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria, etiam in solitudine sine codicibus viuunt. Vnde in illis arbitror iam completum esse quod dictum est, siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur, quibus tamen quasi machinis tanta fidei & spei, & charitatis inest instructio, vt perfectum aliquid tenentes, ea quæ sunt ex parte non quærant.* Cùm igitur omnia ad scriptum Verbũ, reuocanda censeas, hoc tuum dogma de consignanda salutari doctrina literarũ monumentis, scripti Verbi testimonio confirma, aut certè in posterum Catholicam doctrinam calumniari desine.

Doctrina sine Verbo scripto traditur.

Iren. lib. 3. aduersus hæreses cap. 4.

Augusti. li. 1. de doctrina Christia. c. 39.

Multi sine scripturis salui esse possunt.

1 Cor. 13. 8.

Caluinistæ Verbo scripto, sua confirmare nequeunt.

MINISTER. pag. 17.

Quocirca vt verum est, Christum sanctificare Ecclesiam suam per Verbum, in eóque Verbo illam esse quærendam, ità quoque verũ est, illud Verbum esse scripta Prophetarum, & Apostolorũ: sicuti eadem Veritas disertè testatur.

CATHOLICVS.

Quorsum spectat hæc tam altè repetita comparatio? *Christus Dominus* (vt scribit Apostolus) *dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Si nomine Verbi, Bibliorum volumen intelligi dixeris, planè insanies: cùm certum sit Apostolum agere de verbis illis, sine quibus ex Christi Domini institutione non perficitur Baptismi Sacramentum, vt rectè hunc locum interpretatus est D. Athanas. his verbis: *Purificauit lauacro aquæ, hoc est, in Baptismi Verbo, & vita, Patris scilicet, & Filij, & Spiritussancti nomine.* Quam sententiam confirmat Anselmus, *Verbum*, inquiens, *vocat, inuocationem diuinitatis quod à baptizante super aquam profertur.* Fefellit te fortassis, analogia & similitudo

Ephe. 5. 25. 26

Athanas. in comment. in c. 5. ad Ephe

Ansel. in comment. in 5. c. ad Ephes.

1. Timot. 4. 5. similitudo verborũ, quibus Apostolus ad Timotheum vtitur, *Sanctificatur enim per Verbum Dei, & orationem:* At hoc loco de sanctificatione cibi agit, vt ex integra Apostoli oratione perspicuum est. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarũ actione percipitur. Sanctificatur enim per Verbum Dei, & orationem.* Quem locum accuratè exposuit Athanasius. *Sanctificatur* (inquit) *per Verbum Dei, & orationem: Ergo immundum erit nisi sanctificetur? Nequaquam, sed ex permissu id ponit. Nam primùm asseuerando nihil dicit immundum: deinde concedimus,* inquit, *immundum id fieri, habes tamen quam adhibere possis medelam, cruce obsigna, laudem Deo & gratias redde, sic immunditia, & fœditas omnis dilabetur.* Scio equidẽ Caluinianum vestrum dogma de sanctificatione, quæ fit per vestras conciones, eodem planè modo, quo per sacramenta: Sic enim vester ille Coryphæus. *Fixum maneat non esse aliàs Sacramentorum, quàm Verbi Dei partes, quæ sunt offerre nobis, ac proponere Christum, & in eo cælestis gratiæ thesauros.* Cuius dogmatis absurditatem conuincunt quæ in Apostolorum Actis scripta sunt. Si enim Apostolorum concionibus fuissent primi illi, qui Christo Domino nomina dederunt, sanctimoniam ac peccatorum remissionem adepti, cur eis D. Petrus suasisset *Corde compunctis, vt pœnitentiam agerent, & baptizaretur vnusquisque eorum in remissionem peccatorum?* Cur Philippus Eunuchum non tantùm erudire in fidei rebus, sed & Baptismo initiari voluit, si omnem innocentiam soli verbo deberi existimauit? Cur & vos, qui ἄλλο μὲν λέγειν, ἄλλο δὲ ῥαντίζειν ὕδατι, infantibus, qui conciones vestras planè non intelligunt, Baptismi sacramentũ conferre non veremini? Dices fortaßis[a] *Euangelium esse Dei virtutem in salutem omni credenti.* Hoc non inficiamur, at Apostolus ibidem se interpretatur. [b] *In eo enim* (inquiens) *reuelatur iustitia Dei ex fide in fidem.* Non ergo sentit Paulus Euangelium donare hominibus salutem aliter, quàm proponendo, promittendo, offerendo, & *reuelando iustitiam Dei ex fide.* Si Anselmo fidem habes, errorem tuum relinques. Nam Apostoli sententiam ad hunc modum explicat. *Euangelium est virtus Dei, id est, quod in Euangelio prædicatur, videlicet crux, & mors, & resurrectio Saluatoris, est virtus Dei, quamuis stultitia videatur incredulis.* Si Ecclesia Christi sanctificatur per Verbum, id est, vt tu interpretaris, *per Scripta Prophetarũ, & Apostolorum,* nõ semper fuit Christi Ecclesia sancta, cùm non semper habuerit Apostolorum, & Prophetarum scripta. Ad disertas tuas testificationes venio, in quibus cùm causæ tuæ præsidium omne colloces, mirum est, quàm Logices, ac cæterarum bonarum artium inopiam in te prodant.

Athan. in comment. in c. 4 epist. 1. ad Timot.

Quomodo sanctificatur cibus per Verbum Dei.

Caluin. lib. 4. instit. c. 14. §. 17.

Actor. 2. 38.

Actor. 8. 38.

Roman. 1. 16.

Roman. 1. 17.

Verbũ Dei quo pacto Ecclesiam sanctificet.

Ansel. in cõment. in c. 1. ad Rom.

CAP

CAPVT XVIII.

CATHOLICVS.

VIderis tibi apud indoctam plebem verba facere, te sola Scripturarum recitatione, de nobis triumphare existimans.

MINISTER. pag. 17.

Ioan. 5. Scrutamini scripturas, quia vos videmini vobis, in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testificantur de me.

CATHOLICVS.

De Scripturis veteris Testamenti tantùm, hic locus intelligi potest: Si quid ergo pro te facit, conclude solas veteris Testamenti Scripturas esse Ecclesiæ ἐντελέχειαν *& notam primariam;* institue ratiocinationem, vt tibi certi aliquid respondeamus. Nos credimus omnibus quæ scripta sunt, ex quibus tuum dogma nostro iudicio, probare non poteris, quòd si fallimur, nos certis ratiocinationibus errare conuince.

MINISTER. pag. 17.

Ephes. 2. 20. Superstructi super fundamentum Apostolorũ & Prophetarum, cuius angularis lapis, est ipse Iesus Christus: in quo totum ædificium congruenter coagmentatum, crescit vt sit sanctum templum Domino.

CATHOLICVS.

Quid opus fuit mutare sensum orationis Apostoli, tuáque noua interpretatione eam obscuram facere? *Cuius*, inquis, *angularis lapis, est ipse Iesus Christus,* cùm Græcè habeatur, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *existente summo angulari ipso Iesu Christo*, vt ad verbum Latinè Græca oratio exprimatur. De litterarum monumentis nullus est hic sermo, sed fidem, doctrinámque intelligit Apostolus; Infirmum, ex tua sententia, fuisset ædificiũ Ecclesiæ, cùm nondum perfecta fuissent ipsius fundamenta, non enim cùm scriberet Apostolus omnes noui Testamenti libri extabant. Lege quæ de hoc loco subtiliter disputat Franciscus Turrianus noster aduersus Sadeelem, & Caluini tui, singularem inscitiam agnosces, qui Catholicos (quos Rabulas appellat) hoc Apostoli verbo pulchrè refelli gloriatur, cùm, vt antea dixi, de Apostolorum scriptis ne verbum vnum hoc loco Paulus faciat. Probabiliter etiam disputat Thomas [a] Stapletonus, acerrimus Catholicæ religionis propugnator, nomine Prophetarum intelligi sermonum Interpretes, de quibus cap. 3. 5. locutus est Apostolus scribens illis esse reuelatum mysterium Christi: & cap. 4. 11. 12. docens Christum Dominum aliquos eiusmodi interpretandi munus qui subirent, Ecclesiæ suæ reliquisse.

Caluin. lib. 1. inst. c. 7. §. 2.
Stapl. Demonstrat. Principiorũ fidei. lib. 9. c. 3.

MINISTER. pag. 17.

1. Cor. 3. 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.

CATHOLICVS.

Næ tu ridiculus es, Minister, qui librum tuum Scripturæ senteñtiis, quæ ad susceptam disputationem nihil omnino faciunt, refercis. Nihil de scripto Verbo hoc loco inuenis, nisi fortassis, quę est tua inscitia, ipsum Christum Dominum scriptum esse Verbum sentias, sicque perinde tibi erit, dicere scriptum Verbum esse Notam Ecclesiæ, & Christum esse ecclesiæ Notam. Scio Caluinum hoc loco abuti, vt probet D. Petrum non esse fundamentū Ecclesiæ, vt postea dicemus.

Caluin. lib. 4. inst. c. 6. §. 6.

MINISTER. pag. 18.

2. Pet. 1. 20. Nulla Prophetia scripturæ propria est ἐπιλύσεως, i. explicationis.

CATHOLICVS.

Ad disputationem de Notis Ecclesiæ hic locus non pertinet. Vera quidem est oratio D. Petri, at ex ea non efficies scriptum Verbum esse Ecclesiæ Notam.

MINISTER. pag. 18.

Gal. 1. 7. Non est aliud Euangelium, sed nonnulli vos turbant, & volunt inuertere Euangelium Christi.

CATHOLICVS.

Vos Caluiniani inuertitis Euangelium Christi, dum commenta Caluini pro sacrosanctæ religionis nostræ oraculis populo proponitis. Non nominat hoc loco Paulus scriptum Verbum: implora Græcorum opem, & conuince Apostolum nomine Euangelij, scriptum Verbum significasse.

MINISTER. pag. 18.

Verùm quid pluribus opus est, quasi hac de re à piis dubitetur?

CATHOLICVS.

Piorum est nemo, qui tuæ incredibilis ἀλογίας non miretur. Probandum enim suscepisti Ecclesiæ primariam Notam esse Verbum Dei, ac pro argumētis aliquot Scripturæ locos, qui ne contortè quidem Catholicam veritatem euertunt, nobis obiicere te non puduit.

CAPVT XIX.

MINISTER. pag. 18.

Ecclesiæ tamen Catholicæ consensum, huius veritatis firmamento stabilitum obiter indicabimus.

CATHOLICVS.

Si fundamentum erroris tui non aliter in Ecclesiæ consensu posueris, quàm in Scripturæ veritate fecisti, omnis tua firmitas per se, sine dubitatione corruet.

MINISTER. pag. 18.

Tertul. de præscript. hæret. Nobis nihil licet ex nostro arbitrio inducere, sed neque eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit, Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam de suo arbitrio,

tris quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam, fideliter nationibus assignarunt.

CATHOLICVS.

Tertullianū si diligenter legisses, nunquam librum eius de præscriprionibus aduersus Hæreticos appellasses, *De præscriptis heret.* Vidisti apud tuum Caluinum Tertul. de præscrip. hæret. & ne vox manca & imperfecta ad nos veniret, eam sic perficere tibi visum est *de præscriptis.* Adiiciam quæ antecedunt verba illa quæ nobis obiicis, vt quid voluerit Tertul. omnes planè intelligant. *Hæreses,* inquit, *dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sine ad instituendas, siue ad suscipiendas vtitur: Ideo & sibi damnatum dixit hereticum.* (Apostolus scilicet ad Titum scribens) *quia & in quo damnatur sibi elegit: Nobis verò nihil &c.* Facilè est obseruare Tertullianum hoc loco de arbitrio, & electione Hæreticorum propriè agere. Nulli mortalium licet vlla fidei dogmata arbitratu suo excogitare. Falsus es, vt suspicor, verbis illis, *Sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignarunt.* Perinde tibi est assignare disciplinam & eam scribere: si ita sentis, probabis maiorem Apostolorum partem, non diligenter susceptum à Christo Domino docendi munus sustinuisse, cùm tantùm Petri, Pauli, Ioānis, Iacobi, Matthæi, & Iudæ scripta habeamus: An verò hi omnia ad salutem necessaria scriptis suis sint cōplexi, infrà differemus. *Fideliter ergo assignarunt Apostoli nationibus acceptam à Christo Domino disciplinam,* Dum nationes erudirent in Christianæ Religionis mysteriis, nihilque ad earum salutem necessarium, ipsis occultum esse voluerunt.

Minister ne titulos quidem librorum veterū nouit.

Tertull. Lib. de præscript. aduersus Hæretic.

Ad Tit. cap. 3. 11.

MINISTER. pag. 18.

Idem Apologia cap. 44. Quo plenius & impressius, tam ipsum, quàm dispositiones eius, & voluntates audiremus, Deus instrumentum adiunxit literaturæ, si quis velit de Deo inquirere, & inquisitum inuenire, & inuento credere, & credito deseruire.

CATHOLICVS.

Tertullianus cap. 44. Apologetici aduersus gentes, docet quantū incommodi respub. patiatur ex morte innocentium Christianorum. Tu verò ex cap. 17. caput 44 fecisti. Lubenter te ex hac Tertulliani oratione pro tua nota disputantem audirem, vt notare & obseruare possem argumenti tui vim. Nos tibi veram esse Tertulliani sententiam concedimus. At ille neque solis Scripturis ait contineri fidei nostræ dogmata, neque Scripturas esse Ecclesiæ Christianæ primariam Notam asseuerat. Quid respondebis Tertulliano in illo tuo de *Præscriptis heret.* libro neganti hæreticos admittendos ad disputationem de Scripturis, tum quòd Catholici soli sint legitimi Scripturarum possessores, tum etiam quòd eiusmodi disputationes plus calamitatis, quàm boni dare soleant. *Scripturas obtendunt* (de hære-

Tertull. lib. de præscriptionibus aduersus. Hæreticos.

Hæretici Scripturis abutuntur.

ticis agit, *Et hac sua audacia statim quosdam mouent, in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendi eos ad illam de Scripturis disputationem.* Et paucis interiectis: *Deinde quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi planè vt aut stomachi quis ineat versionem, aut cerebri.* Et post pauca: *Ergo non ad Scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita euaderet conlatio Scripturarum, vt vtramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solùm disputandum est: Quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturæ, à quo, & per quos, & quando, & quibus tradita sit disciplina, qua fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum & expositionum, & omnium traditionum Christianorum.* Si tu Caluini Minister, Tertulliani vis iudicio stare, ex Scripruris non erit constituendum certamen. Adduxisti pro te egregium restem, qui ante omnem congressionem te audiendum negat. Equidem cupio Tertullianum, inter nos arbitrum dari, quem tu non poteris recusare, cùm pro tuo errore eum testem laudaueris. Disputationis ergo initium ordiri oportebit à quæstione illa: *Quibus cõpetat fides ipsa.* Secundo loco quærendum erit: *Cuius sint Scripturæ,* ad extremum, *A quo, & per quos, & quando, & quibus tradita sit disciplina qua fiunt Christiani.* Vbi de his inter nos conuenerit, sublata erit de omnibus rebus fidei cõtrouersia: de quibus vt aliquid certi statuatur, cupio vt ad normam, & præscriptum ipsius Tertulliani, omnis nostra disputatio dirigatur. Quòd si eius Præscriptiones nondum legisti, accipe duas quæ Caluinianam doctrinam funditus euertunt. *Hanc dirigimus Præscriptionem si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit, quia nec alius patrem nouit nisi filius, & cui filius reuelauit, & nec aliis videtur reuelasse filius, quàm Apostolis, quos misit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua (quod aiunt) voce, quàm per Epistolas postea, si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, & sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit. Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum, & Christi, & Dei.* Præclaræ sunt hæ Tertulliani Præscriptiones, quas si approbares, Catholicus esses, atque Romanæ Ecclesiæ filius. Præstare facilè poterimus quæ nobis Tertullianus

Cum Hæreticis non disputandũ ex scripturis.

Tertul. lib. de præscript. aduersus Hæret. *Matt. 11. 27.*

Ecclesiæ matrices, Apostolicæ sunt in fidei doctrina sequendæ.

tullianus præscribit, qui Romanæ Ecclesiæ doctrinam sartam tectam esse volumus, ac Caluini cæterorúmque id genus hominum somnia ex eiusdem Ecclesiæ Romanæ sententia, damnanda iudicamus. Vis Præscriptionum Tertulliani vsum scire? non grauabor eum ipsius verbis adscribere. *Age iam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes facies vniuscuiusque.* Et post pauca, *Si autem Italiæ adiaces, habes Romam vnde nobis quoque auctoritas præstò est statuta. felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit.* Quò te vertes Caluini Minister? Quam Ecclesiam Apostolicam inuenies quæ somnia vestra se ab Apostolis didicisse testabitur? Subterfugiũ illud Scripturarum, vobis cum cæteris Hæreticis commune, Tertulliani Præscriptiones sustulerunt. Videndum erit, quid ab Apostolis didicerit, & quid docuerit, & quid nunc doceat Romana Ecclesia. Lege decreta Cõcilij Tridentini, & facilè disces Sectæ vestræ placita meram esse Christianæ doctrinæ corruptelam.

Præscriptionum Tertulliani vsus.

Eccl. Romanæ laus ex Tertull.

Petrus, Paulus, & Ioannes Romæ fuerunt.

CAPVT XX.

MINISTER. pag. 18.

Hilarius lib. 1. de Trinit. Quum itaque de rebus Dei sermo est, concedamus cognitionem sui Deo dictisque pia veneratione famulemur, idoneus enim sibi testis est, qui per se cognitus non est.

CATHOLICVS.

Hilarium planè non intelligis, qui cum errori tuo fauere existimas: concedimus quidem tibi veram esse Hilarij sententiam. Ergo inquies, scriptum Dei Verbum est primaria Ecclesiæ nota: Si hoc modo, non argumenteris, explica nobis animi tui sensa aliqua diserta oratione, qui tam disertè locos tuos proponis, vt ex iis qua ratione argumenta pro vestris erroribus sint eruenda, silentio penitus inuoluas.

MINISTER. pag. 18.

Complures alios huius generis locos de industria prætermittimus.

CATHOLICVS.

Hanc tuam egregiam ἀπόδειξιν nemo nisi tui similis, non ridebit, Minister: Prætermissos ais, de industria huius generis locos complures, qui hos paucos ex Caluiniana sentina, non ex ipsis fontibus hausisti.

MINISTER. pag. 18.

Neque enim existimamus piorum quenquam dubitare, Verbum Dei

quod Ecclesiæ fundamentum substrauimus, Prophetarum & Apostolorum scriptis contineri, quorum videlicet maior est omni exceptione autoritas.

CATHOLICVS.

Nemo est nostrum qui neget Verbum Dei scriptis Apostolorum & Prophetarum contineri. Cæterum à te libenter discemus, quid sentias de scriptis Marci, & Lucæ, quos Apostolos non fuisse constat, Quid item per Prophetarum scripta intelligas: Difficile enim vobis erit probare omnia quæ in veteri testamento leguntur à Prophetis esse conscripta. Vehementer etiam cupimus, vt omnes Scriptores veteris Testaméti, nominatim in prophetis esse numerandos, subtili aliqua ratiocinatione ex Dei Verbo comprobes. Certè Caluinus[a] negat siue Paulū, siue alium quemuis ex Apostolis scripsisse Epistolam ad Hebræos, quamuis multis in locis secum pugnans, Apostolo eam tribuat.[b]

[a] In præfat. epist. ad Heb. & in cap. 1. eiusdem epist. §. 3.
[b] Lib. 3. inst. c. 13. §. 26. & c. 15. §. 2. & serm. 5 in epistol. ad Ephes.

MINISTER. pag. 18.

Hoc tamen demonstrationi nostræ ponimus axioma, vobis (nisi planè insanitis) minimè repugnantibus, Verbum Dei non Prophetarū & Apostolorum scriptis tantum definiri, sed nefas quoque esse existimare quicquam ad salutem nostram pertinere. Quod non illorum monumentis planè, & perfectè contineatur.

CATHOLICVS.

Vt malè posuisti initia disputationis tuæ, sic cætera quæ inde sequi existimasti, pessimè à te sunt constituta. *Ponis axioma demonstrationi.* Prorsus non assequor orationis tuæ venustatem. Magister tuus te hoc modo barbarè effutire quicquid in buccam venit, docuit. Nos quidem, Deo laus, non insanimus, sed tuam miramur ἀναισθησίαν, qui ea ponis quæ præcipua fidei vestræ dogmata planè euertunt. In quo quæso Apostolorum, aut Prophetarum opere scriptum inuenisti fundamentum illud Sectæ vestræ à Caluino præclarè iactum, *Fidem esse diuinæ erga nos beneuolentiæ, firmam certamq́; cognitionem, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum sanctum & reuelatur mētibus nostris & cordibus obsignatur?* Vbi planè in Prophetarum aut Apostolorum scriptis legisti, alterum illud doctrinæ vestræ axioma, *Fidei radicem nunquam è pio pectore euelli, quin ima in parte defixa hæreat, vtcunq; decussa huc aut illuc inclinare videatur?* Hæc sunt doctrinæ vestræ præcipua capita, quæ nullo Dei verbo planè contineri ne tu ipse quidem inficiaberis. Non negabis etiam numeri Sacramentorum cognitionem, Christiano homini esse in primis necessariam. Profer ergo Scripturæ locum, in quo planè scriptum sit, duo tantùm esse Sacraméta. sed hac de re pluribus aliàs, vbi ad doctrinæ vestræ mysteria examinanda peruenerimus.

Caluin. lib. 3. inst. c. 2. §. 7. Præcipua doctrinæ Caluinianæ capita in scripturis non extant. *Caluin. lib. 3. inst. c. 2. §. 21.*

CAPVT

CAPVT XXI.

MINISTER. pag. 18.

Neque enim tantùm diserta extant hac de re, & Verbi & Ecclesia testimonia, qua certam indubitatámque omnium rerum ad salutem necessariarum cognitionem eis asserant atque vendicent, sed & omnibus peregrinarum doctrinarum generibus iter obstruant.

CATHOLICVS.

Non tantùm disertum, sed & grauissimum te esse Theologum iudicabo, si ex disertis tuis Verbi, & Ecclesiæ testimoniis vel vnum protuleris quod, *omnium rerum ad salutem necessariarum cognitionem scripturis asserat atque vendicet.* In venditationis tuæ acie collocas Apostolum, cum ais:

MINISTER. pag. 18.

2. Timot. 3. 16. A puero sacras literas nosti, qua te possunt sapientem reddere in salute, qua est per fidem in Iesu Christo. Tota Scriptura diuinitus inspirata vtilis, ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionē que est in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.

CATHOLICVS.

Si quæ proximè antecedūt orationem illam, quam pro deserta veritate tua adfers, diligenter perpendisses, fortaßis non tam audacter locum hunc aduersum nos ausus fuisses adducere. *Tu verò*, inquit Paulus, *permane in iis, qua didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.* Quæro ex te, num tuo iudicio, his verbis Apostolus fidei nostræ mysteria sit complexus, vt & illis, *Formam habe sanorum verborū, qua à me audisti in fide, & in dilectione in Christo Iesu.* De scripto Verbo nihil audis. Si verò Apostolus omnia literis fuisse commendata existimasset, superuacanea planè fuisset hæc ipsius oratio. Sed quid, dices, respondendum est illis verbis, *à puero sacrās literas nosti*? Nodum hunc (si quis est) facilè tibi expediemus. Apostoli sententia est de Scriptis veteris Testamenti intelligenda, quorum intelligentiam Timotheus à puero fuerat consequutus. Si argumentum, quod in his verbis residere existimas, pro tuo errore quicquam faceret, concluderes nihil in Marci & Lucæ scriptis ad salutem reperiri necessarium, quod in Prophetarum, & Apostolorum libris perspicuè non reperiatur. Lege Doctoris tui harmoniam, (si non tanta rerum sacrarūm cognitione polles, vt ab his duobus Euangelistis literis mandata, ab aliis verò prætermissa intelligere valeas,) & quàm rectè *posueris demōstrationi tua axioma*, facilè perspicies. Fatemur cum Apostolo *Omnem scripturam diuinitus inspiratam esse vtilem ad docendum &c.* At non rectè inde cōcludes solam Scripturam esse vtilem ad docendum. Neque etiam negabis, vt suspicor, hanc sententiam de singulis Scripturæ partibus

2. Tim. 3. 14.

1. Timot. 1. 13. Paulus multa verbo docuit, quæ ab eo non sunt scripta.

m 2 optimè

optimè poſſe intelligi, quamuis πᾶσα γραφὴ tu malè verteris *Tota Scriptura*. Si in vnam Scripturæ partem conuenit optimè Apoſtoli ſententia, verbi gratia, in Epiſtolam ad Philemonem, ergo hoc Apoſtoli teſtimonium, breuiſsimæ huic Epiſtolæ, *omnium rerum ad ſalutem neceſſariarum cognitionem aſſerit*. Cur ergo inanem ſumimus operam in cæteris ſacræ Scripturæ libris euoluendis, cùm in huius vnius Epiſtolæ anguſtiis, omnia ad ſalutem neceſſaria nobis abundè ſuppetant? Quòd ſi errorem tuum conſiſtere non poſſe dixeris, niſi Apoſtolum per omnem Scripturam, Bibliorum volumina omnia intellexiſſe obſtinato animo tuearis, quid de his Scripturis, quę dum hæc ab Apoſtolo ſcriberentur, nondum extabant ſenties, qualia ſunt Ioannis Euangelium, & Apocalypſis?

Miniſter τὸ πᾶν ἀντὶ τοῦ ὅλου ſumit.

Idem ineptè cognitionē tribuit Scriptis.

MINISTER. pag. 19.

Act. 20.27. Non ſubterfugi quominus annunciarem vobis omne Dei conſilium.

CATHOLICVS.

Non ait Paulus ſe ſcripſiſſe omne Dei conſilium: Exiſtimas fortaſſe Apoſtolum, ex ſcripto ſemper ad populum declamaſſe. Age, Caluini Miniſter, Elice ex hac Apoſtoli ſentētia, tuū axioma quod *demonſtrationi tuæ*, venuſtè ſanè, *poſuiſti*. Hoc modo tibi erit neceſſariò ratiocinandum. *Apoſtolus non ſubterfugit, quominus annunciaret maioribus natu Eccleſiæ Epheſinæ omne Dei conſilium, ergo Prophetarum, & Apoſtolorum ſcriptis certam, indubitatámque omniū rerum ad ſalutem neceſſariarum cognitionem aſſeruit*. Quis oro, non dicam Dialecticæ tuæ peritus, ſed etiam rudis ad tam ineptam, & Caluini miniſtro dignam ratiocinationem riſum tenere poterit? Tu aliter ἐνθύμημα tuum non formabis, ſi tibi conſtare volueris, cùm ego diſiunctas illius partes, verbis tuis paululum immutatis, conglutinarim.

Ridicula Miniſtri ratiocinatio.

MINISTER. pag. 19.

Hebr. 1. Deus multis vicibus, multisq́ modis olim loquutus Patribus per Prophetas, vltimis hiſce diebus loquutus eſt nobis per Filium.

CATHOLICVS.

Tibi videtur vox Multifariam, barbara, cuius loco ſubſtituiſti *multis vicibus*, diſce quid ſit Græcū vocabulum πολυμερῶς, ac tunc primùm liberè corrige aliorum interpretum errores. Quid vis ex hac ſententia efficere? Axioma fortaſsis *quod demonſtrationi tuæ poſuiſti*, vt ſic tecum loquar: Mihi crede, ad normam Dialecticæ Ariſtotelis, nunquam inſtitues ratiocinationem, vel probabilem, quæ axioma tuum confirmet. *Deus multifariam, multisq́ modis Patribus in Prophetis loquutus eſt*: nemo noſtrum hoc negat. Dices eum eſſe loquutum per Prophetarum ſcripta: eſto. Et per Prophetas etiam qui nihil ſcripſerunt, vt per Heliſeū. *Loquutus eſt etiam Apoſtolis in Filio*. At ſcripta Filij Dei, quæ rerum omnium ad ſalutem neceſſariarum

tiarum cognitionem contineant,proferre non poteris. Pauca scripsisse,legimus Dei Filium in terra. Si *autographum* huius scripti apud te habes, magno nos beneficio afficies, si illud nobis legendum transmiseris. *Ioan.8.6.8.*

MINISTER. pag. 19.

Ioan. 14.&c. Quum venerit Spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem &c.

CATHOLICVS.

Quod ex cap.14.Ioannis profers,cap.16.scribitur. Cæterum non inde concludes,quod in tuo axiomate posuisti, *Omnia nimirum ad salutem necessaria Prophetarum & Apostolorum scriptis contineri.* Gaudeo verò te à Magistri tui blasphemia abhorrere,cùm fatearis Spiritum sanctum Apostolos in omnem veritatem sine vlla restrictione deduxisse: Caluinus autẽ partes suggerendi tantùm,quæ ante Christus ore docuerat,ei asśignet. Quod nihil aliud est, quàm cum Eunomianis,& Macedonianis Spiritumsanctum Patris, & Filij ministrum facere. Longè aliter D. Chrysosto. *Ideo*, inquit, *Spiritui seruata est maior doctrina portio,ne putarent illum minorem*, Et ipse Christus Dominus, *Adhuc multa, habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: Qui omnem dicit*, vt ait Ambros. *nihil præterit, non diem, non horam, non præterita, non futura.* *Caluin.lib 4. inst.c.8.§.8.* *Chrys. homil. 1.in acta Apostolorum.* *Ioan.16.12.13* *Ambros.lib. 2.de spiritu sancto.c.12.*

MINISTER. pag. 19.

Psal.19. Lex Dei perfecta conuertens animam, testimonium Iehoua fidele &c.

CATHOLICVS.

Egregius es Minister,Scripturarum interpres, qui nomen Dei ἀνεκφώνητον in vna breui sententia, & Latinè reddis,& Hebraicè legendum omnibus proponis. Vis tibi Hebraica verba ascribam? תורת יהוה תמימה. משיבת. נפש עדות יהוה נאמנה neemana Iehoua hedut napesc meścibat temima Iehoua Torah. Græcam etiam lxx. interpretationem, ex qua sententiæ huius intelligẽtia omnibus perspicua erit,adiiciam. Ὁ νόμος κυρίου ἄμωμος ἐπιστρέφων ψυχάς, ἡ μαρτυρία κυρίου πιστή. Ex hac Dauidis sententia, sic formabis ratiocinationem, ni fallor. *Lex Dei est perfecta, & testimonium Iehoua fidele, Ergo Verbum Dei, Prophetarum, & Apostolorum scriptis tantùm definitur.* Volo autem prius, quàm tibi respondeã,ex te ipso quærere, an hæc Dei Lex, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*,sit perfecta? Si negaueris,ergo tuo iudicio,est imperfecta,seu nõ perfecta. Quis eam obsecro,perficiet? Atqui Dei omnia opera perfecta sunt: erit ergo & hæc Lex perfecta. Ex ea conclude, Verbum Dei Prophetarum & Apostolorum scriptis tãtùm definiri. Vox תמימה temima significat immaculatam,vt D.Hieron.vertit,seu perfectam:nihil enim potest vllus mor- *Psal.18.8.* *Exod.20.14.* *Deuter.32.4.*

talium in Dei Lege perfectionis desiderare: Est enim (vt ait Euthymius) *irreprehensibilis: quid enim in ea est quod accusari possit?* Ad hęc, tu nomine Legis, putas tantùm Legem scriptam esse intelligendam, quasi Dei Lex sine scripto non posset consistere. Qua in re grauissimè hallucinaris: Nam fuisse Legem datam Adamo πρωτοπλάστῳ non negabis: Et tamen scriptæ Legis nulla ante Mosem mentio in Scripturis est facta.

Euthym. in Psal. 18.

Gen. 2. 16. 17.

MINISTER. pag. 19.

Deuter. 12. &c. Quicquid ego præcipio, id obseruabitis, ad hoc nihil addetis, ab hoc nihil detrahetis, non declinabitis ad dextram &c.

CATHOLICVS.

In extremis verbis cap. 12. Deut. scriptum est. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.* Tu verè addis Scripturis, & addendo violas præceptum Domini, cùm in cap. illo 12. scriptum esse vis, quod non fuit à Mose scriptum: fortasse in tuo *autographo* habentur & illa verba, *non declinabitis ad dexteram*, & alia multa quæ tu insinuas hac tua, venusta clausula *&c.* Prohibet Dominus ne quicquam addatur libris Mosis, tanquam à Mose scriptum. Nam si sensisset Moses, vt tu videris significare, omnia ad salutem necessaria in Pentateucho contineri, Apostolorum scripta essent reiicienda, & nouum erit *tuæ demonstrationi ponendum axioma*, hoc videlicet, *Nefas esse existimare quicquam ad salutem nostram pertinere hac, quod nō Mosis monimentis planè, & perfectè cōtineatur.* Sed, dic amabò, an Domini præceptum violarit qui in extremo capite Deuteronomij mortem Mosis descripsit? Negare non audebis caput illud Deuteronomij esse partem.

MINISTER. pag. 19.

Galat. 1. 8. Etiamsi nos aut Angelus è cælo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizauimus anathema esto.

CATHOLICVS.

Apostolus his verbis non censet reiicienda omnia quæ ipse non docuerat, sed iis aliena, & repugnantia: Neque scriptam doctrinam hoc loco nominat, non enim ait, *præterquam quod scripsi: aut, præter id quod in sacræ scripturæ libris scriptum est:* Sed, *præterquam quod accepistis.* Imò potissimum doctrinam sine scripto traditam significat. *Ego* (inquit alio loco idem Apostolus)[a] *accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Accepit [b] autem sine scripto Euangelium *per reuelationem.* Præterea[c] *notum* (inquit) *vobis facio Euangelium quod prædicaui vobis, quod & accepistis, in quo & statis.* Profer hoc scriptum Euangelium, quod Corinthij ab Apostolo acceperant. Ac ne te diutius detineam, Vnus Augustinus pro nobis tibi respondebit, *Admonitio,* (inquit) *beatissimi Pauli, de vestris cordibus non recedat, si quis vobis euangelizauerit, præterquam quod accepistis, anathema sit.* Non ait *plusquam accepistis*, sed *præterquam quod accepistis: Nam si illud diceret, sibi*

a 1. Cor. 11. 23.
b Gal. 1. 12.
c 1. Cor. 15. 1.
August. tractatu 98. in Ioan.

Quid sit apud D. Paulum accipere, præter quàm quod accepistis.

ret, sibi præiudicaret qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat, addit, non quod inerat tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via. Quod itaque ait Dominus, adhuc mul- Ioan 16 12.
ta habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò, adiicienda illis fuerant, quæ nesciebant, non quæ didicerant, euertenda. Tu verò, si lubet, ὦ κεραυνοφόρε, ἢ τερπικέραυνε, orationis tuæ fulmina in D. Augustinũ verte, Ex hoc eodem loco Apostoli, quem tu nobis obiicis, duo grauissimi & acerrimi Religionis Christianæ, contra Hæreticos propugnatores, Athanasius, & Cyrillus Alexandrinus, Traditiones cõfirmant. Audi Athanasij sententiam vt eam & recitat, & confirmat Cyrillus. *Si autem quis præter hæc, ex diuinis Scripturis, alium docet esse filium Dei, & alium qui ex Maria adoptatus est in filium, sic vt nos, ita vt sint duo filij, vnus secundum carnem filius Dei, nempe is qui ex Deo: & alter secundum gratiam, nempe is qui ex Maria homo, vel si quis Domini nostri carnem supernè dicat, & non ex Maria virgine, vel conuersam Diuinitatem in carnem, vel confusam vel immutatam, vel passibilem Domini Deitatem, vel inadorabilem Domini nostri carnem, vt hominis, hunc anathematizat sancta & Catholica Ecclesia, optemperans in hoc diuino Apostolo dicenti: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit: hæc quidem beatus Athanasius.* Si omnia fidei dogmata, quæ hîc numerari vides, essent scripti Verbi testimoniis confirmanda, sine vllo traditionum non scriptarum subsidio, sudandum tibi esset. Quod si mihi fidem non habes, fac periculum, vt intelligamus tibi tantam esse diuinitus concessam rerum sacrarum intelligentiam, vt quæ omnes Ecclesiæ Doctores hactenus solo scripti Verbi præsidio perficere non potuerunt, tu nullo labore nobis valeas explicare.

Cyrill. Alex. de fide recta ad reginas li. 1. ex Athan.

Multa fidei dogmata quæ Verbo scripto confirmari nequeunt.

CAPVT XXII.

MINISTER. pag. 19.

Nonne videtis nos de industria complures Scripturæ locos prætermisisse.

CATHOLICVS.

Nihil prorsus tale videmus, cùm eas nobis duntaxat obieceris Scripturæ sententias, quæ ad præsentem disputationem non pertinent. Fac vt reipsa intelligamus hanc tuam industriam in prætermittendis Scripturæ locis, quam in iis nullo ordine describendis ex Magistrorum tuorum scriptis, percipere nondum sanè potuimus.

MINISTER. pag. 19.

Sed pauca audite de Ecclesiæ Catholicæ consensu. Irenæus aduersus Valent. Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe à Verbo Dei & spiritu eius ductæ. Nos autem quum & iuniores simus & nouissimi à Verbo Dei, & spiritu eius: quum & eorum quæ in communi hominum vita quasi

ante pedes nostros versantur, multa sint quæ nostram scientiam fugiant hæc quoque ipsa Deo committimus.

CATHOLICVS.

Minister Irenæum non videtur legisse.

Voluisti nobis negotium facessere: Quorsum vbi nihil opus est, & capita, & versus numeras, vbi verò res maximè postulat, ne librũ quidem nominas? Adiiciam integram sententiam Irenæi, quæ habetur lib. 2. aduersus hæreses cap. 47. *Vnus, & idem Demiurgus, qui & vuluam plasmauit, & solem creauit, & vnus idem Dominus, qui & stipulam eduxit, & triticum augens multiplicauit, & horreum præparauit. Si autem omnium, quæ in Scripturis requiruntur, absolutiones non possumus inuenire, alterum tamen Deum, præter eum, qui est, non requiramus: Impietas enim hæc maxima est. Credere autem hæc talia debemus Deo, qui & nos fecit, rectissimè scientes, quia Scriptura quidẽ perfectæ sunt, quippe à Verbo Dei, & spiritu eius ductæ: nos autem secundum quod minores sumus, & nouissimi à Verbo Dei, & spiritu eius, secundum hoc & scientia mysteriorum eius indigemus, Et non est mirum si in spiritalibus cælestibus, in his quæ habent reuelari, hoc patimur nos. Quandoquidem etiam eorum, quæ ante pedes sunt, dico autem quæ sunt in hac creatura, quæ & conteruntur à nobis, & videntur & sunt nobiscum, multa fugerunt nostram scientiam & Deo hæc ipsa committimus. Oportet enim eum præ omnibus præcellere.*

Non omnia in scripturis reperiuntur. Scripturæ perfectæ sunt.

Quid inuenis in hac Irenæi sententia, quod istud tuum Axioma confirmet? Irenæus ait scripturas esse perfectas, ergo nefas esse sentit existimare quicquam ad salutem nostram pertinere, quod Prophetarum, & Apostolorum scriptis non planè, & perfectè contineatur? ô Pugionem plumbeum! quo hic nouus Caluini ὑπερμάχος nos iugulatos iri putat. Perpende causam huius perfectionis, quam idem subiungit, & noli in posterum verbum vnum, ex Auctoris scripto (quod forte nunquam vidisti) arripere, ne pro Theologo, ridiculus Sophista apud omnes habearis. Sunt itaque Auctore Irenæo *Scripturæ perfectæ, quippe à Verbo Dei, & spiritu eius ductæ.* Perfectionem ergo Scripturarum is in eo vult esse positam, quòd nihil contineant, quod non verissimum, & certissimum, ab omnique falsitatis suspicione alienum sit: & cùm Deũ rerum omnium esse Auctorem, & effectorem Scripturæ doceant, impietas maxima est, inducere plures Deos, vt fecerunt Hæretici, quos Irenæus refutat. At tu, qui ad eius patrocinium confugiendum duxisti, explica si potes, illa eiusdem Auctoris verba, *Si autem omnium quæ in Scripturis requiruntur absolutiones non possumus inuenire, alterum tamen Deum, præter eum qui est, non requiramus.* Apage igitur & disce quid sit argumentari, qui nobis tela, quibus te confodiamus διαμωνί, dum errores tuos pro viribus tueris, nobis copiosè suppeditas.

Quo sensu Scripturæ perfectæ dicantur ab Irenæo.

MINISTER. Pag. 19

Augustinus de Genes. ad lit. maior est scriptura autoritas, quàm omnis huma-

nis humani ingenij capacitas comprehendere potest. Profectò inuiolabilem Sacrarum litterarum autoritatem confiteri debemus.

CATHOLICVS.

Aut planè, nec vsu, nec ratione cognitum habes Minister, quid scripserit D. Augustinus eo quem notas loco: aut omninò impudens es, qui decurtatam tanti viri sententiam nobis obiicis. In cap. 5. lib. 2. de Genesi ad literam. disputans de aquis, quæ suprà cœlos sunt, caput illud his verbis concludit: *Quoquo modo autem, & quales libet ibi aquæ sint, esse eas ibi minimè dubitemus. Maior est quippe Scripturæ huius auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.* Nos libentèr in D. August. sententiã imus: imò planè impius esset, qui vel minimum de Scripturarum auctoritate detraheret, eámque omnibus hominum ratiocinationibus non anteponeret. Quod verò eiusdem sententiæ adiunxisti. *Profectò inuiolabilem Sacrarum literarum autoritatem confiteri debemus,* nobis non aduersatur. Damnamus enim omnes, qui sacrarũ literarum auctoritatem violant Aquas supra cœlos esse credẽdũ est.

MINISTER. pag. 19.

Idem de peccatorum meritis lib. 1. cap. 22. Cedamus, & consentiamus autoritati Scripturæ sanctæ, quæ nescit falli, & fallere.

CATHOLICVS.

Nos lubenter cedimus auctoritati Scripturæ, quæ nescit falli nec fallere. Sed quid ex hac sententia erues pro tuo Axiomate? Perspicax nimis est hæc tua ἀγχίνοια & solertia, quæ omnes Auctorum sententias ad Axioma tuum confirmandum detorquere te docuit.

MINISTER. pag. 19.

Idem super Ioan. tractu. 49. cap. 11. Quum Dominus Iesus multa fecisset, non omnia scripta sunt, sicuti idem Sanctus Euangelista testatur, multa Dominũ Christũ, & dixisse, & fecisse, quæ scripta non sunt, electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentiũ sufficere videbantur.

CATHOLICVS.

Diligenter notas cap. 11. illius Tractatus, qui in capita non distribuitur. Dices te intelligere caput Euãgelij D. Ioãnnis. Quid intelligas nescimus, cùm ex obscura tua oratione certam aliquã sententiã elicere difficulter admodum valeamus. Certum est D. Augustinum de miraculis Christi Domini hanc sententiam scripsisse. Ex multis enim miraculis (inquit) quæ fecit Christus Dominus pauca scripto sunt commendata, quæ sufficere videbantur saluti credentium. Nam miracula, quæ D. Ioannes commemorat, sufficiunt ad persuadendũ Christum esse Dei filiũ, & vera esse omnia, quæ ipse docuit. Obseruanda est etiam D. Augustini loquendi ratio, Nõ enim ait, *Quæ saluti credentium sufficiebant, sed sufficere videbantur.* Constat siquidem ex Luca Dominum multa docuisse Apostolos ad fidem spectantia, quæ scripto non sunt tradita: Multa quoque Spiritumsanctum docuisse Ecclesiam, quæ nusquam in Scripturis sacris leguntur. Minister in citandis locis frequenter fallitur. Act. 1. 3.

MINISTER. pag.19.

Cyprian. Homil. ad Tit. 1. Euangelium omnia continet, præsentia & futura, honorem & pietatem omnem, simul fidem prædicatione Verbi conclusit, sicut enim præco præsentibus omnibus in theatro prædicat, ita & nos publicè prædicamus, ea ratione vt nihil addamus, sed ea tantùm quæ audiuimus, dicamus. Ea quippe virtus præconis est, veraciter quæ sibi credita sunt, omnia persequi, non aliquid addere, aut immutare, aut auferre.

CATHOLICVS.

Minister hallucinatur homiliã Chrysostomi Cypriano tribuens.

Quid ais bone vir? Vbinam terrarum versari te putas, qui D. Cypriano non tantùm sententiam vnam, sed & Homiliam integram contra communem omnium opinionem affingis? In operibus eius quæ ad manus nostras toties recusa peruenerunt, non inuenio vllam Homiliam in epistolam ad Titum: Parum, dices, interest Cyprianum pro Chrysostomo nominare: Vt hoc tibi demus, fortassis in tuis Aduersariis Cypriani nomen habes: saltem Homilia indicãda erat. *Homil.* inquis, *ad Tit. 1.* Nescio an intelligas primum caput: an verò Homiliam primam: At hæc leuia sunt: illud sanè grauissimum & planè in Christiano homine non ferendum, quòd vt errorem tuũ comprobares, Chrysostomi sententiam deprauare sis ausus. Verba illa Apostoli, *Manifestauit tẽporibus suis Verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi*, explicat idem Auctor, ad hunc modum. *Hæc est Prædicatio; omnia enim Euangelium continet & præsentia, & futura, honorem, pietatem, fidem, simul omnia Prædicationis verbo conclusit.* Tu verò corrigere voluisti Chrysostomi erratum, cum fingis eum scripsisse, *omnem simul fidem prædicatione Verbi conclusit.* Mirum est, te pro verbi tui prædicatione non supposuisse, *Verbi scriptione*, Vt quàm sis insignis in deprauandis Veterum scriptis planus, apud omnem posteritatem testatum relinqueres. Reliquam præterea sententiæ partem ita descripsisti, quasi de se loqueretur, non autem Apostolum explicaret: cogor ergo illius sententiam integram adscribere, vt Lector intelligat, qua fide nobiscum agas. *In prædicatione, Hoc est apertè cum magna loquendi libertate, hoc vtiq; est in prædicatione; sicut enim præco præsentibus omnibus in theatro prædicat, ita & nos, inquit, publicè prædicamus, ea ratione vt nihil addamus, sed ea tantùm quæ audiuimus, prædicemus. Ea quippe virtus præconis est, veraciter quæ sibi credita sunt omnia prosequi, non aliquid addere, aut immutare, aut auferre. Si igitur prædicare oportet, magna id fiducia atque constantia faciendum est, alioqui nulla erit prædicationis virtus. Idcirco & Christus non ait, dicite in auribus, sed prædicate super tecta. Nempe & ex dicendi modo, & ex loco prædicationem apertam, atque illustrem oportere esse commendat.* Hæc ille, vbi ne verbũ quidem de Scriptura vides: Probandum tibi erat Minister, omnia fide tenẽda, scripto Verbo esse definita, prout Axioma illud tuũ postulabat. Tu

Tit. 1. 3.

Minister Chrysostomi sententiam corrumpit.

bat. Tu porrò Euangelium cum scripto Verbo confundis, qua in re grauiter hallucinaris, cùm antè fuerit Euangelium, quàm vllum noui Testamenti Verbum literis mandaretur.

MINISTER. pag. 19.

Gregorius in Pastoral. cap. 44. Scriptura Prophetici sermonis in tenebris vitæ præsentis facta est nobis lucerna, & lumen itineris, &c.

CATHOLICVS.

Verbis nos vis pascere, qui ex cap. 44. Pastoralium D. Gregorij (quod nusquam est) sententiam, inscitiæ tuæ testem nobis profers. Scio Pastoralia in quatuor esse partes distributa, in quarum nulla tot capita vnquam reperire potui. Cæterùm vt demus Caluiniano Ministro, potestatem partiendi & diuidendi ad suam libidinem, veterum Auctorum scripta, faciamus D. Gregorium cap. 44. Pastoral. sic scripsisse: nobis non repugnabit, qui vltro concedimus, *Scripturam prophetici sermonis, in tenebris vitæ præsentis factam esse nobis lucernam, & lumen itineris:* non propterea tamen concludes Axioma, quod *demonstrationi tuæ posuisti*, verum esse. Non enim ait D. Gregorius, solam Scripturam prophetici sermonis nobis esse lucernam, & lumen itineris: imò si hæc sententia, vt tu existimas, pro te faceret, bonam Scripturæ sacræ partem, tanquam omninò non necessariam reiicere cogereris, aut sanè concedere quæcunque scripta sunt, esse *Scripturas prophetici sermonis*. Institue ad præscriptum Dialecticæ ratiocinationem, & me nihil à veritate alienum scripsisse, facilè intelliges.

Minister D. Gregorij capita malè notat.

CAPVT XXIII.

MINISTER. pag. 20.

HIC quoque nos temperabimus: è tanta enim copia, & in hoc quidem instituto nostro vix audemus paucula delibare.

CATHOLICVS.

O moderatum Caluini Ministrum! qui hæc paucula ex Caluinistarum inopia delibauit; quæ in Christianam veritatem, nullo ordine, nulla differendi methodo, sed perturbatè omnia proposuit. Qui vndique decerpsisti, quæ ad Catholicam doctrinam euertendam facere existimabas, paucula te delibasse credemus? Noli hominũ facilitate abuti: nemo nostrûm est, qui vestris oratoriis flosculis, & inani loquacitate se falli patietur. Nos tantam illam tuam copiam, vbi tua opera in lucem venerit, in magnam inopiam, Deo fauente, vertemus.

MINISTER. pag. 20.

Ex his tamen efficitur, quod ad argumentum maximè pertinet, omnes res fidei in scripto illo Verbo, cuius quæritur autoritas, id est, Prophetarum, & Apostolorum scriptis planè, & perspicuè contineri, vt nefas sit aliam quampiam doctrinam ad supplementum exquiri.

CATHO

CATHOLICVS.

Tu semper concludis, nihil tamen probas. Quamuis tibi daremus (quod nulla ratione dandum est) omnes res fidei in scripto Verbo planè,& perspicuè contineri, non tamen hinc efficeres scriptum Verbum esse primariam Ecclesiæ Notam. Si Argumēti itaque vocabulo,axioma illud tuum de Ecclesiæ primaria Nota intelligis, necesse est,vt nouis & firmioribus Theologicis armis instructus, in campū certaturus descendas.Quòd si paucula illa tua,ex ἱερῶν ἐν scriptis delibata testimonia, Argumenti nomine te complecti dixeris,hæc oratio tua non cohærebit, *Ex his efficitur,quod ad argumentum maximè pertinet.* Distinguis enim tua *Paucula* ab argumento. Quod ais,scripti Verbi hoc loco quæri auctoritatem : nulla est nobis,quod sciam,vobiscum de scripti Verbi auctoritate (quam summam esse vtrique volumus) contentio. Vobis de rebus omnibus κατὰ τὸ συμφέρον ἐπίχειν permissum est,nobisque multa affingere, quæ populi in nos odium possint concitare. Quòd autem de supplemento ais, meræ sunt calumniæ: Cùm enim Euangelium antè Apostolorum opera esset diuulgatum,quàm vllus noui Testamenti Scriptor Verbum vnum literis mandasset, planè non intelligo , qua ratione non scriptum Verbum, sit Verbi scripti supplemenrum. Idem est & scripti,& non scripti Verbi auctor Deus, ne quempiam fallas scribens,aliam esse Verbi scripti,& aliam nō scripti Verbi doctrinā.

MINISTER. pag.20.

Iam & illud vt necessarium huic conclusioni πόρισμα adiungendum est,Sacramenta Verbi esse tesseras atque sigilla.

CATHOLICVS.

παρέλκοντα Ministri à proposito aliena.

Modò librum tuum, quibus potes errorum portentis refercias, omnia erunt tibi necessaria. Quid opus fuit cum disputatione de Notis Ecclesiæ,miscere quæstionem non minus grauem de vi & ratione Sacramentorū? Age, (quādoquidem ita tibi placet) paucis excutiamus tuas tesseras,& sigillata Sacramenta reuellamus, vt omnes singularem vestram in obsignandis Caluini decretis,industriam perspectam habeant. Vis igitur cum eo Sacramenta esse Verbi tesseras, atque sigilla. Præclarum sanè ponis disputationis tuę,de auctoritate Verbi fundamentum. Sacramentum est Verbi sigillum,ergo à Sacramento Verbum auctoritatem (vt sic tecum loquar *precariò*) mutuatur. Quis est enim alius sigilli vsus,nisi literis,quæ illo obsignantur,auctoritatem,fidémque,vt adiungamus efficere? Hoc argumentum non latuit Caluinum, quod etsi dissoluere non potuit, ne succubuisse videretur, illud apposito exemplo scilicet, sigilli, & diplomatis eludere est conatus. *Breuiter* , inquiens , *responsum sit sigilla, quæ diplomatibus,aliisq; publicis actis appenduntur,per se accepta nihil sunt , vtpote quæ frustra appensa forent,si membrana nihil haberet descriptum, neque tamen ideo non confirmant , atque obsignant , quod scriptum.*

Caluinus lib. 4. Instit.cap. 14. §.3. & 5.

Caluinus ibidem §.5.

ſcriptum eſt, dum ſcriptis adduntur. Si hanc Caluini ſimilitudinem commentitiam,futilemque oſtendero, noua tibi erit argumenti excogitanda diſſolutio. Non negabis, vt ſuſpicor, Dei Verbum ſummam habere auctoritatem ab omni Sacramento ſeiunctam: Sacramentum verò quicquid habet auctoritatis,à Dei Verbo accipere. Diplomati autem Regis,ſi regio ſigno non fuerit obſignatum, nulla habetur fides: accipit ergo diploma, à ſigno auctoritatem: Signo verò non propterea fidem habemus,quod Regiis litteris ſit appenſum,ſed quia Regium eſſe ſcimus,non ergo à litteris, ſed à Rege auctoritatem habet. Caluini tui ſimilitudinem planè euerſam vides, cùm nulla ſit inter diplomata,& Dei Verbum ſimilitudo, vt neque inter Sacramenta,& ſigilla quæ diplomatis ſunt appenſa. Hallucinatur etiam Caluinus, maiorem exiſtimans eſſe in Sacramentis promiſsionum diuinarum perſpicuitatem, quàm ſit in Dei *Verbo. Sacramenta,* inquit, *& promiſsiones afferunt clariſsimas, & hoc habent pra Verbo peculiare, quod eas veluti in tabula depictas nobis ad viuũ repræſentant.* Quam Dei promiſsionem, vobis repræſentat profana Caluini Cœna? Si quis infidelium vos menſæ in templis veſtris aſsidentes,& cãtillantes cerneret, nõ exiſtimaret à vobis veterẽ Saliorũ epulandi ritum eſſe renouatum. Poſſem & alia multa à Caluino confi cta,& à Sacramenti natura planè abhorrentia hoc loco exagitare, quæ propter breuitatis rationem, ſilentio prætereunda ſunt. Ex ſigillatis tuis Sacramentis poſteà ſic concludis.

Sacramenta ſigilla non ſunt, vt vult Caluinus.

Lib. 4. Inſtit. c. 14. §. 5.

MINISTER. pag. 20.

Ac proinde in his Eccleſiæ notis quas inueſtigamus, de Verbo vniuocè dici, idémque reipſa planè eſſe: modo tantum diſtingui, & ratione.

CATHOLICVS.

Quid audio? *Sacramenta dicuntur vniuocè de Verbo,* & Verbum Dei tantùm eſt illud quod ſcriptis Apoſtolorum, & Prophetarum continetur? Ergo ſcripta hæc Apoſtolorum, & Prophetarum erunt Sacramenta. Cúmque in ſynagoga veſtra duo tantum recipi vultis Sacramẽta, Baptiſmum & Cœnam, neceſſariò ſcriptum Verbum erit aut Baptiſmus, aut Cœna. Animaduertiſne quorſum tendat inſignis iſta tua Dialectica, *Sacramenta de verbo vniuocè dici?* Nouum hoc Miniſter, introducis inter Chriſtianos παράδοξον. Hactenus Geneuæ litem Chriſti Eccleſiæ de Sacramentorum numero mouiſtis: Nunc tu tanquam nouus aliquis Arceſilas nouam errorum Academiam Nemauſi aperire cœpiſti περὶ τῆς συνωνυμίας Verbi & Sacramẽtorum. *Modo tantùm, & ratione Verbum & Sacramenta diſtingui* vis, *cùm reipſa planè idem ſint.* Si ita eſt, cur plebi pro Caluiniana Cœna, Bibliorum volumina nõ tradis deuoranda? Non minus enim charta, in qua Dei Verbum ſcriptum eſt, videri poteſt, quàm panis & vinum.

Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 18. §. 20.

Miniſtri de Sacramẽtis παράδοξον.

MINISTER. pag.20.

Verbum auditur, Sacramenta videntur: Illud, quidem per aures hæc verò, per oculos docent.

CATHOLICVS.

Optimè, *Verbum auditur*: Quodnam, quæso, Verbum? Scriptúmne? Nunquid & verba illa quibus Sacramenta consecrantur audiri possunt? At quàm præclarè argumentum instituis, *Verbum per aures, Sacramenta verò per oculos docent*: Ergo Sacramenta, & Verbum modo tantùm, & ratione distinguuntur. Negabis te sic ratiocinari: Id lubenter tibi cōcederem, cùm nullam hîc videam vel ratiocinationis speciem. Omnia confundis, non intelligens neque quæ loqueris, neque de quibus affirmas. Saltem negare non poteris quin *Scriptum Verbum per oculos doceat*: ergo scriptum Verbum neque modo, neque ratione à Sacramentis distinguitur. Excogita nouam aliquam inter Sacramenta, & Verbum tuum distinctionem: quam enim attulisti planè euersam vides.

MINISTER. pag.20.

Vtriusque subiectum idem est, Iesus Christus.

CATHOLICVS.

Liberè hîc ingenij mei accusabo tarditatem, cùm quid per Subiectum intelligas, assequi prorsus nequeam. Si enim vis, Christum esse Baptismi materiam, & Concionem eiusdem Baptismi formam cum tuo Caluino, modò tibi constes, perficiendum erit vt Baptismus ex Christo Domino, & Concione tanquam suis partibus constans nos *per oculos doceat.*

Caluin. lib. 4. inst. c. 17. §. 39. Ministri vt ἄτοπον.

CAPVT XXIIII.

MINISTER. pag. 20.

VNde Apostolus Rom. 4. & signum accepit Circuncisionis, quod obsignaret iustitiam fidei.

CATHOLICVS.

Mihi diuinandum relinquis, quorsum hanc Pauli sententiam adduxeris, vti arbitror: Sacramenta esse verbi sigilla, te hoc Doctoris gentium testimonio conuincere posse existimas: Sed erras Minister. Primùm enim Apostolus non scribit Circuncisionem esse sigillum promissionis, aut pacti, sed *signaculum iustitiæ*: quia, vt ait Origenes, claudit, & velat iustitiam fidei, donec suo tempore in aduentu Christi, patefiat quomodo verè iustificetur filius Abrahæ, qui est ex semine promissionis. Deinde fatemur Abrahamū antè fuisse iustificatum, quàm circuncideretur: At non propterea concludes, omnes ipsius posteros prius sanctimoniam, & iustitiam fuisse consecutos, quàm Circuncisionis signaculum acciperent. Quod accuratè docet D. Aug. his verbis: *Sicut in Abraham præcessit fidei iustitia, & accessit circuncisio signaculum iustitiæ fidei, ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis*

Caluin. lib. 4. inst. c. 14. §. 5. Origen. in c. 4. ad Rom. Circuncisio, cur Iustitiæ signaculum dicatur.

August. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24.

ritalis in dono Spiritusſancti, & acceſsit Sacramentum regenerationis, in lauacro Baptiſmi. Et ſicut in Iſaac, qui octauo natiuitatis ſuæ die circumciſus eſt, præceſsit ſignaculum iuſtitiæ fidei: & quoniam Patris fidem imitatus eſt, ſecuta eſt in creſcente, ipſa iuſtitia, cuius ſignaculum in Infante præceſſerat: Ita & in baptizatis infantibus, præcedit regenerationis Sacramentum, & ſi Chriſtianam tenuerint pietatem, ſequitur etiam in corde conuerſio, cuius myſterium præceſsit in corpore. Implora Gebennenſes tuos, Miniſter, vt tibi contra hunc clariſsimum Eccleſiæ Catholicæ Doctorem ſubſidio veniant, cuius oratione ſigillatum veſtrum dogma omninò proſtratum facilè animaduertis.

MINISTER. pag. 10.

Epheſ. 5. Vt Eccleſiam ſanctificaret purgatã, lauacro aquæ per Verbum: quemadmodum interpretatur Auguſtinus Tract. 80. ſuper Ioan. Lege Apoſtolum, & vide quid adiungat, Vt eam ſanctificaret, inquit, mundans eam lauacro aquæ in Verbo. Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, niſi adderetur in Verbo. & idem de Cataclyſ. cap. 3. Detrahe Verbum, & quid eſt aqua? Accedit Verbum ad elementum, & fit ſacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum.

CATHOLICVS.

Apoſtoli ſententia contra vos facit, qui Eccleſiam Chriſti ſceleribus omnibus eſſe contaminatam defenditis, lauacróque aquæ per Verbum nũquam expiari.[a] Voluiſti nos terrere tuo *Quemadmodum*, cuius nullum vſum hîc video. D. Auguſtinus Catholicam doctrinam in primis hac oratione confirmat: Nos enim certò nobis perſuademus, Elementum aquæ non poſſe delere peccata, niſi cum Verbo fuerit coniunctum. Nam, vt ipſe alibi ſcribit,[b] *Verbis Euangelicis Baptiſmus conſecratur.* & clariùs alio in loco, vbi conciones veſtras (quas pro Baptiſmi forma ſubſtituiſtis [c]) planè ſuperuacaneas eſſe teſtatur. [d] *Quamobrem, inquit, ſi Euãgelicis Verbis In nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti, Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamuis eius fides ſub eiſdem verbis aliud opinantis, quàm Catholica Veritas docet, non eſſet integra.* Euangelicis Verbis In nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti, conſecrandus eſt Baptiſmus, vt vult D. Auguſtinus, non autem Miniſtri Caluiniani concione. Non videris legiſſe eiuſdem ſermonem, de Cataclyſmo, cùm ei adſcribis quod in cap. illo 3. nuſquam inuenitur: Quare quæ illius, ſunt, vt omnes intelligant perfectam ipſius ſententiam ſubiiciam. *Aqua illa non ſolum corporis ſordes mundat, ſed animam à peccatis liberat. Debetis autem noſſe cur virtus illius aquæ, & animæ proſit, & corpori, non enim omnis aqua mundat: ſanctificatur hæc per conſecrationem Verbi: tolle enim Verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? accedit Verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Virtus Verbi per aquam mundauit nos, quia per aquas ambulauit.* Voluiſti perficere ſanctiſsi-

a Caluin. li. 4 inſt. c. 15. §. 10

b Auguſt. lib. 6. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 17.

c Caluin. li. 4. inſt. c. 17. §. 39

d Auguſt. lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 15.

Auguſt. de Cataclyſmo cap. 3.

mi huius Ecclesiæ Doctoris orationem clausula illa, *etiam ipsum tanquam visibile Verbum.* Dices clausulam hanc haberi in eius scriptis: Non inficior, At nego haberi cap. illo 3. de Cataclysmo, vt tu somniasti: Tract. verò 80. in Ioan. idem scribit: *Accedit Verbũ ad elementum, & fit Sacramẽtum: etiam ipsum tanquam visibile Verbum.* Agnoscimus Sacramentum esse visibile Verbum, at non inde efficies Sacramentum ratione tantum à Verbo scripto distingui. Tibi facio potestatem petendi subsidium à Philosophis, qui accuratè disputãt de totius à partibus suis distinctione. Dic quæso, num ratione tantùm manus tua, qua scripsisti librum tuum, à cæteris partibus distinguatur, an verò re ipsa? Vel si mauis, peto, an corporis tui moles ab vna quauis parte, ratione tantùm, & modo, ac nõ re ipsa disiungatur? Expecto quid ad hoc respondeas.

MINISTER. pag. 20.

Hoc tantùm volumus, certas esse Ecclesiæ notas, qua vt veræ felicitatis hæres, ita salutaris doctrinæ custos est. Illam autem Verbo & Sacramentis contineri, non tam ex nostris, quàm ex ipsius veritatis vi hactenus ostendimus.

CATHOLICVS.

Nemo Christianorum est, qui Ecclesię certas esse Notas inficietur, Deique Verbum & Sacramenta in eadem existere. Adduxisti quidẽ varias, sine vllo ordine, Scripturæ & Patrum sententias, at nullam planè ex iis instituisti ratiocinationem, quæ concluderet, *Ecclesiam Verbo & Sacramentis contineri.*

MINISTER. pag. 20.

Quid inde colligimus? Id nimirum, Professores, Turnonij quod ad institutum sermonem spectat maximè, Quænam veræ sint Ecclesiæ notæ, vt ad illius definitionem tandem aliquando perueniamus.

CATHOLICVS.

Oramus vehementer, vt hanc tuam collectionem in lucem proferas: caue tamen, ne dum diligenter nimis concludere vis, collectio tua omninò euanescat.

MINISTER. pag. 20.

Quum igitur Verbum & Sacramenta veras esse Ecclesiæ Catholicæ notas, non nos quidem demonstrauimus, sed ipsa demonstrauit veritas omninò Ecclesiæ Catholicæ illa erit vera, & τεκμηριώδης definitio.

CATHOLICVS.

Tu plus tibi assumis quàm res, & ipsa veritas tibi concedit: Veritatem porrò, quam hîc tam θαῤῥαλέως iactitas, nondum ex scripto tuo elicere potuimus: Quare eam in Democriti fortè puteo adhuc latitantem, fac arte tua mirabili, vt inde eductam, & omnibus suis depictam numeris in lucem proferas, ad Verbi Dei præscriptum tanquã ad Lydium lapidem, examinandam. Interim disce ἀληθεύειν, vt in posterũ aliqua tibi, vel à tuæ Sectæ hominibus fides habeatur.

CAPVT

CAPVT XXV.

MINISTER. pag. 21.

E*cclesia Catholica est Sanctorum Communio. 1. Cœtus visibilis amplectentium Verbum Dei, & ex illius instituto rectè vtentium Sacramentis.*

CATHOLICVS.

Mirum est quid te mouerit, vt Caluini definitione neglecta, ab hostibus Sectæ vestræ [a] Magdeburgensibus Ecclesiæ definitionem peteres. Proponam tibi Caluini definitionem, vt videam quid in ea reprehēdas[b] *Minister. Quid est Ecclesia? Puer. Corpus ac Societas Fidelium, quos Deus ad vitam æternam prædestinauit:* Quam definitionē probat idem alibi scribens: [c] *Soli Deo permittendam esse cognitionem suæ Ecclesiæ, cuius fundamentum est arcana illius electio.* Explica nobis qua ratione, tua definitio cum Caluini doctrina possit cōsistere. Tu vis Ecclesiam esse *Cœtum visibilem*, ille contrà contendit, *Soli Deo permittendam esse cognitionem suæ Ecclesiæ.* Sed vt tam insignem iniuriam à te in Caluinum immissam, eius asseclis relinquā propulsandam, quàm rectè Ecclesiam definieris videamus. Si Ecclesiæ vim vniuersam tua definitione es complexus, solis iustis in Ecclesia locum relinquis, nam hi soli sunt, qui rectè Sacramentis vtuntur. Tibi ne plus tribuemus quàm Paulo, qui Corinthiorum Ecclesiā agnouit, in qua erant nonnulli flagitiis cōtaminati? *Omnino, inquit, auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris aliquis habeat, & vos inflati estis: & nō magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Dices fortassis, hunc incestum non fuisse Ecclesiæ membrum: At quid de cæteris Corinthiis iudicas, quos Apostolus inflatos fuisse scribit, quamuis fratres appellàrit? Et si is qui incestum fecit, post perpetratum flagitium non fuit Ecclesiæ membrum, cur eum Apostolus excommunicationis vinculo irretire voluit? Præterea, eosdem Corinthios accusans, scribit, *Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus.* Vbi est nunc tua *Sanctorum communio*? Rectè argumentantur Dialectici, Petrus est homo, ergo Petrus est animal. Cur non & nobis Theologis sic licebit ratiocinari? Corinthij (quos Apostolus accusauit) fuerunt Ecclesia, ergo & fuerunt Sanctorum communio, cùm Ecclesia (te auctore) non minus sit Communio Sanctorum, quàm Petrus est homo. Dices te definiuisse Catholicam, & non Corinthiorum Ecclesiam: Certè si Ecclesia quæuis, Ecclesia nominari debet, tua definitio (si perfecta est) eam complectitur. Perperā etiam fuisse Corinthios Eucharistiæ Sacramento vsos te fugere non potest, cùm Apostolus dicat, [e] *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam Cœnam manducare.* Et ibidem testatur, abusum Corinthiorum in hoc sacrosancto Sacramento Deum acerrimè puni-

Marginal notes:

[a] *Cent 1. li. 1. c. 4. tit. de Ecclesia.*
Minister à Caluini doctrina dissentit.
[b] *In Cathechismo Geneuē. de fide.*
[c] *Caluι. lib. 4. inst. c. 1. §. 2.*
1. Cor. 5. 1. 2.
1. Cor. 6. 8.
1. Cor. 5. 4.
1. Cor. 11. 20.
[e] *1. Cor. 11 3.*
Cal. serm. de Natiu. Ioan. Bapt. scribit, ἀναμαρτήτους Corinthios ob id peste laborasse.

uisse. *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Si præterea illi soli qui amplectuntur *Verbum Dei & ex illius instituto, rectè vtuntur Sacramentis*, sunt Ecclesiæ membra, qua ratione Euangelicas parabolas in Ecclesiam docebis conuenire? Nempe
a Matt 3 12. de arca [a] Dominica, in qua simul triticum & paleæ: de sagena [b] missa
b 13.47. in mare, in qua sunt pisces boni & mali: de agro [c] Domini, in quo
c Matt.13.24 crescunt zizania vsque ad messem: de decem [d] Virginibus, quarum
d Matth.25. sunt quinque fatuæ. Ex his omnibus locis sumpsit Diuus Augusti-
1.2. nus argumenta, quibus Donatistarum errorem (quem tu iam renouas) accuratè redarguit. Vnum est quod à te lubenter discerem, an Nemausensis vestra Congregatio sit *Sanctorum communio, &c.* Si affirmes, cōcludam Nemausensem vestrā Congregationē esse Ecclesiam Catholicam, cùm ei Ecclesiæ Catholicæ definitio, à te tradita conueniat, quod tamen anteà his verbis scribens negasti. *Si vos*
Pagin. 15. *vicissim Professores Turnonij, nos esse Ecclesiam Catholicam negatis, duo respondebimus, vnum neque vnquam nobis in mentem venisse simile quicquam vt vniuersalis Ecclesia nomen nobis propriè arrogaremus.* Si verò neges esse *Sanctorum communionem* (quod te facturum non puto) erit Sathanæ synagoga, cùm quicquid Sanctorum ἐν τῇ κοινωνίᾳ non contineatur, in partem Sathanæ veniat.

MINISTER. pag. 21.

Verbum & Sacramenta, visibilis illius, quam quærimus, Ecclesiæ, visibiles esse notas si negatis, piæ certè animæ agnoscent.

CATHOLICVS.

b Pag.20. Paulò antea scripsisti [b]: *Non vos, sed ipsam veritatem demonstrasse Verbum & sacramenta veras esse Ecclesiæ Catholicæ Notas*, nunc verò tuæ veritatis demonstrationi diffidens, ad piarum animarum agnitionem cōfugis. Tu sanè nos valde stupidos iudicas; quòd veritatis demonstrationi (quam te falsò in lucem protulisse iactitasti) non assentiamur. Sed vt piæ Animæ, (quarum opem nunc imploras) à nobis cognoscantur, subiicis.

MINISTER. pag. 21.

Quæ ad veram illam Ecclesiam in ipsa visibili variis hominum generibus permixta, hominibus quidem inuisibilem, Deo autem vni notam, se pertinere intelligunt.

CATHOLICVS.

Inuisibilis ergo Ecclesia, est in Ecclesia visibili: & piæ illæ tuæ Animæ sunt in Ecclesia inuisibili, ergo sunt & visibilis, & inuisibilis Ecclesiæ membra: seu (vt te nouum Ciceronem imiter) ad visi-
Minister Ecclesiā monstrosam depingit. bilem & inuisibilem Ecclesiam pertinent. Deinde, cùm tu *Ecclesiam inuisibilem*, appellas *veram Ecclesiam*, Insinuare videris visibilem Ecclesiam, falsam esse Ecclesiā: Piæ tuæ ergo Animæ, erunt & veræ,
Caluin lib. 4. inst. c. 1. §. 3. & falsæ Ecclesiæ membra. Bone Deus! Ecclesiam nobis Minister verè τεράστιον cum tuo Caluino depingis? Si negaueris pias tuas Ani-

mas,

mas, visibilis Ecclesiæ esse membra; Explica nobis singularem aliquã rationem, qua inuisibilis Ecclesia, sit in Ecclesia visibili. Turcæ, & Iudæi eandem multis in locis cum Christianis vrbem incolunt, & tamen Turcarum, & Iudæorum cœtus non sunt in Ecclesia. Antea etiam definiuisti *Ecclesiam Catholicam esse cœtum visibilem*: At tuæ piæ animæ sunt inuisibiles, non ergo sunt Ecclesiæ Catholicæ membra; nisi dicas omnem Christianorum cœtum visibilem quidẽ esse, singulos verò ex hoc cœtu mente, non autem oculis à nobis posse conspici. *Piæ tuæ animæ* (vt somnias) *ad inuisibilem Ecclesiam Deo vni notam se pertinere intelligunt*: Quod si ita est, ergo inuisibilem Ecclesiam cognoscunt: nam si non cognoscerẽt, qua ratione ad inuisibilem Ecclesiam *se pertinere dicerent*? Sic dicam te esse filium Chimæræ, & me hoc intelligere, (quamuis nec te, nec Chimęram cognoscam): Si verò cognoscunt inuisibilem Ecclesiam, ergo tua inuisibilis Ecclesia *non est iam vni Deo nota*. Non video quo pacto te hinc extricare posſis, nisi dixeris multas esse Christi Ecclesias inuisibiles, & pias tuas animas rudem & adumbratam habere Ecclesiæ illius (cuius sunt membra) intelligentiam: At ne hoc quidem modo te expedies: semper enim Ecclesiæ illius (*ad quam piæ Animæ se pertinere intelligunt*) intelligentiam aliquam ipsis animis concedere cogeris.

Ecclesia Caluinistarum monstrosa.

Ecclesiæ definitio à Ministro allata euertitur.

CAPVT. XXVI.

MINISTER. pag. 21.

Geminam enim vnius Ecclesiæ faciem distinguendam esse, non modò Verbi Dei eruditæque vetustatis veritas, sed vestrorum quoque Doctorum consensus docet.

CATHOLICVS.

Si de facie Minister, eruditam Christianæ Religionis Antiquitatem agnouisses, non tam facilè pugnantia loquereris: Antea, tuo iudicio, *Vera Ecclesia fuit in Visibili variis hominum generibus permixta: nunc verò, geminam vnius Ecclesiæ faciem distinguis.* Erit ergo vna facies in altera. Profer tuam eruditam Vetustatem, vt intelligamus quænam sint hæ *geminæ facies Ecclesiæ* quas tu nobis obiicis, quarum vnam fortaſsis vis à nobis conspici, alteram in latebris occultari. Scio Ecclesiæ vocem nõnunquam pro eis qui æterno æuo in cælis fruuntur accipi, quos tua definitio non cõplectitur.

Minister pugnantia loquitur, & bifrontem Ecclesiam facit, sicut Poëtæ finxerunt esse Ianum.

MINISTER. pag. 21.

De visibili agimus, quum de illius notis agimus, quas non incertas & vagas, sed veris indubitatisq; discriminibus illustres esse affirmamus.

CATHOLICVS.

Visibilem Ecclesiam definiendam suscepisti, cur ergò nos voluisti fallere, tradens Ecclesiæ Catholicæ definitionem: & *visibilis*

vocabu-

vocabulum reticens? Si quis definiret animal esse, id quod rationis est particeps,& postea se non animal vniuersè, sed hominem definiuisse diceret,in Sophistis,vel tuo iudicio, meritò esset numerandus. De te verò quid sentiemus Minister,qui cùm Ecclesiam Catholicam definiuisses, visibilem à te duntaxat esse definitam, tandem nobis subiicis. Orationem tuam vagari, & errare video, qui *Ecclesia notas veris indubitatisq; discriminibus, illustres esse affirmas:* Illustra nobis quæso hæc tua discrimina penicillo Caluiniano, vt exploratum habere possimus,quę discrimina intelligas,an Notarum inter se,an verò Christi Ecclesiæ à Sathanæ Synagogis.

MINISTER. pag. 21.

Vobis illam æquiuocam, solo nomine speciosam Ecclesiā relinquimus.

CATHOLICVS.

Et re,& nomine speciosam contendimus, imò probauimus esse Ecclesiam Romanam. Quòd si te parum moueant,quæ suprà à nobis adducta sunt,teuereberis,vt suspicor,Imperatoriam maiestatem, quæ Ecclesiam Romanam,ipsiúsque Pontifices vehementer coluit, & obseruauit: *Cunctos populos*, inquiunt, Grat. Valentin. & Theodos. Imppp. *quos clementia nostra regit imperium,in tali volumus religione versari, quam Diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quámque Pontificem Damasum sequi claret.* Profer simile Imperatoris vllius de Gebennensium Synagoga decretum, atque apud vos aliquam Ecclesiæ speciem esse non inficiabimur. Adiiciam & aliam illustrem Iustiniani de Ecclesia Romana legem, vt omnes intelligant tuæ Sectæ hominum,in deprimenda Christi Ecclesia fraudes, *Vt Legum originem anterior Roma sortita est,ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse nemo est qui dubitet:vnde & nos necessarium duximus, patriam legum, fontem sacerdotij, speciali nostri numinis lege illustrare, vt ex hac in vniuersas Ecclesias Catholicas, quæ vsque ad Oceanum positæ sunt, saluberrimæ legis vigor extendatur, & sit totius Occidentis, necnon & Orientis &c. Lex propria ad honorem Dei consecrata.*

Lib.1. Cod.de summa trin. & fide cath.

Lex Imperatoris de Ecclesia Romana.

In prin.auth. vt, ecc. Rom. cent. anno. gau.prescr.

Nemo Iustiniani ætate dubitauit Summi Pontificatus apicem, apud Ecclesiam Romanā esse, quam tu Caluini Minister,impudenter nimis,solo nomine speciosam nuncupas: At benè habet, nullum testem profers,qui intolerabilem istam tuam ἀλαζόνειαν approbet.

MINISTER. pag.21.

Ne nobis Ecclesia Romana claues, aut commentitiam quandam Petri cathedram opponatis.

CATHOLICVS.

In gladiatoria existimas te exerceri arte, qui tam diligenter aduersariis tuis præscribis,quid tibi opponere debeant.In Ecclesia Romana,nullam nouimus,commentitiam Petri Cathedram: Clauium verò, quas à Christo Domino eandem Ecclesiam accepisse certò nobis

nobis persuademus, contra Caluinianos conatus, rueri auctoritatem non cessabimus: & dum Ecclesiæ Romanæ claues contemnis, tibi omnem ad Regnum cælorum aditum planè obstruis. *Quodcunque ligaueris*, inquit Dominus Petro, *super terram, erit ligatum & in cælis.* Hanc ligandi in terris potestatem, aut in Christi Ecclesia esse negabis, aut certè Petri successoribus in primis, eam iure concessam dices. Matth. 16. 19.

MINISTER. pag. 21.

Non aureas, aut argenteas claues, aut eburneam Cathedram didicimus in Verbo illo Dei, quo vno fides nostra innititur.

CATHOLICVS.

Didicisti in re graui, cùm nulla suppetunt argumenta, argenteis clauibus, & eburneis cathedris nos ludere. At quamuis Geneuæ D. Petri templum per summum scelus occupetis, Petri tamen claues vos accepisse à Christo nulla ratione probare poteritis.

MINISTER. pag. 21.

Non palatia illa laqueata templorum, aut visibilis cuiusdam Capitis diadema: quod quasi auiti imperij insigne, à Petro repetitis.

CATHOLICVS.

Tu disputationis laqueos declinare conaris, cùm *Palatia laqueata templorũ*, nobis obiicis. Vis fortassis palatium esse templi partem aliquam, nam aliud quid velis tua noua loquendi formula, planè nõ intelligo. Priuatæ tuorum ædes, Catholicorum spoliis magnificè, & splendidè ornatur, & tu nobis laqueata templorum tecta probari loco audes obiicere. Diademata quòd hactenus, qui vestris capitibus imposuerit inuentus sit nemo, malè vos habere certum est. Nam primę nobilitatis Scotum, doctrinæ vestræ cultorem, nominare possum, qui testabitur Ioannem Knox, terræ filium, primum & summum noui Euangelij vestri apud nostrates buccinatorem, vt viduam regij sanguinis fœminam in matrimonio (si tamen execrandum apostatæ Sacerdotis incestum, matrimonium appellare liceat) habere quiret, nihil prætermisisse. Et cùm ad optata peruenire non posset, odio ardens & vlciscendi studio incensus nobilissimam fœminæ illius familiam, & gentem omnem non antè pro virili delere & exterminare cessauit, quàm miserrimus homuncio ex hac luce migraret. Facilè autem existimabat se vnà cum coniuge, Regni potiturum, cùm Caluiniano artificio, fœminæ fratres, proximos Serenissimæ Scotorum Reginæ tunc hæredes, è medio nullo negotio sustulisset. Nam & antea duas fœminas Anglas, matrem & filiam quibus Geneuæ flagitiosè abutebatur (vt constans rumor est) interfecerat.

Minister, Scotus nihil intentatum reliquit, vt Regni potiretur.

Ministri Scoti flagitium & crudelitas.

MINISTER. pag. 21.

Regni Cælorum claues tantùm didicimus, Verbum Dei, Petri cathedram, ipsius doctrinã in Ecclesia Dei sonantem: Templum Dei, Ecclesiã Prophetarum, & Apostolorũ doctrina innixã credimus, & profitemur.

CATHOLICVS.

Matt. 16.19.

Minister per claues Petro traditas scriptum Verbum ridiculè intelligit.

Christum Dominum regni cœlorum claues Petro Apostolorum principi se traditurum promisisse legimus: Quare cùm *scriptum Dei Verbum*(non scriptum enim tanquam profanum reiicis)*regni cælorū esse claues* asseris, tibi probandum erit Dominum Petro Bibliorum volumē tradidisse. Nihil enim se facturum Dominus pollicitus est, quod reipsa non perfecerit, aut suo tempore non sit perfecturus. Hęc est præclara vestra Caluiniana doctrina, quæ nullo stabili fundamento innixa, delirantium somnia, pro fidei nostræ decretis, omnibus exsibilanda proponit. Nam si ita sit, certè quicumque habebit scriptum Dei Verbum, Regni cælorum etiam (vt vos fingitis) claues possidebit: potestatem ergo habebit ligandi atque soluendi, non minorem, quam D. Petrus. Si dixeris non omnes Christianos verū scriptum Dei verbum habere, te non satis sanum omnes iudicabunt, cùm scripti Verbi lectionem, tanquam ad salutem omninò necessariam, omnibus etiam sordidis opificibus prædicare non intermittatis. *Petri* verò *Cathedra* est tibi *ipsius doctrina in Ecclesia Dei sonans*. Cùm doctrina illa, quam tu Petri appellas, vbique terrarum audiatur, Cathedram etiam Petri nusquam non esse, omnésque in Petri cathedrá sedere, qui ipsius colunt disciplinam, inficiari, non poteris, pro vna Petri Cathedra (in qua Romanum Pontificem sedere nemo, nisi tui similis, negabit) innumera tua nobis τὰ φάσματα substituēt. Tēpla etiam omnia, in quibus Christiani ad rem diuinam faciendam, æternique numinis opē implorandā, cōueniunt, tollere videris, cùm *templum Dei*, *Ecclesiam*, *Prophetarum*, *& Apostolorum doctrinæ innixam te credere, & profiteri scribis*. Nam si Christianorum templa Deo esse grata existimasses, intempestiua planè esset tua hæc interpretatio. Neminem nostrū latet Christianos esse Dei templum [a]: At non propterea sacras Christianorum ædes aspernari debes, cùm Dominus dixerit [b], *Domus mea, domus orationis est*. Quid autem Clauium regni cælorum nomine intelligatur, paucis accipe. Nomine igitur harum Clauium omnem Ecclesiasticam cōplectimur potestatem. Cùm enim clauibus reserare, & claudere, non tantùm arcas, & priuatarum ædium ianuas, sed & vrbium portas soleamus, Clauium vocabulum ad potestatem designandam translatum esse, in Repub. planè hospes erit, qui negabit: Vsus namque obtinuit, vt nouis Magistratibus, portarum claues inter cætera potestatis suæ insignia deferantur. Regni ergo cœlorum Claues, se Dominus Petro daturum promisit, id est, summam reserandi & claudendi regnum cælorum potestatem, gubernandíque principatum: siue Regni cælorum nomine sempiternum quo beati fruuntur æuum: siue eorum qui in terris sub Domini insignibus decertant communionem intelligas. Ac ne tibi contra Scripturæ morem, Clauium vocabulo (vt tu facis) abuti videar, audi Isaiam sententiam nostram dilucidis verbis

Beza in confess. fidei suæ. cap. 4. art 7.

a 1. Cor. 3. 16.

b Luc. 19. 46. Isa. 56. 7.

Quid nomine clauium Regni Cęlorum Catholici intelligant.

verbis confirmante: *Dabo clauem domus Dauid, super humerum eius & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Biblia Christum super humerum suũ accepturum, Propheta his verbis fuisset vaticinatus, si commentum illud tuum de clauibus regni cœlorum verum esset. Sed quid D. Ioanni respondebis, qui optimè cum Isaia congruit, scribens. *Hæc dicit Sanctus, qui habet clauem Dauid qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Disce igitur à Christianis Theologis, clauem in Scripturis, potestatem significare: non autem, vt falsò tibi persuasisti, vtriusque Testamenti doctrinam. Quę Theologi accuratè de clauibus potestatis, & scientiæ disputant, propter breuitatem in præsens attingere non audeo. Quare vbi de Petri Cathedra pauca dixero, cœptam nugarum tuarũ refutationẽ, vt hactenus feci, pro virili persequar. Cathedra Petri, est auctoritas quam Petrus in Christi Ecclesia habuit docendi, ac Christiano populo iussa describendi: nam hoc modo, Cathedræ vocabulum vsurpauit Propheta regius scribens, *Beatus vir qui in Cathedra pestilentiæ non sedit.* Scio equidem nomine Cathedræ Moysis graues aliquos Theologos, eius doctrinam intelligere: At non propterea, ni fallor, legitimam Magistratuum Ecclesiasticorum vocationem tolles, quam Caluinus insinuari testatur, sic scribens, *Sedet in Cathedra Mosis qui non ex seipso, vel proprio sensu, sed ex Dei autoritate & Verbo præcipit. Simul tamen legitima vocatio hic notatur.*

Isai. c. 22. 22

Apoc. 3. 7.

Quid sit Petri Cathedra.

Psal. 1. 1.

Cal. in harm. ad. 23. Matt. §. 2.

MINISTER. pag. 21.

Huius autem licet facies propter hominum peccata sæpenumero commutetur, manet tamen immobile sempiternũmque eius fundamentum, Verbum Dei.

CATHOLICVS.

Vis, quantum ex tua præclara doctrina coniicere licet, Bibliorum volumen manere semper incorruptum, quamuis Ecclesia variis perturbationũ procellis agitata faciem mutet, id est, ex Visibili fiat Inuisibilis, & contrà, ex tenebris, hominum oculis denuò se conspiciendam præbeat. Nos scimus à Domino esse dictum *Cælum & terra transibunt, Verba autem mea nõ præteribunt.* Cùm nondum scriptum Euangelium extaret, *Verbum etiam Domini*, vt inquit Isaias, *manet in æternum.* At literarum perpetuum fuisse, aut etiam fore vsum, hactenus in Scripturis non legi. Imò plerique ex Veteribus [a], existimant omnes ante captiuitatem Babylonicam, veteris Testamenti conscriptos libros, à Iudaici nominis hostibus deletos, ab Esdra verò non sine singulari Diuino afflatu fuisse denuò restitutos. Nulla sanè vnquam erunt tam grauia hominum peccata, nullæ tam funestæ hæreses (quas per Inferorum portas Scriptura intelligit) quæ Ecclesiæ, firmissimo fundamento innixæ, stabilitatem concutere possint. Verbo Domini [b], & non falsis vestris dogmatis credendum nobis est: *Portis* verò *Inferi* tua faciei commutatio in Ecclesiam cõtra Christi

Matth. 24. 35.
Isa. c. 40. 8.

a Iren. li. 3. ad uers. Hæres. c. 25. Tertul. de habit. mulier. August. lib. 2. de mirab. sac. script. c. 33

b Mat. 16. 18.

promissum, imperium tribuit.

MINISTER. pag. 21.

Quod inter illas varias variarum rerum vicissitudines, atque mutationes constanter perdurat, & in illo Catholica illa quam credimus Ecclesia, in qua veritas est, & salus constanter conseruatur.

CATHOLICVS.

Quàm tibi constanter & veritati conuenienter scribas, parum te laborare video, modò inani loquacitate aures hominum oppleas. Sta-
Matth. 16. 18. bilem etiam & ipsam Ecclesiam permanere in quacunque rerum vicissitudine si inficiaberis, Verbi Dei perpetuitatem negare cogeris. Tuo iudicio, *In scripto Verbo, Catholica Ecclesia constanter conseruatur*, scriptam nobis ergo facies Ecclesiam. Vulgò dicimus in Ecclesia scriptum Verbum conseruari: At in scripto Verbo, qua ratione conseruetur Ecclesia, à te si me scripto Dei Verbo docere possis, lubenter discam. Excogitabis, credo, aliqua τὰ ἀνάῤῥητα καὶ ἄῤῥητα scholia, vt dictorum tuorum constantiam tuearis. Si per scriptum Verbum Ecclesiam conseruari oratione tua te significare dixeris; Quia ante omne scriptum Verbum Ecclesiam cōseruauit, & sine scripto eandem facilè conseruare poterit.

CAPVT XXVII.

MINISTER. pag. 21.

Hanc igitur dicimus Ecclesiam, Iesuita, quæ non humanarum opinionum fulcris, humanave autoritatis præsidiis, sed vnico vnius Dei Verbo innititur.

CATHOLICVS.

Scriptam Ecclesiam dicis, Minister, ac ex scripta tandem pictam, imò nullam facies. Deus vult hominum vti opera in conseruanda
Ephes. 4. 11. Ecclesia sua, vt testatur Apostolus, asserens, *Deum dedisse quosdā quidē Apostolos, quosdam autem Prophetas, aliós verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij in ædificationem Corporis Christi.*

MINISTER. pag. 21.

Hanc colimus, hanc amplectimur, hanc vt matrem & dominam veneramur, & suum de seipsa testimonium lubenter audimus.

CATHOLICVS.

Ex domina (vt in progressu videbimus) miserrimam sordidissimorum quorumcunque hominum seruam facies. Trium Patrum quas profers sententias, Ecclesiæ testimonium appellas: Et si tibi vel sexcentorum Patrum testimonia, contra Caluini decreta obiiciamus, tanquam hominum delirationes aspernari & reiicere non vereris. Quod pro vobis videtur facere, est scriptum Dei Verbum: quod verò vobis aduersatur, in hominum commentis (quæ vestra est auctoritas) numerandum prorsus iudicatis.

I MINIST

MINISTER. pag. 21.

Hilarius in Psal. 126. Domus hæc ædificanda per Deum est, humanis enim operibus extructa, non permanet, nec doctrinis seculi instituta consistit, neque inanis labore solicitudinis nostræ custodietur, extruenda aliter est, custodiēda aliter est: non super terram, non super fluxam & di labentem arenam initianda, sed fundamentum eius super Prophetas & Apostolos collocandum.

CATHOLICVS.

Primùm tibi respondeo nullam in hac D. Hilarij sententia de Verbo scripto (quod tu solum vrges) fieri mentionem. Deinde ad Ecclesiam non pertinere (sicut à te perperam adducitur) verba hæc quæ præcedunt, apertè declarant. *Vbi sedes æterna Domini? vbi requies sempiterna? Quod habitabile ei templum? nempe illud de quo dictum est, Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis. Hæc domus & hoc templum Dei est, doctrinis, & virtutibus Dei plenum, & sanctitate cordis diuini capax incolatus: De quo idem hic Propheta testatus est, Sanctum templum tuum: mirabile in æquitate. Sanctitas, æquitas, continentia humana Deo templum est. Domus ergo hæc ædificanda per Deum est: humanis enim operibus extructa non permanet &c.* quæ subiungis. Iamne vides D. Hilarium de singulis Christianorum animis, qui per inhabitantem Spiritus Sancti gratiam, & virtutes diuinitus infusas, templum Dei facti sunt, locutum esse? Quid hic locus ad susceptam de Ecclesia Dei visibili disputationē pertinet? Define igitur contortis peruersè in tuā sententiā Patrum testimoniis, populum decipere.

1. Cor. 6. 16.

Psal. 64. 5.

Ministri fraus detegitur.

MINISTER. pag. 22.

Idem libro 6. de Trinit. Hæc fides, Ecclesiæ est fundamentum: super hanc confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est, hæc fides regni cælestis habet claues, hæc fides est, Quæ in terris solueris, aut ligaueris & ligata sunt in cælis & soluta.

CATHOLICVS.

Si Hilarius scriptum Dei Verbum Ecclesiæ fundamentum facit, cur tu ipsius orationem immutasti? Cur orationis dispersas partes nouo tuo artificio sic colligasti, vt qui Hilarium non legisset, te ad Verbum ipsius sentētiam omnem exscripsisse iudicaret? Vt ergo orationis illius, partium ordinem restituam, & quæ tu copulare voluisti vt Lectorem falleres, in Hilario disiuncta esse omnes intelligant, decerpam ex eodem & quæ tu nobis obiicis, & quæ omnem eiusdem sententiam illustrare poterunt. *Neque enim Petro tantum* (inquit ille) *ex confesso honore laus reddita est, sed ex agnitione mysterij, quia non Christum solùm: sed Christum Dei filium esse confessus est.* Et post pauca: *Pater dicendo hic est filius meus, Petro reuelauit vt diceret, Tu es filius Dei: quia in eo quod dicitur, Hic est, reuelantis indicium est: in eo verò quod respondetur, Tu es, confitentis agnitio est. Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio*

Hilarius lib. 6. de Trinit.

Super confessionem Petri Ecclesia ædificatur.

est, sed sensus carnis & sanguinis, confessionis huius intelligentiam non reuelat. Hoc est diuina reuelationis Sacramentum, Christum Dei filium non solum nuncupare, sed etiam credere, aut nunquid nuncupatio potius quàm natura Petro reuelata est? Si nuncupatio? iam hanc à Domino frequenter audierat se esse Dei filium confitente. In quo ergo reuelationis est gloria? Natura scilicet, non nominis, cùm frquentata nominis professio iam fuisset. Hac fides Ecclesia est fundamentum, per hanc fidem, infirma aduersus eam sunt porta inferorum: hac fides, regni calestis habet claues, hac fides, qua in terris soluerit: aut ligauerit, & ligata sunt in calis & soluta: hac fides paterna reuelationis est munus, &c. De scripto Dei Verbo summum est in hac Hilarij oratione, silentium, quam non video quorsum adduxeris, nisi vt ex ea probares, super Petrum non fuisse ædificatam Ecclesiam: Quia *super confessionis petram Ecclesia adificationem esse* scribit Hilarius. Concludere te putas Petrum non esse à Domino constitutum Ecclesiæ fundamentum: aut quia ait, *Hanc fidem esse Ecclesia fundamentum*, Petrum à fundamento (tuo iudicio) excludit. Insignis es Hilarij interpres, qui inconstantiæ Notam ipsi inurere non vereris, modò quauis ratione, ipsius verba ad sententiam tuam confirmandam rapere valeas. Audi præclaram & dilucidam Hilarij sententiam, quę Caluinianam caliginem ab omnium oculis facilè dispellet: *Dignum planè confessio Petri premium consecuta est, quia Dei filium in homine vidisset. Beatus hic est vt vltra humanum oculos intendisse, & vidisse laudatus est, non id quod ex carne & sanguine erat, contuens, sed Dei filium calestis Patris reuelatione conspiciens, dignúsque indicatus qui quod in Christo Dei esset primus cognosceret. O in nuncupatione noui nominis, felix Ecclesia fundamentum, dignáque adificatione illius petra, qua infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret, O beatus cali ianitor! cuius arbitrio claues aterni aditus tra duntur, cuius terrestre iudicium praiudicata auctoritas sit in calo, vt qua in terris aut ligata sunt, aut soluta statuti eiusdem conditionem obtineant, & in calo.* Nihil contra te clarius dici potuit: Petrum enim appellat, *Felix Ecclesia fundamentum.* Seiunge ergo nunc confessionem & fidem Petri à Petro, vt Petrum Ecclesiæ esse fundamentũ neges. Fides Petri à Petro seiuncta, vt non habet Ecclesiæ claues, ita neque super eam in alio quouis homine Ecclesia ædificata est, quare cùm scribit Hilarius, *Hac fides Ecclesia est fundamẽtum.* Hanc habet sententiam; Petrus in fide constans & stabilis, diuina benignitate factus est fundamentum Ecclesiæ. Nam paulò post verba illa, quæ tu in nos contorsisti, scriptũ ab eodem legimus, de D. Petro (cuius auctoritatem diuinitus acceptam vos Caluiniani ferre non potestis.) *Qui in cunctorum Apostolorum silentio Dei filium reuelatione patris intelligens, vltra humana infirmitatis modum superemmentem beata fidei sua confessione gloriam promeruit.* Et ante verba

Hilar. can. 16. in Matt.

Petrus est Ecclesiæ fundamentum.

Hilarius lib. 6. de Trinit.

verba illa,quorum ordinem tibi mutare visum est,nostram sententiam his verbis confirmat. *Post Sacramenti confessionem beatus Simon ædificationi Ecclesiæ subiacens, & claues regni cælestis accipiens, &c.* Alio item in loco,ne gloriari possis Hilarium esse tuum,vt ὁδέγως te fecisse postea docebo. *Cùm quedã*,inquit,*de passione sua loquutus,ad discipulos fuisset, & Petrus tanquam indignum hoc Dei Filio detestatus esset, Petro, cui superius claues regni cælorum dederat: super quem Ecclesiam ædificaturus erat, aduersus quam portæ inferi nihil valerent,qui,quæ in terris vel soluisset, vel ligasset,ea in cælis vel soluta persisterent,vel ligata. Hunc itaque tali conuitio detestantem hoc Sacramentum passionis excepit, vade post me Sathana scandalum mihi es. Tanta enim ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum Filij Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cælestis regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cæli, Sathanæ conuitio nuncuparet.* Noli amplius Hilarium tibi vendicare, qui Dominum, *super Petrum Ecclesiam ædificaturum* scribit,& eundem *Ecclesiæ fundamentum* apertè pronunciat.

Hilar. in Ps. l. 131.

Præclara D. Petri elogia.

CAPVT XXVIII

MINISTER. pag. 22.

CHrysost. Homilia de Pentecost. *Super hanc petram,non dixit super Petrum,non enim super hominẽ, sed fidem Petri ædificauit Ecclesiam suam: Quænam autẽ erat fides, Tu es Christus Filius Dei viui.*

CATHOLICVS.

Si tu adiecisses quæ sequuntur in D. Chrysostomo,ac fideliter ipsius verba recitasses,facilè intellexisset Lector,summum Christianorum Oratorem, mysticum hoc loco sententiæ Christi Domini sensum tradidisse: Probat enim firmitatem & perpetuitatem Ecclesiæ. *Dixit Christus, cælum & terra transibunt, Verba autem mea non præteribunt: facilius est cælum præterire,& terram deuocari, quàm Verba mea excidere: quæ autem sunt verba eius, adducamus in medium: videamus ne fortè interciderint,nõ dubitans dico,sed hæreticos obcludo. Quæ ergo sunt verba? Cælum,& terra transibunt, Verba autem mea non præteribunt? qui Sermones? quæ Verba? Tu es Petrus & super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: super hanc petram: non dixit, super Petrum: non enim super hominem, sed super fidem* (tu adiecisti Petri) *ædificauit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? Tu es Christus Filius Dei viui: Petram vocauit Ecclesiam, fluctus suscipientem, & non titubantem: etenim Ecclesia tot suscipit tentationes, non tamen vincitur. Quid est super Petram? hoc est super Confessionem, super Sermones pietatis.* Hunc locum D. Chrysostomi excutiamus, qui (vt tibi videtur) sentit Ecclesiam esse ædificatam super fidem Petri: Cùm Ecclesia super Petrum fide destitutum fundari nequeat, vt neque super nudam fidem ab omni homine seiunctam. Rectè igitur asserit Dominum dixisse *Super hanc*

Chrys. ser. de Pentec.

petram, & non super Petrum: qui enim Petrum dicit, nudum hominē nulla fidei ratione habita significat: Qui verò dicit hanc petram, fidem etiam ipsam complectitur. Quòd si Germanum orationis Christi sensum (quem vulgò literalem appellamus) hoc loco tradidit D. Chrysost quomodo ait, Dominū Petram vocauisse *Ecclesiam fluctus suscipientem & non titubantem*? ædificauit ne Dominus auctore Chrysostomo Ecclesiam suam super Ecclesiam? qua ratione scribit *super petram, hoc est, super confessionem, super Sermones pietatis*? Nunquid Christiani omnes Christum confitentur? nunquid plurimi de pietate sermones faciunt? Super has petras tibi videtur Christus Ecclesiam ædificasse. Mysticum ergo sensum verborum Christi, hoc loco nobis apertè tradidit, quod ante eum fecit Origenes, scribens [a] *Petram esse, quisquis Christi discipulus est.* at idem [b] alibi propriam verborum Domini sententiam expresſit, *Petrus*, inquit, *per promissionem meruit fieri Ecclesiæ fundamentum.* Ac vt Chrysostomi auctoritate commenta tua refutem, accipe si placet quid ille ex professo verba Domini explicans, de hac Petra, quam Ecclesiæ voluit esse fundamentum, sentiat: postquam enim explicauit *super hanc petram*, id est, *super fidem*, paucis interiectis subiicit, *sublimiora Petrum sapere Christus facit, & Ecclesiæ Pastorem constituit.* Et post pauca ait, *Christum hoc loco id agere, vt homo piscator, quauis petra firmior reddatur, vniuerso terrarum orbe reluctante, & Ieremiam quidem vni genti, hunc verò, vniuerso terrarum orbi à Christo præponi. Denique tu*, inquit, *ex his omnibus quanta sit Petri potestas intellige. Et ego tibi dico, quia tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.* Vbi es Minister? Hæcne verba D. Chrysostomi, *Ego super te ædificabo Ecclesiam meam*, non te feriunt? Eccum aliud eiusdem Doctoris de Petri auctoritate iudicium. *Princeps Apostolorum Petrus super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis petra est, firma confessio, nonne pauper erat, &c.* Perspicis Petrum appellari, firmam confesſionem, quæ nulla ratione vacillare potest. Si omnia quæ Diuus Chrysostomus, pro Diui Petri dignitate in scriptis reliquit commemorare vellem, de susceptæ breuitatis ratione à me neglecta, æquus Lector meritò mecum expostularet: Dabit tamen, vt spero, veniam, si vno aut altero eiusdem Auctoris testimonio nostrorum ἀντιγονιστῶν peruicaciam detestabilem esse docuero. *Sanctū*, inquit, *ac iustum est summis & meritis honoribus Apostolum prædicari, in quo & suam Ecclesiam pro diuina illius vocis præmio, qua ipsum Dei filium esse prædicauit, ædificaturum se prædixit Dei filius.* & paucis interiectis, ipsum Apostolum ita compellat: *Vbinam sunt claues regni cælorum? Vbinam appellatio qua Ecclesiæ firmamentum nominaris?* & paulò post: *Verè hic est Apostolorum firmamentum & sacratus cælorum magister:* ac sub finem Homiliæ, *Tu verò ô Petre, Christi Ecclesiæ petra, & firmamentum, summe Apostolorum vertex,* adesto

[a] Origen. in Mat. tract. 1.
[b] In Matth. tract. 3.

Chryso. Hom. 55. in Matt.

Petrus vniuerso terrarum orbi præponitur.

Chryso. ex varijs in Matt. locis, hom. 27.

Chryso serm. in adorat. venerabiliū catenarum & gladij Apostolorum Principis.

Petri encomia.

adesto hodie misertus nostri &c. Et alio loco non minus perspicuam contra vestras ineptias habuit orationem. *Vide*, inquit, *cuiusmodi peccato permisit subiici Petrum illum, talem, ac tantum virum, Apostolorum verticem, fundamentum immobile, petram stabilem, & qua frangi non posset, Ecclesia principem, portum inexpugnabilem, turrim firmam, & qua non posset concuti. Petrus inquam, illa Ecclesia columna, ac propugnaculum, puella vnius non minas, sed vnicum verbum nõ sustinuit, verbum puella processit, & columna illa concutiebatur, illa loquuta est, & propugnaculum fluctuauit, permissus est peccare is, cui Ecclesia credenda erat, illa videlicet Ecclesiarum columna, & portus fidei. Petrus orbis terrarum magister, peccare permissus fuit, ob eam maximè causam, quòd populorum multitudo illi credenda erat, ne seuerus & innocens, à venia propriis fratribus impartienda esset alienus.* Sed quoniam Græcis videris delectari, eiusdem celeberrimi Doctoris nonnulla tibi Græca proferam, ex illis duabus orationibus, quas Geneuæ excusas antè dixi, deprõpta τί δὲ καὶ πρὸς Πέτρον ἐρῶ μῦθον; τὸ γλυκὺ τῆς ἐκκλησίας θέαμα, ἡ λαμπηδὼν τῆς οἰκουμένης, ὁ καθηγητὴς τῶν ἀποστόλων, ἡ στερεὰ τῆς πίστεως πέτρα, τὸ γηραλέον τῆς ἐκκλησίας φρόνημα, ὁ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας οὐρανῶν ἐξ αὐτοῦ τοῦ κυρίου εἰληφώς. Intellextin, quæ eximius hic ἐκκλησιαστὴς, & quanta in ea præclara concione D. Petro tribuat? Audin, qualem ei cum in vniuersam Ecclesiam, tum in ipsos Apostolos cõferat potestatem? Accipe etiam, quę in altera oratione idem dixerit, vt quod in primis optamus tanti viri auctoritate permotus, cum Ecclesia Romana (cuius Petrus fundator extitit) in gratiam redeas, ὁ τὴν ὁλκάδα καταλιπὼν, καὶ τὴν ἐκκλησίαν παραλαβὼν εἰς κυβέρνησιν, ὁ κλειδοῦχος τῶν οὐρανῶν προσκληθεὶς, καὶ δεσμεῖν καὶ λύειν ἐπὶ τῆς γῆς ἐν ἐξουσίᾳ δεξάμενος, καὶ πρὸς μακρὰν σαλευθεὶς εἰς αἰῶνα τῶν πιστῶν εὑρέθη θεμέλιον. I nunc, & Chrysostomum pro tuo apud tuos venditato, quem aduersus vos δὶς διὰ πάντων pugnare ostendimus. Reliqua est D. Augustini sententia, quam tu vltimo loco posuisti, cum tamen nihil planè contra principatum Petri, aut aliud Christianæ Ecclesiæ dogma faciat.

Chrys. homil. in sanctos Petrum Apostolum & Eliam Prophetam.

Petrus cur peccare permissus est à Deo.

Petrus Apostolorum Doctor.

Petrus Ecclesiæ vniuersæ rector.

CAPVT XXIX.

MINISTER. pag. 22.

A*Vgust. de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 54. Nos ergo qui sumus, vocamúrque Christiani, non in Petrum credimus: sed in quẽ credidit Petrus, Petri de Christo ædificati sermonibus, ille Petri magister Christus, in doctrina qua ad vitam ducit æternam, ipse est magister noster.*

CATHOLICVS.

Nos hæc omnia vera esse fatemur ingenuè: Non inde tamen concludes, Petrum non esse Ecclesiæ fundamentum. Institue (si Logices artem calles) ratiocinationem aliquam, ex qua quod proposuisti colligas. Quid autem Diuus Augustinus senserit, suo loco expli-

cabitur, vbi nimirum ad tuam inanem huius ſententiæ repetitionem peruentum fuerit.

MINISTER. Pag. 22.

Magna certè iniuria fit Sanctiſsimo Apoſtolo Petro, cùm ea doctrina quam ipſe docuit, pro qua paſſus eſt, quam denique ſcripto fideliter commendauit, imaginariæ neſcio cuius cathedræ ſpecie, & prætextu ſubuertitur: & Petri perſona Petri doctrina opponitur.

CATHOLICVS.

Vos ipſi eſtis Caluiniani, qui non tantū ſanctiſsimo Petro, ſed & Chriſto Domino iniuriā facitis, negantes, contra perſpicuam ipſius Domini ſententiam, ſuper Petrum ædificatam eſſe Chriſti Eccleſiā. Profer ſcriptam à D. Petro ſententiam, qua ſuper ſe ædificatam eſſe Eccleſiam neget: Quod ſi facere non valeas, cur tu temeritatem omnibus prodis tuam? Nunquam enim docebis, Catholicos Petri perſonam, Petri doctrinæ oppońere, ſicut nec Petri doctrinam, eiuſdem Cathedra ſubuerti.

MINISTER. pag. 22.

At diſertè prædixerat Spiritus Sanctus, Antichriſtum in templo Dei tanquam Deum ſeſſurum.

CATHOLICVS.

Quorſum de Antichriſto hæc nobis ingeris? Quàm præclarè omnia orationis tuæ membra ſunt inter ſe connexa! *Magna fit iniuria Petro, cùm Petri perſona Petri doctrina opponitur, at diſertè prædixerat Spiritus Sanctus, &c.* Saltatoria eſt hęc tua eloquentia Miniſter, cùm à Petro ad Antichriſtum ὑστοράτως tranſeas. Et quia tu ita vis, leuitatem tuam hac in re iam ſequar. Scimus quidem ſcriptum eſſe, *Ne quis vos ſeducat vllo modo, quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Quem Apoſtoli locum tuus ἑρμῆς Beza dum vult interpretari planè corrumpit, Nam in primis iudicio ſuo aliud dicit Apoſtolus, aliud verò ſentit. *Loquitur*, inquit, *de Antichriſto, tanquam de vno quopiam homine, cùm tamen totum Eccleſiaſticæ tyrannidis corpus intelligat*: Eſt ne hoc ferendum in homine qui ſe Chriſtianum profitetur, ſanctiſsimo Chriſti Apoſtolo fraudatoris perſonam imponere? Si Paulus loquitur de Antichriſto tanquam de vno quopiam homine, vt re vera facit, vbi ſcriptum legit Beza, Apoſtolum *totum Eccleſiaſticæ tyrannidis corpus intellexiſſe*? Tū iudicio, ſoli ſcripto Verbo fides eſt habenda. Reſpōdeat ergo Beza, ſi poſsit, vbi hanc Apoſtoli explicationem in ſcripto Verbo legerit? Præterea & Antichriſti patrociniū ſuſcipiet. Nam, qua ratione dicit nonnullos ex ſanctis Patribus tyrannidi Antichriſti per imprudentiam ſubſeruiiſſe, eadem dicet & alius quiſpiam, Antichriſtum per imprudentiam ſe Chriſto oppoſuiſſe.

2. Theſſ. 2. 3.

Beza in c. 2. epiſt. 2. Theſſ. Mendacij inſimulat Apoſtolum.

fuiſſe. Vbi eſt hæc imprudentia ſanctorum Patrum ſcripto Verbo teſtata: Cùm verò deinceps ſubiungit: *Manifeſtè eſſe hallucinatos, quicunque de vno quopiam homine putarunt hoc intelligi.* Veteris Eccleſiæ conſenſum aſpernatur, cùm ea ſit conſtans orthodoxorum Patrum ſententia, Antichriſtum vnum fore hominem, qui ſibi honorem diuinum vſurpabit. Ita Ambroſ. Chryſoſto. Theodor. Theophilact. Sedulius, Primaſius, Haymo in commentariis in 2. ca. 2. ad Theſſal. Ita etiam ſentiunt D. Auguſt. lib. 20 de Ciuitate Dei capit. 19. Hieron. in Danielis cap. 7. & 11. & ad Algas. quæſt. 11. Irenæus libr. 5. c. 25. Theodoret. in Epitome diuinorum decretorum. Gregor. lib. 14. Moral. in Iob cap. 11. & Hippolytus libello de conſummatione mũdi. Quòd ſi falluntur qui de vno quopiam homine Apoſtolum locutum eſſe ſentiunt, falſus eſt & ipſe Apoſtolus de Antichriſto ſcribens, *Qui extollitur ſupra omne quod dicitur Deus aut colitur:* Quod ſanè in plures conuenire minimè poteſt, vnus enim eſt qui ſe hoc modo extollit: Sedebit Antichriſtus in templo Dei, non tamen vniuerſum Eccleſiæ Chriſti corpus (vt vos ſomniatis) occupabit, ſed quia multi à Chriſtiana Religione ad ipſum deſciſent, propterea in templo Dei ſedebit. Aut ſi Cyrillo Hieroſolymitano credis. *In templo ſedebit quod reliquum eſt Iudæorum, abſit enim vt in hoc id fiat in quo ſumus.* Lege Hylarium can. 25. in Matth. Chryſoſt. Hieron. & Auguſtinum, ac Cyrilli ſententiam probabis. Viden igitur quàm inanis fuerit ille tuus in tua tam altè repetita diſputatione conatus? Tantùm enim abeſt, vt quod te feciſſe iactitas, præſtiteris, vt potius quicquid ſeu ex Verbo Dei, ſeu ex antiquis Patribus (quos tu indubitatam Eccleſiam vocas) protuliſti, id omne οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, dici debeat, noſtræque cauſæ magis multò patrocinetur, quàm tuæ.

Antichriſtus eſt futurus vnus homo

2. Theſſal. 2. 3.

Cyril. Hieroſ. Catecheſ. myſtag. 15.

CAPVT XXX.

CATHOLICVS.

HActenus in quæſtione conſtituenda tuo iudicio, Miniſter, deſudaſti, hoc enim ſignificas illo tuo *ſubſtrato diſputationis fundamento.* Si autem quod ex eo *conſequitur perſpicuum eſt*, vt ais, cur non diſputandi hoc loco finem facis? Perſpicua vis (vt ſuſpicor) obſcurare, & lucem rebus per ſe claris, verborum tuorum ambagibus & inuolucris adimere, quò facilius Lectorem circũuenire poſsis.

MINISTER. pag. 22.

Eccleſia ædificio ſæpe comparatur. Quidnam prius eſt, ipſumne fundamentum, an tota ædificij moles?

Egregia eſt hæc tua Philoſophandi ratio, ô noue Dedale? Quaſi verò ignoremus ædificia vno temporis momẽto non poſſe conſtrui, ſed primùm iaci fundamenta, deinde parietes erigi, tum cæteras ædificij partes longo labore conſummari. Ideo-ne concludes Deum antè dediſſe Verbum ſcriptum, quàm Eccleſiam ædificaret? Dic

obſecro, cuinam fuerit hoc ſcriptum Verbum à Deo datum? Noli leges Deo imponere: Noli infinitam eius vim imbecillitatis humanæ regula metiri. Primum Eccleſiæ fundamentum eſt Agnus ille, quem D. Ioan. ab origine mundi occiſum eſſe ſcripſit. Et quia voluiſti nos arguta ſcilicet quæſtione, irretire, à te viciſsim quæro, vtrum prius ſit fundamentum terræ, an vniuerſa terræ moles: ſi prius fundamētum eſſe dixeris, doce nos quodnam ſit hoc fundamentum quod ante terram extitit. Nam fundamentum ſi terram habere negaueris, Scripturæ teſtimoniis conuinceris. Vidéſne fundamentum non debere neceſſariò antecedere illud cuius eſt fundamentum?

Apoc.13.8.

Pſal.81.5.
Prouer.8.19.

MINISTER. pag. 22.

In Ariſtot. libris hæc verba non reperio.

Ariſtoteleum ne ignoratis menſuram menſurato ipſo priorem eſſe, id eſt, τὸ μέτρον τοῦ μετρητοῦ. Verbum Eccleſiæ fundamentum poſuimus.

CATHOLICVS.

Eſto, *menſura ſit menſurato prior*, non tamen ſemper tempore, nam tempus eſt menſura motus, licet tempus motum non antecedat, ſi Ariſtoteli fides habeatur. Cæterum τὸ μετρητὸν, non eſt propriè menſuratum, vt putas, Miniſter, ſed menſurabile, vt Philoſophi loquuntur. Sed hæc iam miſſa faciamus. Tu proba interim ſcriptum Verbum prius eſſe Eccleſia, vel Eccleſiæ fundamentum: Quod ſi feceris tibi inter omnes tuos Symmyſtas (qui hoc perficere hactenus non potuerunt) palmam dabimus. Addis paulò poſt,

MINISTER. pag. 22.

Miniſtri barbaries.

Vt piis & ſobriis lectoribus perſpicuum ſit qua fide, & fronte audeatis nobis obiicere eleuari atque deprimi à nobis Eccleſiæ autoritatem, eadem nimirum veritate, qua nos Scripturas Sacras repudiare cauſamini.

CATHOLICVS.

Nunquid cauſare, quia barbariem tuam hac tua compta oratione prodas? putas te ad populū nūc garrire quod gallicè dicitur *cauſer*. Quæſo antequam alios latinitatis, velut aliquis Ariſtarchus arguas, diſce à Grammaticis Latinè, & non Barbarè loqui. Nos & fronte & fide optima, vos vtrunque feciſſe contendimus, & ſuo loco nihil à vero alienum nos ſcripſiſſe perſpicuum omnibus faciemus.

MINISTER. pag. 33.

Veſtra quidem omnia de ψευδωνύμῳ & ementita Eccleſia déque Verbo non ſcripto myſteria penitus repudiamus.

CATHOLICVS.

Miniſter dādi caſum τῷ ψευδωνύμῳ cum præpoſitione de imperitè iungit.

Non motamur tuam repudiationem. In Synagoga Caluini multa probabimus eſſe myſteria non ſcripta, cum Verbo ſcripto planè pugnantia. Turca idem quod tu dicet: nam Eccleſiam Chriſti aſpernatur, & fidei noſtræ decreta funditus repudiat. Tuum erat certis rationibus, ex Verbo ſcripto petitis, Chriſtianam doctrinam refutare, nam

tare, nam tibi simpliciter asserenti & nihil probanti non magis quàm Turcæ credendum putamus.

MINISTER. pag. 23.

Vt nostra de tam seriis argumentis explicata sententia, ad vestrarum illarum assertionum capita singulatim explicanda accedamus.

CATHOLICVS.

Hactenus ergo à te nihil est actum, cùm tamen initio tui scripti, primam nostram Quæstionem te accuratè explicasse non obscurè sis professus. At fortè singulatim Assertionum nostrarum capita te negabis exposuisse, cùm tamen non tantùm capita, sed & verba primæ Quæstionis te voluisse euoluere, inficiari non possis.

MINISTER. pag. 23.

De Ecclesia autem autoritate hæc credimus ex luculentis Verbi Dei testimoniis 1. Tim 3. 15. Ecclesiam esse domum Dei viuentis, columnam & stabilimentum veritatis. Gal. 4. 16. Sublimem cælestémque Hierusalem esse omnium nostrûm matrem, id est, eorum omnium matrem quorum Deus pater est in Psal. sæpe, in Prophetis è Sione salutem esse, siue redemptione populo, & salutem fore in Sion. 1. remissionis peccatorum salutisque æternæ esse heredem. Psal. 144. Beatum esse populum cui sic est, beatum populum cuius Iehoua est Deus, id est, veram solidamque felicitatem ei propriè constare & in ea sola esse salutem.

CATHOLICVS.

Hæc sunt quæ tu *ex Dei testimoniis de Ecclesia autoritate credis*, vbi ad rem ventum fuerit, quæ nunc luculenta appellas Scripturæ testimonia, in primis tenebricosa esse dices D. industria Domini testimonium silentio præteriisti, *Qui vos audit, me audit*: Quia hæc quæ Luc. 10. 16.
tu adfers, vt cætera omnia Scripturę testimonia, pro Christiana, quam tuemur, veritate in primis faciunt, nos tuam concessionem luculentam vehementer probamus.

MINISTER. pag. 23.

Augusta nimirũ térque maxima de Ecclesia dignitate & autoritate prædicantur, qua tantùm abest vt verbis extenuemus, quasi Ecclesia dignitas verbi Dei obstruat luminibus, vt planè credamus in hac Ecclesia dignitate omnẽ salutaris doctrinæ, nostraque adeò fœlicitatis cardinem ac summam versari, vt qui contra sapiat penitus desipiat.

CATHOLICVS.

Re ipsa, omnem fidem Ecclesię detrahitis, cuius dignitatem te verbis extenuare negas. Docebo enim vos, non in maiore pretio, Ecclesiæ quàm Turcæ habere testimonium: penitus ergo vos desipere vestro testimonio conuincam.

MINISTER. pag. 23.

Tertul. aduersus Martionem lib. 4. In summa, si constat id verius esse quod prius, id prius quod & ab initio, quod ab Apostolis, pariter

vtique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.

CATHOLICVS.

Minister Tertulliani mutilã sententiã affert quæ tamen cum eius doctrina pugnat.

Tertullianus his verbis (quæ tu corruptè ex tuorũ scriptis desumpsisti) pro Traditionibus nõ scriptis contra te testimonium dicit: *Si enim constat, id esse ab Apostolis traditum quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum*: Christianum de non scripto Dei Verbo dogma, cùm in Romana Ecclesia (quam Apostolorum esse, testimonio Tertulliani suprà probauimus) Sacrosanctum sit, ab Apostolis erit traditum. *Id prius*, inquit Tertullianus, *quod & ab initio, ab initio, quod ab Apostolis.*

MINISTER. pag. 23.

Minister per peram Tertull. lib. in scribit.

Idem & præscript. aduersus Hæret. Constat omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret veritati deputandam: & sine dubio tenentes quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: Reliquam verò doctrinam, de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.

CATHOLICVS.

Minister Tertullianũ mutilat.

Quia Tertulliani opera, vt coniicere licet, nondum legisti, imprudens hãc ipsius luculentam orationem (quæ omnes Caluini technas contra Ecclesiæ traditiones discutit) nobis obiecisti; ita tamen vt germanum verborũ ipsius sensum corrumpere sis conatus. Quod enim scripsit Tertul. *Et sine dubio tenentem*, tu ex reconditis vestris *autographis* exscripsisti, *& sine dubio tenẽtes*, & cùm idem dicat, *reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam*, in tuo nouo *autographo* legisti *reliquam doctrinam*. Timebas fortè ne nouam Caluini doctrinam ad mendacia ablegaret. Proiectam interim audaciam tuam mirari satis nequeo, quòd illud, quo maximè euertitur errorum vestrorum fundamentum, quasi pro vobis faceret, vsurpaueris.

CAPVT XXXI.

MINISTER. pag. 23.

Verbi, & Ecclesiæ autoritas comparatur.

CATHOLICVS.

Si auctoritates inter se comparãtur, scripsisses, orationis tuæ sententiam intellexissem: Nunc verò, quid velit tuum ænigma, Lectori diuinandum reliquisti. Optimè es in Aristotelea Philosophia versatus, qui nondum disputationem tuam rectè inscribere didicisti: fortassis venalem Verbi & Ecclesiæ auctoritatem esse putasti, siquidem ea, tuo iudicio, comparatur.

MINISTER. pag. 23. & 24.

Quandoquidem autem controuersia principalis ad quam paulatim accedimus,

accedimus, cardo in eo positus est, vt disquiratur pertineátne ad Ecclesiæ autoritatem, non modò scriptum illud Verbum pro arbitratu suo interpretari, id est (vt vos loquimini) eorum quæ ad salutem pertinent necessariam intelligentiam, omnibus enodare, atque proponere, sed & Verbum aliquod non scriptum habere: omninò postulat instituta demonstrationis ἀκολουθία atque series, vt quoniam ostendimus, Verbum Dei primariam esse atque principem Ecclesiæ Catholicæ Notam, Verbi quoque & Ecclesiæ, inter se gradus intelligamus: quidnam præcedat, quidnã subsequatur, sitne verum quod docetis, Verbum Dei ab Ecclesiæ determinatione & iudicio pendere, illiúsque diiudicandi potestatem penes Ecclesiam esse necne.

CATHOLICVS.

Paulatim efficere conaberis Ecclesiam, ex domina seruam: nam hoc non obscurè præ se fert illa tua præclara oratio *pro arbitratu suo interpretari*, quasi Ecclesiá posset in Scripturarum interpretatione labi, & errare. Neque ostendisti, neque vestri omnes Ministri vnquam probabunt, scriptum Dei Verbum esse primariam Ecclesiæ Catholicæ Notam: Vt enim hoc probetis, luculentum aliquod ex *autographo* vestro testimonium vobis in mediũ erit proferẽdum, in quo vestrum hoc commentum totidem verbis scriptum sit. Nam cùm soli scripto Verbo fidem adhibendam iudicetis, cur nobis durum hoc onus imponitis, vt etiam phantasmatis vestris nullo Scripturæ testimonio nixis credamus? *vis intelligere Verbi & Ecclesiæ inter se gradus*: gradatim ad summam eloquentiam peruenies, vbi hos tuos gradus *Verbi & Ecclesiæ*, inter se probè cognitos & perspectos habueris, vt tuam imiter sermonis elegantiam: & tuas *Determinationes Ecclesiæ* nobis apud probatum linguæ Latinę Auctorem reperiri probaueris. Voces *gradus & determinationes* Ciceronianas esse non diffiteor; earum tamen vim, & vsum te ignorare, nullus vel mediocriter in Latina lingua versatus negabit. *Minister ἀνοικονομίας notatur.*

MINISTER. pag. 24.

Audite igitur quidnam de toto hoc genere statuat Apostolus, summus huius controuersiæ arbiter. 1. Cor. 3. 10. &c. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, vt peritus Architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Porrò quisque videat quomodò superædificet: nam fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Quòd si quis superædificet super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: cuiusque opus manifestum fiet. Dies enim declarabit: nam per ignem retegetur, & cuiusque opus quale sit, ignis probabit. Vnus ille locus pro multis erit.

CATHOLICVS.

Cur non erit hic vnus locus pro multis? Nos hunc vnum locum pro sexcentis accipimus: nam verissima sunt quæ Apostolus scribit, quæ paulò pòst à me fusius exponentur.

MINISTER. pag. 24.

Eccleſiæ fundamentum diſertè ſubſternitur, Ieſus Chriſtus: qui non niſi in Verbo ſuo rectè cognoſci poteſt.

CATHOLICVS.

a Mat 16.16. b Act.9.5. Dic, oro, in quo Verbo ſcripto cognouit D. Petrus Chriſtum Dominum, cùm eum confiteretur eſſe [a] *Chriſtum Filium Dei viui?* Vbi ſcripta erant illa Verba Domini ad Paulum, [b] *Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris,* quibus Paulus Chriſtum Dominum cognouit?

c Ioan. 10.15. d Ioan.8.56. Dic etiam, in quo Verbo ſcripto Pater filium nouit?[c] In quo verbo ante omnem ſcripturam, Abrahamus *Chriſti diem vidit*[d], &c, ſi *Ieſus Chriſtus, non niſi in Verbo ſuo ſcripto rectè cognoſci poteſt*, Nulli omnino Chriſtiani rectam erant cognitionem Chriſti Domini conſecuti, antequam Euangelium ſcriberetur.

MINISTER. pag. 24.

Ac proinde Verbum illud per ſe, & vniuocè, id eſt, καθ' αὑτὸ & συνωνύμως, dicitur fundamentum Eccleſiæ.

CATHOLICVS.

A Logicis diſce, obſecro, Miniſter, quid ſit per ſe, & vniuocè dici: Nam ſuſcepta ſcribendi breuitas, me omnes tuos loquendi modos ſingulatim examinare non permittit.

MINISTER. pag. 24.

Vt & eiuſdem ædificandæ ratio tota atque molitio, quæ architectorũ opera & miniſterio abſoluitur.

CATHOLICVS.

Hîc hærere cogor, nam in tua oratione neque caput, neque pedes reperio. Vis forſitan, *ædificandi rationem vniuocè dici fundamentum Eccleſiæ.* Da operam alicui Logico, qui tibi Ariſtotelis Categorias explicet. Adhibuiſti doctrinæ tuæ obſcuritatis latebram, vt Oedipus aliquis ab inferis, ſit euocandus, qui nobis exponat quæ tu pag. 25. effutire voluiſti. Dabis ergo mihi veniam, ſi præclara animi tui ſenſa dum explico, aliqua in re à iudicio tuo aberrem.

MINISTER. pag. 24.

Deus enim eſt operis illius πρωτουργὸς & τελεσιουργός. i. princeps, & efficiens cauſa, ſuorum ſeruorum laboribus dans incrementum. Eccleſia architectos illos ſuppeditat, dum ipſa ædificatur.

CATHOLICVS.

Si Operis illius nomine, molitionem Eccleſiæ intelligis, concedimus facile Deum eſſe cauſam principem, & τελεσιουργὸν, hoc eſt, perficientem, aut, ad finem opus perducentem, & non ſolùm (vt tu vertis) efficientem. Nam de illo verè dictũ ab Apoſtolo credimus, *Qui*

Philip.2.13. *operatur velle, & perficere pro bona voluntate.* Cæterùm Eccleſia nequit antè architectos ſuppeditare, quàm ipſa extiterit: Quare cupimus vt nobis explanes, quid ſignificet illa orationis tuæ pars, *dum ipſa ædificatur.*

MINI-

MINISTER. pag. 24. & 25

Substrato constitutoq́; fundamento, superstruuntur variorum generum materia. Vt ædificij illius sacri, & verè aurei (sicuti à Prophetis describitur) moles & συναρμολογία exsurgat, consentaneum est, vt aureo fundamento, aurea quoque materia, aurea proportione, ab aureis architectis superinducatur.

CATHOLICVS.

Nihil nisi aurũ loqueris, noue Chrysologe: Si Prophetas aliquos nominasses, facilius de orationis tuæ sententia iudicium tulissemus. Quid? Nescis in Christi Ecclesia (quam Apostolus magnam domum appellat) *non solùm esse vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*? Si dilucidius explicasses an per illam tuam materiam auream, homines aureos, vel hominum actiones auro constantes intelligas, magnum nobis aditum ad sequentis orationis tuæ intelligentiam fecisses. 2. Tim. 2. 20.

MINISTER. pag. 24.

Quòd si ligna, fœnum stipula, & huiusmodi materia aureo ædificio minimè apta, ab iis qui sese ædificij architectos profitebantur, ingeratur: Accedet operis iudicium, quo materiarum illarum peregrinarum & ἑτερογενῶν discrimina explorabuntur, atque patefient.

CATHOLICVS.

Purum, putũ, ingeris τὸ ξύλον, *stipula & huiusmodi materia ingeratur*: Volebas fortasis dicere *operis iudicium*, cui hoc officij munus tribuis, vt materiarum discrimina exploraret. Tu non satis orationẽ tuam discriminas, quæ, quomodo inter se materiæ peregrinæ differãt, nobis significat, cùm tamen facile sit coniicere, te voluisse designare discrimina materiarũ peregrinarum, à materiis germanis & propriis. Ministri solœcismus.

MINISTER. pag. 24.

Ignis autem examen, id est, recta & consentanea variarum materiarum explorandarum ratio, erit ille ignis.

CATHOLICVS.

O præclarum Apostoli interpretem! O acumen Peripatetico dignum! Examen ignis (de quo loquitur Apostolus) est vestra *ratio explorandarum materiarum*, & hæc vestra ratio *erit ille ignis*. Quis, nisi stipes, orationem tuam probabit? Imò planè stipes erit, qui se assequi quod velis, affirmabit. Nos vbi de Purgatorio igne disputandum fuerit, Deo propitio, quem ignem hoc loco intelligat Apostolus, explicabimus. Sed quis est ignis ille, quem tu fore dicis *rectam & consentaneam variarum materiarum explorandarum rationem*? Qualia verò sint vestra opera, ignis ille perpetuus, nisi resipueritis, probabit.

MINISTER. pag. 25.

Dies itaque per ignem, quale sit totum illud rerum fundamento superstructarum genus, verè & dilucidè declarabit. Figurata autem orationis, hæc est nuda & simplex sententia, vera omnis doctrina, hæc est

certa & sempiterna lex in Ecclesia Dei, vt à fucata & adulterina doctrina vera faciē nomén que ementiēte, diiudicetur atque distinguatur.

CATHOLICVS.

Proba scripri Verbi testimonio, hanc esse nudam, & simplicem verborum Apostoli sententiam. Non inficiamur in Ecclesia Dei fucatas omnes doctrinas, à veritate planè distingui, sed quòd hoc fuerit Pauli hoc loco institutum, nullo scripto Dei Verbo probabis. Planè nudus es, & inops ab omni doctrina Theologica, cùm tua *nuda & simplici sententia*. Explica porrò deinceps quid nomine Ignis significet Apostolus, quid item per Diem.

CAPVT XXXII.

MINISTER. pag. 25.

Fundamentum Ecclesiæ Catholicæ vnum substernitur, Iesus Christus, siue ipsius verbum: cui fundamenti appellatio idcirco attribuitur, quòd neque Christus à suo Verbo, neque Verbum à Christo seiungi separarine vllo modo possit.

CATHOLICVS.

Ministri absurdum. Non ergo ante fuit Christus Dominus, quàm Euangelium scriberetur. Repete memoria quid de se dixerit, *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Proba scripti Verbi testimonio Euangelium fuisse literis antè consignatum, quàm Abraham existeret, aut sanè conclude aliqua noua demonstratione, Bibliorum volumen ascendisse cum Christo Domino supra omnes cælos: nam Christum in terris esse omninò negatis.

Ioan. 8. 58.

Ephes. 4. 10.

MINISTER. pag. 25.

Christianæ igitur Ecclesiæ hoc substernitur fundamentum, sine quo neque constare, neque Ecclesia dici vllo modo potest.

CATHOLICVS.

Nihil eiusmodi in scripto Verbo legisti, Ecclesiam Christi fuisse multis annis sine omni Scriptura noui Testamēti, non ibis inficias. Et quamuis nunc gentes aliquæ, Scripturæ vsum non tenerent, ab Ecclesia tamē non propterea excluderentur. Lege quæ supra ex Irenæo contra hoc tuum commentum adduximus.

MINISTER. pag. 25.

Ministri hyperbaton. *Huic tamen veritati varij variorum generum Doctores, qui in Ecclesia docuerunt, & docent, varia superstruxerunt: vera doctrina veram, & consentaneo quinam modo doctrinam, adiungentes, eandem planè & ὁμογενῆ & κατ' ὀρθοτομίαν, vera illius formula docendi, quam ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων. id est exemplar sanorū sermonum vocat Apostolus. 2. Tim. 1. 13. & 2. 15. ex regula Veritatem ex veritate docendam esse, id est vt loquitur Petrus εἴ τις λαλεῖ, ὡς λόγια. 1. Pet. 4. 11.*

CATHOLICVS.

Adeò es in oratione tua varius, vt nullum neque principium, neque finem eloquentiæ tuæ desertæ reperire valeam. *Varij*, inquis, *Doctores varia superstruxerunt vera doctrina verā & cōsentaneo quinam modo doctrinam adiungentes.* Suspicor te voluisse dicere *consentaneo quodam modo*, quamuis & sic instituta oratio dura sit. Sed hæc missa faciamus: Quos Doctores variorum generum vis intelligere? nonne quos Christus ἀναβὰς ὑπεράνω ἔδωκε ποιμένας, καὶ διδασκάλους. Ephes. 4.10. Qui quidem οὐκ ἐν ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν docuerunt, ibidem versu 17. Sed sicut κ.θ' ἀγγελίαν, ἣν ἠκούσατε ἀπ' ἀρχῆς acceperūt 1. Ioan. 3.11. Quod illi quidem διὰ τοῦ ἐν αὐτοῖς χαρίσματος, ὃ ἐδόθη αὐτοῖς διὰ τῆς προφητείας μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου habuerunt. Nam qui aliter ad populum docendum accederent, quomodo eos ab illorum numero eximes, de quibus scribunt Apostoli in concilio Hierosolymitano congregati οἷς οὐ διεστειλάμεθα; Act. 15.24. Quomodo eos inter fures non numerabis, qui μὴ εἰσερχόμενοι διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, ἀλλ' ἀναβαίνοντες ἀλλαχόθεν Ioan. 10.1. Hæc quidem præter meum morem ex quam plurimis Scripturæ locis collegi, quæ legitimam Doctorum nostrorum vocationem confirmant: nouam verò, & extraordinariam vestræ Sectæ Ministrorum subintroductionem euertunt, vt tibi nobis Græcas Scripturas, quasi βε-τευδὸν hoc loco colligenti, ex iisdem aliquid tibi ἀμοιβαίως rependerem. Quæ quidem sacræ Scripturæ testimonia nequaquam more tuo volui exponere, qui versionē communem dum immutas, sæpissimè hallucinaris, sicut hoc loco tibi displicuit forma sanorum verborum, maluisti exēplar dicere. Nā nolo, vt tu facis μὴ ὑπερφρονεῖν, παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν Rom. 12.3. Quod deniq; ais regulam illam *veritatem ex veritate docendam esse 1. Pet. 4. 11. scriptam esse*, grauissimè falleris: nam si verbum verbo velis reddere, hæc erit Græcæ orationis D. Petri sententia. *Si quis loquitur, vt eloquia.*

MINISTER. pag. 25.

Plerique contra Ecclesiæ Doctores, fundamentum quidem illud retinentes, non simplicem quidem illam, genuinamq́, veritatem superstruxerunt, sed sua commenta: veritatis quidem, atque vtilitatis specie commendata, de quibus tamen iudicium sit faciendum, ex eiusdem illius Verbi analogia: quæ perspicuè patefaciet, quidnam à Doctoribus fundamentum illud in Ecclesia retinentibus veri, aut falsi dicatur.

CATHOLICVS.

Tandem post longos anfractus, commenta tua nobis degustanda proponis. Scripti enim Verbi analogiam existimas patefacere, quid à Doctoribus fundamentum, puta Christum Dominum, retinentibus veri aut falsi dicatur. Si certa esset. hæc tua norma, non errassent multi, qui accuratè varios Scripturarum inter se locos contulerunt. Imò hæresum omniū Auctores, huic tuæ Regulę innituntur. Atque

Ἀναλογία nō est scriptura rum bona semper interpres.

vt silentio prætercam hæreses nostra memoria antiquiores. Vos Caluiniani confertis verba illa Christi, *Hoc est corpus meum* cum aliis Scripturæ locis. Idem faciunt & Lutherani, Zuingliani & aliæ Sectæ, & tamen non idem est omnium de horum verborum sententia, iudicium. Si dixeris vos solos, esse germanum sensum assecutos, impudentia erit non ferenda, cùm alij vobis & doctrina, & diligentia, & antiquitate, & numero, denique omnibus, quæ in Theologo requiruntur longè sint superiores: ac cæteri Hæretici, optimo iure dicent vos desipere, si vos solos sapere dicatis. Quid erit tibi cum tua Analogia faciẽdum, cùm vnius vocis in Scripturis summam inueneris ambiguitatem, maximámque orationum inter se dissimilitudinem? Qua ratione eum qui æternæ Dei electioni hominem quemuis impedimentum afferre posse contendit, errare conuinces, cùm se Christi Domini sententia muniet, *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est?* Si dixeris Dominum de cooptatione in Apostolatum locutum esse, ad tuam Analogiam confugiet, nam in aliis Scripturæ locis, Electionis nomine, æterna Dei erga mortales beneuolentia, & singularis amor significatur, vt [a] *Multi sunt vocati, pauci verò electi* [b] *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* & [c] *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem.* Quid deinde tibi subsidij adfert tua Analogia, cùm singularem aliquam loquendi rationem, semel tantùm in Scripturis inueneris, cuiusmodi hæc est: *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem?* Si responderis, nos alibi ab eodem Apostolo scriptum legere, *Consepulti ei in Baptismo.* Quid iuuabit Analogia, vt hos duos locos intelligas? Ac ne te multis detineã, ex tuæ Analogiæ præscripto, explica nobis sequentes diui Pauli, quas apud alios Scriptores sacros non inuenies, singulares loquendi formulas, Galat. 2. 19. *Christo confixus sum cruci:* Rom. 6. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est:* Rom. 7. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ & captiuantẽ me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Vbi hæc pauca Apostoli testimonia, ex Analogiæ tuæ præscripto explicaueris, plura in medium adducam, quæ nõ leue tibi negotium facessent. Quid prætereà respondebis Arianis negantibus vnam esse Patris & Filij essentiam? Quod enim scriptũ est, *Ego & Pater vnum sumus*, cum illis apud eundem Ioan. Apostolum Verbis Domini contulerunt, *Rogo, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te.* Certè Ariani de te triumphabunt, si non aliundè, quàm ex *Verbi Analogia*, cõtra ipsorũ tela præsidiũ petieris. Denique, vt tandem concludã, si vera esset tua Regula, superuacanea essent Caluini, Bezæ, & aliorum vestræ Sectæ principũ, quæ in sacras literas commentaria scripserunt: aut certè fateri cogeris, aliud nihil eos retulisse in libros suos, quàm nudam Scripturæ locorum inter se comparationem.

Matt. 26. 26. — Ioan. 6. 70. — a Matt. 22. 14. — b Ioan. 15. 16. — c Ephes. 1. 4. — Rom. 6. 4. — Colos. 2. 12. — Ioan. 10. 30. — Ioan. 17. 20. 21.

MINISTER. pag. 25.

Denique Veritatis examen, in Ecclesia Doctorum sententiis totum est à Verbo Dei: quod nimirum à seipso, vt aurum ab auro, rectè explorari potest.

CATHOLICVS.

Appositam affers de *auro ab auro explorando* similitudinem, apud aurifices parùm vsitatam: Nemo fuit hactenus, qui singulari ratione *aurum ab auro explorarit*: Non enim maior est auri cum auro, quàm aliarum rerum inter se copulatio, vt argenti cum argento, æris cum ære: Doce, quæso, aurifices singularem hanc explorandi aurum rationem, ne in posterum, vt auri puritatem perspectam habeant, Lydij, seu Heraclij lapidis vsum requirant. Proba simplici Verbi testimonio, quod tu sine auctore asseris, *veritatis examen in Ecclesia Doctorum sententiis totum esse à Verbo Dei* nimirum scripto. Nam, vt sæpe dictum est, ἄγραφον non agnoscis, & tecum non amplius hac de re digladiabimur. Minister auri probandi, parum vsitatam artem docet.

CAPVT XXXIII.

MINISTER. pag. 25. & 26.

Hic animis igitur adeste, Iesuita, huc ingeniorum vestrorũ aciem omnẽ conuertite. hic enim vniuersæ disputationis cardo versatur: Aduersus Assertiones illas cominùs est conferendum. Pij & eruditi legant, intelligant, iudicent.

CATHOLICVS.

Nemo pius, & eruditus te ὑπερφρονοῦντα non mirabitur, Minister, cùm ἐν ταῖς παρασκευαῖς verbosus sis, & insolens: vbi verò ad rem ventum est, exilis, & ieiunus existas. Sed quorsum hic tuus ad nos λόγος ἐγκλητικὸς; Ad quid hæc tua tam gloriosa inuitatio *Huc animis adeste*? Memineris Entelli, & Daretis. Ecce prestò sumus, vt te eadem inculcantem audiamus. In hac enim pag 26. in qua te cominus pugnaturum, instar gloriosi militis, insolenter iactas, nihil planè noui affers, sed pro nouis argumentis, inani eorum quę à me suprà refutata sunt repetitione, chartam tuam refercis. In extremis verò paginæ verbis Logicam tuam nobis degustandam proponis, cum probas:

MINISTER. pag. 26.

Priorem esse Verbi quàm Ecclesiæ autoritatem: omnibus illis modis, quibus aliquid prius dici potest. Siue enim tempus spectetur Verbum prius extitisse affirmandum est, quàm Ecclesia extiterit, quum Verbi vi & efficacitate sit congregata: siue essendi consequentia consideretur, i. vt loquuntur τὸ μὴ ἀντιστρέφον κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν, *neque enim idcirco Verbum est, quia extat Ecclesia luculenter.*

CATHOLICVS.

Nos suprà probauimus Ecclesiam Dei fuisse ante scriptum Ver-

bum, neque vllo scripti Verbi testimonio probabis *Scripti Verbi vi & efficacitate Ecclesiam esse congregatam.* Doce nos, quæso, quid sit *Ecclesiam extare lucurienter.* Putas fortasse eam in tenebris latere posse, & mundo non esse conspicuam? quo nihil absurdius dici potest. Nam hac ratione famæ celebritate Iudæorum Synagogam (quę nunc omnium oculis conspicitur) Christi Ecclesię anteponeres.

MINISTER. pag. 27.

In mediis Ecclesiæ perturbationibus, idem perstat Dei Verbum, à quo Ecclesia instauratur, vt primum constituitur.

CATHOLICVS.

Matt. 28. 20. Eadem semper perstat Ecclesia, quæ nullis perturbationibus opprimi potest. Magis multò credendum est his Domini verbis: *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi,* quàm ταῖς φλυαρίαις, & nugis quibus nos obtunditis. Neque enim Ecclesia, vel Christi testimonio, concidere potest, neque proinde instaurari. Da interim operam ne deinceps orator, nimium poëticè loquaris, ἐν ἀλλάγδην verborum temporibus abutens, vt nobis tuam orationem obscuram efficeres. Dicendum siquidem tibi erat, non *vt primùm constituitur,* sed, *vt primùm ab eo constituta est.*

Minister verborum temporibus abutitur.

MINISTER. pag. 27.

Prior est quoque Verbi autoritas, si vel generatio, vel ordo rerum spectetur: Deus enim, vt disertè ait Iacobus, nos progenuit sermone veritatis, vt in Ecclesia censeremur.

CATHOLICVS.

Iaco. 1. 18. Nullus est apud D. Iacobum de scripto Verbo sermo: nam verba ipsius sunt, *Voluntariè genuit nos Verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Tu omnia trahis ad Verbum scriptum, sine vlla Verbi scripti auctoritate: Sic & Apostolus, *Per Euangelium,* inquit, *ego vos genui.* Profer scriptum Euangelium, per quod Apostolus Corinthios genuerit. Nó potuisti deinde in præclara tua disputatione progressum facere, nisi etiã nomini nostro detraheres.

1. Corin. 4. 15.

MINISTER. pag. 28.

Augustum Christiani nomen vbique sonat: nisi vos, Iesuitæ, importunæ nouitatis pruritu ementitæ societatis Iesu nomen importassetis.

CATHOLICVS.

Nos omnes quotquot sumus Augustum *Christiani nomen*, etiã cum capitis nostri periculo, vbique terrarum prædicamus. Quòd si nescis, lege inter alias, Lusitanorum historiam Geneuæ nuper in lucem editam, & disces, quanta hominum vis Societatis nostrę, quam tu calumniaris, studio & opera, Christo se consecrârit, & inuenies gentes maioribus nostris incognitas, Christi nomen passim sonare, Christianámque Religionem (quam vos Caluiniani opprimere contenditis) omni obseruantia colere. Si porrò diligenter legisses Apostolum, non nostra primùm memoria, Societatis Iesu nomé fuisse

Christiani omnes, sunt societatis Iesu.

imposita.

importatum sentires: *Fidelis Deus* (inquit ille) *per quem vocati estis in societatē filij eius Iesu Christi Domini nostri.* Et Diuus Ioannes Christianos omnes alloquens scribit, *Vt vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre & Filio eius Iesu Christo.* 1. Corint. 1. 9. 1. Ioan. 1. 3.

MINISTER. pag. 28.

Itaque, vt Papatum, qui in Romana Ecclesia sinu primariam sedem occupauit, constanter negamus esse Ecclesiam Catholicam: ita constanter affirmamus, Deum Ecclesiam suam in Papatu conseruare, vt in ruderibus conseruatur laceri ædificij fundamentum.

Ecclesia in Papatu, Ministro & Caluino testibus conseruata est.

CATHOLICVS.

Mutuatus es & perperàm hanc tuam egregiam sententiam ex Caluini tui scriptis, qui inter alia, quod nobis obtrudis commentum, his verbis expressit: *Quemadmodum ita sæpè diruuntur ædificia, vt fundamenta & ruinæ maneant, ita non passus est Ecclesiam suam ab Antichristo, vel à fundamento subuerti, vel solo æquari, sed ab ipsa quoque vastatione semirutum ædificium superesse voluit. Quum Ecclesiæ titulum non simpliciter volumus concedere Papistis, non ideo Ecclesias apud eos esse inficiamur &c.* Si Deus in Papatu (vt tu ὀλιγώρως loqueris) Ecclesiam suam conseruat, ergo & in eodem Papatu sunt Notæ illæ Ecclesiæ Dei, sine quibus ipsa nequit consistere. Eiusmodi autem Notæ sunt (vt tu ipse vis) Verbum Dei, & legitimus Sacramentorum vsus: Quid ergo amplius in Ecclesia Romana desideras? Dices Romanam Ecclesiam non esse Christi Ecclesiam, in Romana tamen Ecclesia conseruari Christi Ecclesiam; Nouam hanc à Caluino didicisti philosophiam. Si in Papatu cōseruatur Ecclesia Christi, ergo mutua est Ecclesiæ tuæ (quàm Christi esse ais) & Papatus communio, aliàs non in Papatu, sed extra eum erit: vt Iudæi non dicuntur esse in Ecclesia Christi, quamuis passim inter Christianos vitam agant. Quòd si tua Christi Ecclesia fuit in Papatu, iisdem ritibus & cerimoniis Deum coluit, quibus Ecclesia Romana. Vestro ergo iudicio Idololatriæ crimine deuincta tenebatur. Neque est quod ad ignorantiam confugiatis, cùm Idololatras nulla ignorantiæ excusatio à scelere vindicare possit. Explica nobis vbinam terrarū, ante Caluinum, fuerit hæc Ecclesia, quam tu Deum, in Papatu conseruasse fingis. Certè Caluinus pro vna tua, multas facit Ecclesias, quas lacero ædificio potius, quàm fundamento (quod in ruderibus conseruari scribis) comparat. *Patet nos minimè negare, quin sub eius (Romani Pontificis) tyrannide Ecclesiæ maneāt, &c.* Corruptę fuerūt hæ Ecclesiæ vestræ, auctore Caluino, exitialibus doctrinis: non ergo fuerunt Christi Ecclesiæ, nisi Christum falsi ἀτεῶς arguatis, cùm D. Petrò diceret: *Super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meā, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* De seruanda Christi Domini maiestate parum laborare videmini, modò somnia vestra indoctæ plebi, quoquo modo persuadeatis.

Lib. 4. Instit. cap. 2. §. 11.

Ibidem. §. 12.

Notæ veræ Ecclesiæ sunt in Roma. Ecclesia etiam Caluinistarum iudicio.

Caluinus lib. 4. Instit. cap. 2. §. 12.

Matt. 16. 18.

MINI

MINISTER. pag. 28.

Scriptura disertè testatur Petram illam cui ædificatur Ecclesia, esse Christum, sanctámque illam, & firmam de Christo confessionem, Tu es Christus filius Dei viuentis: & Petrus disertè profitetur vnicum esse Christum ἀρχιποίμενα & caput Ecclesiæ suæ.

CATHOLICVS.

Perinde tibi est, super Petram, & Petræ (seu firmæ de Christo confessioni) Ecclesiam ædificari. Doce ex qua Scripturæ parte, has
Matt.16.18. tuas præclaras loquendi formulas collegeris. Nos quidem legimus *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* non autem, *huic petræ*, vel *huic firmæ confessioni ædificabo Ecclesiam meam.* Sed ad rem, Ex Scripturis neque apertè, neque obscurè probabis verba illa Domini, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, eum habere sensum (quem Theologi litteralem appellant,) vt nomine Petræ, ipse Christus intelligatur. Sensus enim huius loci ex tua sententia hic esset, *ædificabo Ecclesiam meam super me*: At certum est super
Apocal 13.8. Christum iam fuisse ædificatam Ecclesiam, cùm *Agnus ab origine mundi occisus est.* Quòd si ad Euangelicæ Ecclesiæ statum hæc verba referri putas, falleris, quòd iam essent eius iacta fundamenta, cùm Christus Apostolos anteà delegisset. Et quoniam in disputatione de Imaginibus, Grammaticis mirificè delectaris, responde, an Christus his verbis, *Super hanc Petram,* non petram aliquam anteà à se ostensam designarit? Certè se hoc loco petram esse non dixit,
Syriacæ linguæ respondet Gallica, quæ Petrum & Petram *Pierre* nominat. sed D. Petrum, *Tu es Petrus:* quare super Petrum, quem nominauit hanc Petram, ædificaturum se Ecclesiam promisit. Petrus enim, & Petra in lingua Syriaca Christo vernacula, eodem nomine Cephas appellantur, quare in nouo Testamento Syriaco sic scriptum est:

אנת כפא ועל כפא הדין אבני ית צבורי

tsiburi iat ebne haden Cepha, veal Cepha Ant

id est, tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.

CAPVT XXXIIII.

Super Petrũ fundata est Ecclesia. *Clem. Rom. epist.1. ad Iacobum fratrẽ Domini.*

ACne more tuo, sine testibus quippiam asserere videar, sententias Veterum adscribam, qui super Petrum fundatam esse Ecclesiam, dilucidis & perspicuis verbis testantur. Atque in primis Clemens D. Petri discipulus hac de re sic nobis scriptum reliquit. *Simon Petrus veræ fidei meritò, & integræ prædicationis obtentu, fun-*
Tertullia. de præscrip. aduersus hæret. *damentum esse Ecclesiæ definitus est: qua de causa etiam Domini ore cognominatus est Petrus.* Tertullianus, *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum.* Origenes, qui mysticos sensus lubenter sequi solet (vt suprà obseruatum est) Petrum Ecclesiæ esse fun-
Orige. homil. 5. in Exodũ. damentum, & petram asserit. *Vide*, inquit, *magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Eccle-*
Matth.14.31. *siam, quid dicatur à Domino, Modicæ, inquit, fidei quare dubitasti?*

Hippolytus.

Hippolytus Martyr [a] *Princeps Petrus, fidei Petra.* Cum his optimè sentit D. Cyprianus,[b] cuius etiam testimoniis cōtra nos abusus es, *Petrus*, inquiens, *super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquēs, & Ecclesiæ voce respondens ait,* [c] *Domine ad quem ibimus &c.* Item alibi, [d] *Loquutur illic Petrus, Super quem ædificanda fuerat Ecclesia.* & alio loco[e], *Petrus quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiā suam.* D. Basilius Petrum ait esse Petra, Christus, *Verè est immobilis Petra, Petrus verò propter Petram.* Et post pauca, *Petra est, & Petram fecit.* Et alio loco clarius,[g] *Videte quomodo oportet vos cōuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viuentis, cuius fundamenta in montibus sanctis, est enim ædificata in Apostolis & Prophetis, qui eius fundamenta iecerunt, quorum vnus erat Petrus, super quam Petram pollicitus fuerat suam se ædificaturum Ecclesiam.* Et paucis interiectis, *Anima beati Petri nominata meritò est Petra sublimis, quòd in fide radices solidè defixerit &c.* Cum Diuo Basilio optimè sentit studiorum societate ipsi coniunctissimus. Diuus Gregorius Nazianzenus [h] his verbis de Apostolis Petro & Ioanne differens: *Vides quemadmodum ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus, & excelsis, atque electione dignis hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat: ille impensius ametur, & supra pectus Iesu requiescat, ac reliqui Discipuli posthaberi se tranquillo animo ferant.* Audi & Epiphanium[i], contra te apertissimè testimonium dicentem. *Ipse Dominus constituit eum* (Petrum) *primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est, & portæ inferorum nō valebunt aduersus illam. Portæ autem inferorum sunt Hæreses, & Hæresiarchæ: iuxta omnem enim modum in ipso firmata est fides, qui accepit clauem cælorum, & soluit in terra & ligat in cælo: In hoc enim omnes quæstiones ac subtilitates fidei inueniuntur.* D. Ambrosiū quem magnus Theodosius Orbis Imperator summa obseruantia coluit, fortassis reuereberis, qui variis in locis Petrum fundamentum esse & petram Ecclesiæ sic confirmat. *Denique vt scias, quod* (Christus) *secundum hominem rogat, diuinitate imperat, habes in Euangelio quod Petro dixit. Rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Eidem autem suprà dicenti, Tu es Christus Filius Dei viui, respondit. Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum: Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat, quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiæ indicauit?* Et alibi, *Petrus fidelior factus est postquam fidem se perdidisse defleuit, atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm amisit. Tanquam bonus enim Pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibiantè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait Dominus, Tu es Petrus &*

a *Hippolytus in oratio. de consummat. mundi.*
b *Cyprian. li. 1. epistola 3.*
c *Ioan. 6. 68.*
d *Et libro 4. epistola 9.*
e *Et epistola ad Quirinū.*
f *D. Basilius in concione de pœnitētia.*
g *In c. 2. Isa.*
h *Gregor. Nazianze. in orat. de moderatione in disputatione seruanda.*
Reliqui Discipuli post Petrum habendi sunt.
i *Epiphan. in Ancrato.*
Portæ inferorum sunt hæreses.
Ambro. li. 4. de fide. cap. 3.
Luc. 22. 32.
Matt. 16. 16.
Ambr. ser. 47
Petrus post lapsum firmior.

super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur eo quòd primus in Nationibus, fides fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemq́ contineat. Et alio loco. *Primum signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia, diximus frequenter ipsum Petrum à Domino nuncupatum, sicut ait, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fides fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet.* D. Hieronymus etiam contra te firmum dat nobis, & graue testimonium. *Super vnum*, inquit, *montium Christus fundat Ecclesiam, & loquitur ad eum, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et alibi, *Non solùm Christus Petra, sed & Apostolo Petro donauit, vt vocaretur Petra.* Et rursus, *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto Schismatis tollatur occasio.* Item, *Quid* (inquit) *Platoni, & Petro? Vt ille enim princeps Philosophorum, ita hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempestate concutitur.* Concute si potes has D. Hieronymi sententias, vt te Iouiniani, & Pelagij germanum discipulum probes. Et locum illum Matthæi explicans, *Tu es Petrus & super hanc petram &c. Sicut ipse lumen Apostolis donauit, vt lumen mundi appellarentur, cæteraque ex Domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni, qui credebat in Petram Christum, Petri largitus est nomen, ac secundum metaphoram Petræ, rectè dicitur ei ædificabo Ecclesiam meam super te.* Et paucis interiectis, *Prudens Lector inquirat, quomodo post tantam beatitudinem Beatus es Simon Bar-iona &c. nunc audiat vade retro me Satana, scandalum mihi es: Aut quæ sit tam repentina conuersio, vt post tanta præmia Satanas appelletur? sed si consideret, qui hoc quærit, Petro illam benedictionem, & beatitudinem, ac potestatem, & ædificationem, super eum Ecclesiæ in futuro promissam, non in præsenti datam intelliget: ædificabo, inquit, super te Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: Et dabo tibi claues regni cælorum, omnia de futuro: Quæ si statim dedisset ei, nunquam in eo prauæ confessionis error inuenisset locum.* Placet tibi vehementer, vt video, sententia illa D. Augustini, quam de integro repetis.

[Margin: *Ambr. serm. 68.* — *Actor. 5.* — Petrus sanans claudũ, quid significet. — *Hieron. in c. 2. Isa. & in cap. 16. Ierem. Et li. 1. aduersus Iouinianum.* — Quare vnus Apostolis præfit. — *Lib. 1. aduersus Pelagia.* — Petrus princeps Apostolorum. — *Idem in 16. ca. Matt.* — Qualis promissio Petro facta fuerit.]

MINISTER. pag. 28.

Nos ergo qui sumus & vocamur Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credidit Petrus, Petri de Christo ædificati sermonibus &c.

CATHOLICVS.

Si ædificamur Petri sermonibus de Christo non excludit D. Augustinus B. Petrum omnino à ratione fundamenti. Ac ne insolenter

de Doctore

de Doctore tanto glorieris, ascribam ipsius de verborum Christi Domini sententia, iudicium. *In hoc*, inquit, *libro* contra epistolam Donati, *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij, vbi de Gallo gallinaceo ait: Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente, culpam diluit: sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens, Tu es Christus Filius Dei vini, ac si Petrus ab hac petra appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cœlorum: Non enim dictum est illi, Tu es petra, sed tu es Petrus, Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector.* D. Augustinus Lectori potestatem facit, vt nomine Petræ, aut ipsum Christum, aut ipsum Petrum intelligat. Quid verò eundem mouerit, vt nomine Petræ Christum Dominum frequenter explicarit, optimè meo iudicio docet Thomas Stapletonus, lubenter enim, cùm ex professo Scripturæ locum non explicat, mysticos sensus rimatur. Et quia Donatistæ, ætate D. Augustini Sacramétorum vim in hominum sanctimonia ponebant, ne ipsorum errori fauere videretur, si diceret super Petrum fuisse ædificatam Ecclesiam, alteram est secutus sententiam. Taceo quod D. Augustinus non fuerit perfectam linguæ Hebraicæ scientiam consecutus, quare mirum non est, si Petrum & Petram in illo Matthæi loco, eodem appellari nomine non existimarit. Inficiari etiam non potes, quin sæpius super Petrum ædificatam esse Ecclesiam senserit idem Ecclesiæ Doctor, vt obseruauit Hieronymus Torrensis Societatis nostræ Theologus in confessione Augustiniana. Si omnium qui Petrum, Ecclesiæ petram, & fundamentum fuisse ex diuina institutione asserunt, sententias vellem describere, haud dubiè essem æquo longior, paucissimis itaque contentus ero. Accipe ergo præclarum Cyrilli Alexandrini pro nobis testimonium. *Nec Simon fore iam nomē sibi, sed Petrus prædicit, vocabulo ipso cōmodè significans, quòd in eo tanquam in petra, lapidéque firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam:* Theodoretus quoque epistola ad Monachos Constantinop. & ad Eulalium, suo calculo sententiam nostram comprobat, vt & super Canti. *In Petro*, inquiens, *Apostolorum principe Dominus in Euangelio se Ecclesiam suam ædificaturum promisit.* Atque vt concludam, Ægyptij Pontifices, quorum facile princeps fuit D. Athanasius, nullum vobis dubitandi locum relinquunt his verbis, ad Romanum Pontificem scribentes. *Similiter & à supradictis patribus* (Nicenæ Synodi) *est definitum consonanter, vt si quisquam Episcoporum, aut Metropolitanum, aut cōprouinciales, vel iudices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellet sedem, cui ab ipso Domi-*

August. l. b. 1. Retract. cap. 21.

Super hanc Petram &c. de Christo & Petro post intelligi.

Tho. Staplet. Princip. fidei. demonstrat. lib. 6. cap. 5.

Cur August. per Petrum Christum frequenter intelligat.

Cyrill. Alex. lib. 2. in Ioan. cap. 12.

Theodoret. in Cātica Canticorum.

Concil. Alex. in epist. ad felicem Rom. Pont.

Appellatio ad Roman. Pont. à Nicæna Synodo sancita.

no potestas ligandi ac soluendi speciali est priuilegio super alios concessa: Ipsa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit, quoniam ipsam formam vniuersorum titulorum lucidissimam Dominus Iesus Christus vestram Apostolicam constituit sedem. Ipsa enim sacer vertex in quo Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, releuantur. Et sicut in Christo, Christiani: & in Petra, id est Christo, Petrus, Petri renouatur Ecclesia, Rom. Pont. omniũ Ecclesiarum curã habet. *Tu es enim (sicut diuinum veraciter testatur eloquium) Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & propriis humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ, tibiq; claues regni cælorum commisit, atque ligare & soluere potestatiuè* Pont. Rom. damnat hæreses. *quæ in terra, & quæ in cælis sunt promulgauit. Tu profanarum hæresum, & impetitorum, atque omnium insistantium depositor, vt princeps & doctor, caputq; omnium orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis.* Si tot Patrum grauissimorum sententiis non moueris Minister, vt tandem nobiscum, id est, cum Catholica Ecclesia, pro cuius doctrina propugnamus, omnino sentias, quorum testimoniis moueri possis non video. Quòd porro ais, *Petrum disertè profiteri vnicum esse Christum ἀρχιποιμένα, & caput Ecclesiæ suæ,* Vellem disertè nobis locum D. Petri notasses: in cuius Epistolis, Capitis nomen, semel tantùm inueniri existimo, 1. Pet. 2. *Lapis quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput anguli.* Non latuit Caluinum tuum, quid respondeant Catholici ad illud quod nobis obiicis argumentum de vnico capite Christo. Cal. li. 4. Inst. c. 6. §. 9. *Nec me latet*, inquit, *quid cauillari soleant cum hoc illis obiicitur Ephes. 4. Christus caput est, ex quo totum corpus compactum: Christum scilicet propriè vocari vnicum caput, quia sua autoritate, suóque nomine solus regnet, sed illud nihil obstare quo minus sub ipso sit alterum caput ministeriale, vt loquuntur, quod eius vices in terris gerat, verùm hoc cauillo nihil proficiunt, nisi prius ostenderint hoc ministerium à Christo, esse ordinatum.* Vidésne Caluinũ hærentem, ac quò se vertat nescientem? Vna enim & perspicua Capitis distinctione, omnes ipsius captiones dissoluuntur. Christus enim est primarium Ecclesiæ caput, ipsi Ecclesiæ cœlestia dona cumulatè impertiens: Pontifex verò Romanus Petri successor, & ipsius Christi Domini in terris vicarius, potestate sibi diuinitus concessa, Ecclesiæ politiam moderatur, & quæ ad sanctimoniam aut acquirendã aut conseruandam conducere iudicat sanctissimis legibus constituit. Ministeriale ergo est caput, vt loquitur tuus Caluinus. Sed vt eodem (quo ille contra nos abutitur) testimonio te conuincam. Ephes. 4. 15. 16. *Crescamus* (inquit Apostolus) *in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam subministrationis &c.* His verbis Apostolus subiicit Christo capiti totum Ecclesiæ corpus, quod certè sine capite nequit consistere: habet ergo Ecclesia caput proprium & peculiare præter Christum. Quid præterea ad illud respondebis? 1. Cor. 12. 21. *Non potest oculus dicere manui, opera tua non*

nō indigeo: aut iterū caput pedibus,non estis mihi necessarij. Si verum esset quod scripsisti,*Christum esse vnicum caput Ecclesiæ suæ*,non poterit dicere pedibus, *Non estis mihi necessarij*.Cùm Deus aliquo nō indigeat,vt idem Paulus ait Act.17.25. Responde disertè huic argumento, Vel deinceps cauillari desine. Et cùm vos Caluiniani frequenter in ore habeatis *vnum corpus vnicum habere caput*, Monebo te tantùm, vt diligēter Scripturas legas,quod vbi feceris,nobiscum senties nihil absurdi esse,vni corpori mystico plura capita, certo inter se ordine copulata tribuere. Moses [a] nominat capita exercitus Israel.Et tamen certum est Deum totius fuisse exercitus caput.Et [b] ad sonitum tubæ iubentur venire ad Mosem capita multitudinis Israel. Meminisse te oportebit, qui Scripturarum scientiam tibi arrogas,verborum Samuelis ad Saulem,[c] *Nonne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* Et illorum Apostoli:[d] *Vir est caput mulieris*. Rex etiam Christianissimus caput est Gallorum,non tamen,vt suspicor, Deum & populi Israel,& mulierum,ac Gallorum esse caput negabis.Voluisti postea specimen doctrinæ tuæ nobis dare,cùm sine omni probatione, Ecclesiæ Christi doctrinam de cultu Imaginum & Reliquiarum, ac inuocatione eorum qui in cælis æterno æuo nunc fruuntur, aspernaris, & repudias.

Corpus mysticum duo potest habere capita.

a *Num.1.16. 18.20.*

b *Num.10. 4.*

c *1. Reg.15. 17.*

d *1.Cor.11.3.*

CAPVT XXXV.

MINISTER. pag.28.

P*Retiosa est mors Sanctorum in conspectu Domini, ac proinde conducit ad fortitudinis & constantiæ exemplum omnibus piis, vt eorum qui piè in Ecclesia vixerunt, & mortui sunt, memoria sanctè custodiatur, & certis monumentis recolatur.*

CATHOLICVS.

Caluinianam Sectam, tu Minister Proteo mutabilior, hac tua doctrina planè prodis, quæ Sanctorum memorias variis modis in Ecclesia ab omni Christiano populo religiosissimè (prout ab Apostolo mandatum fuerat) conseruatas sua importuna innouandi libidine tollere conata est: Et quantū in se fuit,effecit, vt quæ Patrū monumenta Gottorum,Vandalorum,Hunnorum,& cæterorum barbarorum rabiem effugerant,sempiterna obliuione delerētur. Cúmque gloriosissimorum Christi Martyrum,& Confessorum nomina, ab ipsa D. Cypriani ætate, certo anni die notata fuissent, & ab Eusebio Cæsariensi, & S.Hieronymo, aliisque permultis in volumina (quæ illi Martyrologia vocauerunt) collecta, & cuique anni diei, (quo videlicet illi ex hac vita decesserant) assignata,vestra,inquam,Secta hæc volumina omni studio,& labore tentauit supprimere,& pro illis probatis Sanctorum virorum monumentis, nescio quas scriptiunculas Foxus, Crispinus, Pantaleon, & Beza euulgarunt,quibus (præter claros nonnullos viros vobiscum, sicut cani,

e *Ad Hebr. 13.7.*

Cypria. lib.3. epist.6.

Fasti ab Hæreticis conscripti.

& balneo conuenientes) quasdam hominum quisquilias complexi sunt, quas (expunctis Sanctorum nominibus) in eas nouas tabulas noui homines referre voluerunt, vt ad destruenda antiquę religionis, & auitæ pietatis ornamenta, Posteritati exempla nō deessent.

MINISTER. pag. 28.

Aurum illud est Christiana doctrina fundamentum.

CATHOLICVS.

Explica, oro, quid inter se differant Christiana doctrina, & Christianæ doctrinæ fundamentum: si enim non differre dixeris, quorsum ea nunc distinguis? Paleas ab auro seiungere non potuisti, quia fidei nostræ decreta, nullo tamen argumento, quæ commoueri non possunt, conuellere conareris.

MINISTER. pag. 28. & 29.

At cùm ad colendam Sanctorum memoriam, imagines eis collocantur, atque consecrantur, eorum ossa reliquiaq; adorantur, nomina inuocantur, Palea est, siue stipula, Veritatis fundamento superstructa: quam eiusdem illius Veritatis ignis comburet.

CATHOLICVS.

De Imaginibus suo loco dicemus. Miror interim vehementer tuam ἀναισχυντίαν, quòd tam audacter Ecclesiæ Catholicæ de cultu reliquiarum, & inuocatione Sanctorum doctrinam, sola asseueratione sis ausus reiicere. Vbi est nunc tuum scriptum Verbum, cui soli fidem haberi vis? Et quia Vigilantij errorem de reliquiarū cultu renouas, Hieronymi in eum sententiam producam, vt in posterum scias quibuscum tibi sit negotium. Existima tecum agere D. Hieronymum, cùm Vigilantij partes defendendas susceperis. *Quis*, inquit, *aliquando Martyres adorauit? quis hominem putauit Deum? dolet Vigilantius, Martyrum reliquias pretioso operiri velamine: ergo sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt? Sacrilegus, & nunc Arcadius, qui ossa Beati Samuelis, longo pòst tempore, de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solùm sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui cineres dissolutos in serico, & vase aureo portauerunt. Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis, & tanta lætitia quasi viuentem, præsentémque Prophetam cernerent susceperunt, vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonarent. Malè ergò facit Romanus Pontifex, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundùm nos, ossa veneranda: secundùm te, vilem puluisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria?* Neque est, cùr alterius quàm eiusdem Hieronymi testimonio, te Vigilantij errorem tueri probem, cùm Sanctos inuocandos negas. *Si*, inquit, *Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc esse*

Hieron. contra Vigilantium.
Reliquiarū honor antiquissimus.

Pont. Rom. super Martyrum tumulos sacrum facit.

Hiero. contra Vigilant.

esse debent soliciti, quantò magis post coronas, aut postquàm cum Christo esse cœperint minus valebunt? Denique Sancti non appellantur mortui, sed dormientes. Redis tandem ad distinguendam Verbi scripti auctoritatem ab auctoritate Ecclesiæ. Sanctorum intercessio.

MINISTER. pag. 29.

Vtrique, id est, & Verbo, & Ecclesiæ, tribuenda quidē erat autoritas, sed suo modo, sua: qui modus facilè expediri distinguiq; potest. Vernaculæ vobis atque domestica artis hic latent insidiæ: quod enim certa quadam ratione dicitur, & intelligi debet de Ecclesia, id vniuersè & absolutè interpretamini.

CATHOLICVS.

Quàm lepidæ lexeis compostæ, vt tesserulæ omnes, *Sed suo modo sua:* Certè si cum Valla tibi res esset, tuū *suo* & *sua* cum Poggio in pistrinum amandasset. Sed ad rem, nōsne hoc facimus? si tibi vis vllus mortalium credat, doce quandò eiusmodi à nobis quid factū fuerit: conuitia sunt hæc planè scurrilia. Tu plurima nullo ordine effundis, quæ probare nunquam poteris. Cuperem vt nobis aperires, istius vernaculæ & domesticæ nobis prorsus incognitæ artis insidias. Quòd verò scribis, *Hoc genere machinæ Christum oppugnabat Satan, quùm ad præcipitem, & temerariam fiduciam hominū impelleret.* Nos maximè mouere debet, ne vestris nugis, quas Scripturæ testimoniis confirmare conamini, contra Ecclesiæ decreta fidem habeamus, cùm & Dæmon, ex Scripturis impietatem Domino persuadere contenderit. Quorsum spectet quod à te subiicitur, nō video. Matth. 4. 6.

MINISTER. pag. 29.

Quasi hæc non rectè constare possint, Quàm magnifica de te dicuntur, ciuitas Dei! & quomodo facta est meretrix, ciuitas fidelis? Est nimirum fallacia, quam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter vocant, id est, τοῦ πρός τινος ἁπλῶς λεγομένου.

CATHOLICVS.

Næ tu Rhetor magnificus es, dicens quàm magnifica! Sed nónne sapientius fecisses, si versione contentus esses cōmuni? δεδοξασμένα ἐλαλήθη περί σου habent lxx. Neque ab Hebræis Codicibus petes subsidium, cùm ipse etiam Varablus, quem vnum aliquando communi versioni soles opponere, præclara non magnifica, vt tu, interpretetur. Sed quid ais bone Logice? *Secundùm quid* est-ne tibi πρός τι? Quæ in Categoriis Aristot. τὰ πρός τι dicuntur, à quo vnquàm *secundum quid* dicta sunt? Sed bene habet δευτέραι ἐν φροντίσιν σοφώτεραι: Paulò post enim tuum *secundum quid* te corrigens, κατά τι nuncupas. Quæcunque autem in Scripturis dicuntur, optimè constant: nullam inuenies repugnantiam quæ non dissoluatur. Non video quorsum has duas Scripturæ sententias nobis obiicias, nisi velis Christi Ecclesiam esse factam meretricem, quod si sentis, planè impius & indignus es, qui in Christianis numereris. Accipe sententiam verborum Isaiæ ex D. Hieronymi Commentariis: *Miratur* (Isaias) Cap. 1. 21.

spiritu, quod ciuitas quæ quondam fidelis fuit, vel fidelium receptaculum, subitò facta sit meretrix, quod quidem & in Isaiæ temporibus intelligi potest, sed plenius refertur ad passionem Christi. Sententia ergo Isaiæ de Christi Ecclesia non potest intelligi. Quòd attinet ad
Psal.86.3. verba illa Psalmi: *Quàm magnifica de te dicuntur ciuitas Dei.* D. Hierony. in Comment. de Christi Ecclesia esse dicta existimat, sed vt demus de Hierusalem, Dauidem locutum esse, confice ex his duabus Scripturæ sententiis, captionem à *dicto secundum quid ad dictum simpliciter*: doce vtra ex his duabus sententiis in ciuitatem Hierosolymitanam *secundum quid*, conueniat, & vtra simpliciter. Deinde præclaram videlicet, de Ecclesiæ Christi auctoritate sententiam subiicis.

CAPVT XXXVI.

MINISTER. pag. 30.

NOS *affirmamus Ecclesiam, à sponsi sui voce pendere: intolerabilémque esse audaciam, existimare in arbitrio & potestate Ecclesiæ esse, Verbi Dei sententiam ita moderari, vt noua decreta condat, Apostolorúmque nomina ipsorum doctrinæ opponat.*

CATHOLICVS.

Si nouis erroribus Christi Ecclesiam improbi homines inficere non cessant, impudens est, qui ad Ecclesiæ gubernaculum sedentibus silentium imperat. Cùm verò noua decreta conduntur, quæ errores condemnant, & fidei res, omnibus explicatas proponunt: non propterea noua fides in Christi Ecclesiam inducitur, sed controuersiæ de fidei rebus, sedantur. Neque est, cur dicas Ecclesiam Apostolorum nomina, ipsorum doctrinę opponere, cùm nihil antiquius ea se habere profiteatur.

MINISTER. pag. 30.

Ecclesia autoritas agnoscenda quidem est, sed non infinita. Illa veritatis custos & interpres esto, non simpliciter quidem & absolutè, sed secundum quid. i. οὐχ ἁπλῶς, *sed* κατά τι. *Neque enim ipsa de veritate statuit, vt illud planè sit verum, & rectum, quod verum & rectum esse, ipsa ex se constituerit: sed ipsa demum esto verax & fidelis Ecclesia, si ex* αὐθπίςου *& indubitata veritate verum à falso diiudicarit. Quæ veritas nihil aliud est, quàm Verbum illud Dei scriptum: ac proinde ille esto legitimus Dei cultus. i.* λογικὴ λατρεία *(vt loquitur Apostolus) qui ex* λόγου *i. Verbi legibus sit constitutus, quum obedientia sine mandato esse non possit.*

Præpositio ex cum dādi. casu, & Latinorũ gratia interpretatio.

CATHOLICVS.

Tandem Ecclesiam in ordinem redigis, cùm ipsam simpliciter veritatis custodem & interpretem esse negas. Inficiari non poteris, quin & Synagoga Iudæorum, quæ pro vera Religione superstitionem colit, sit secundum quid (vt tu loqueris) & interpres & custos.

custos veritatis. Omnia enim quæ vos Caluiniani in veteri Testamento probatis, Iudæi diligenter conseruant. Vnde D. August. ait: *Quod per omnes ferè terras, gentésque dispersi sunt Iudæi, illius vnius veri Dei prouidentia est, vt quod Deorum falsorum vsquequaque simulacra, aræ, luci, templa euertuntur, & sacrificia prohibentur, de Codicibus eorum probetur, quemadmodum hoc fuerit tantò antè prophetatum, ne fortè cum legeretur in nostris, à nobis putaretur confictum.* Aug. lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 34. Cur Iudæi sint per totum orbem dispersi.
Ecce tibi, Minister, profero Iudæos κατά τι, veritatis custodes, cùm libros sacros, nulla temporum iniuria vitiatos, retineant, vt ex 8. volumine expositionum Origenis probat Hieronymus in cap. 6. Isaiæ, & confirmat Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 13. Interpretandi quoque munus *secundum quid* eisdem, credo, Iudæis non negabis. Nam vt ex Terentio, Cicerone, Cæsare, Demosthene, Æschine, Xenophonte, Platone Ethnicis hominibus, Latini Græcíque sermonis cognitionem haurimus, vt sacras literas Græcè, Latinéque scriptas facilius percipiamus, ita Hebræorum vocabulorum vim, & intelligentiam, ex Rabbinorum מדרשים nos petere, Imò & reconditos sensus, cum Christiana fide non repugnantes, vt suspicor, non prohibebis. Quare Iudæorum Synagoga erit &, *secundum quid*, sacrarum litterarum interpres. Vide quantum Ecclesiæ Christi tribuis, cui Iudæorum Synagogam, impura superstitione planè contaminatam, æquare cogeris: Ecclesia autem non seiungitur à Christo: Vnde inanis est illa tua cauillatio. *Neque ipsa de veritate statuit, vt illud planè sit verum, & rectum, quod verum, & rectũ ipsa ex se constituerit.* Adest enim perpetuò Ecclesiæ Spiritussanctus. Quare non minus rectè in sedandis fidei, aut morum controuersiis, Ecclesia iam potest vsurpare Apostolicum illud, *Visum est Spirituisancto, & nobis*, quàm ipsimet Apostoli in rebus similibus fecerunt. Act. 15. 28. Adhæc vis *Ecclesiam ex indubitata veritate verum à falso diiudicare.* Si extra Scripturam (vt vos vultis) nulla est planè Christiano homini necessaria Veritas, quid opus est nouam hanc Regulam, vera à falsis distinguendi, nobis tradere? Quæ in Scripturis vera asseruntur, à Christiano homine sine scelere, negari non possunt. Si dixeris veritates omnes Scripturæ consentaneas, ex ipsis Scripturis necessariò esse diudiicandas, cõcludam non omnia, quibus fidem habemus, in Scripturis reperiri: nam his consentaneis, cùm verissima sint, fidem, & vestram Sectam adiungere suspicor. Postmodum appositè sanè diuinis laudibus matrimonium ornas.

MINISTER. pag. 30.

Nihil aut melius quidpiam, aut præclarius in hominum vita esse potest, quàm cùm vir & vxor communibus animis, & sententiis, familiã administrant.

CATHOLICVS.

Quid respondebis Apostolo dicenti, *Qui matrimonio, iungit* 1. Cor. 7. 38.

virginem suam bene facit, & qui non iungit melius facit? Certè si virginitas est matrimonio præferenda, erit aliquid præclarius familiæ, ex communi viri & vxoris sententia administratione. Disce quæso, ab iis qui moralem Philosophiam tractarunt, quid sit administrare Ciuitatem, Rempub. Regnum, Imperium, ac tum primùm côtende nihil esse in hominum vita, familiæ administratione præclarius.

Chryso. lib. de virginitate. Virginitas Matrimonio præstat.

Sed vt intelligas Virginitatem multò antecellere Matrimonio, ascribam præclaram D. Chrysost. sententiam. *Bonum est connubium, est verò ob eam causam virginitas admirabilis, quæ eo quod bonum est, melior existit, tantòque melior quantò remigibus gubernator: quantò est militibus Dux præstantior: Ac si libet, illud adiungam; tanto nuptiis virginitatem præstare, quantò cœlum terræ, quantò hominibus Angeli antecellunt.*

Gregor. in oration. in sanctum Baptisma.

Chrysostomo, vt innumeros alios prætermittam, vnum adiungam Gregorium Theologum, qui Matrimonium quidem laudat, Virginitati tamen potiores partes tribuit his verbis: καθαρὸς ἴσ (Græca enim eius tibi forte magis arridebunt quàm Latina) καὶ μετὰ τὸν γάμον, ἐμὸς ὁ κίνδυνος, ἐγὼ τούτου συναρμοστής, ἐγὼ νυμφοστόλος. οὐ γὰρ ἐπεὶ ἡ παρθενία τιμιωτέρα, ἐν τοῖς ἀτίμοις ὁ γάμος. Nónne igitur aliquid in rebus humanis coniugio inuenitur præstantius, ipsa videlicet Virginitas, cùm illa honorabilior Matrimonio à Theologo nominetur?

Idem in Homil. in Verba Domini.

Alio item in loco tuam apertè sic redarguit opinionem: καλὸν ὁ γάμος, ἀλλ' οὐκ ἔχω λέγειν, ὅτι καὶ ὑψηλότερον παρθενίας. οὐδὲ γὰρ ἂν ἦν τι μέγα ἡ παρθενία μὴ καλοῦ καλλίων τυγχάνουσα. Si melior est bono Matrimonio Virginitas, quomodo tu nihil melius coniugio audes dicere? Prætereo eiusdem de Virginitate carmen, in quo cùm Matrimonium & Virginitatem inter se quasi de dignitate certantia inducat, ipsi Virginitati palmam assignat.

MINISTER. pag. 30.

Aduersus quem (virum) vsurpare autoritatem vxori vetat Apostolus. Euangelium non est Matthæi, siue Ioannis, sed secundum Mattheum, & Ioannem.

CATHOLICVS.

Vide primùm, Minister, num melius dicatur, *vxorem vetat Apostolus.* Deinde non intelligo quorsùm hunc loquendi modum reprehenderis *Euangelium Matthæi* &c. Quomodo defendes Caluinum tuum qui Euangelium dicit esse Lucæ: *Solus* (inquit) *Lucas in suum Euangelium præfatur.* Et paucis interiectis: *Hac lege Euangeliū suum Theophilo nuncupat Lucas.* Et iterum, *Ministros sermonis vocat, à quibus accepit suum Euangelium.* Et postea, *Appositè Lucas Euangelium suum à Ioanne Baptista orditur.* Doce Caluinum Latinè loqui, ex cuius venenatis scriptis, quæ in nos effutis, diligenter hausisti.

Caluinus in harm. ad ca. 1. Luca.

1. Thessal. 1. 5. Quòd si in verba Magistri te non iurasse responderis, quid ad illud Apostoli dices, *Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum.* Et

2. Timot. 2. 8. alio loco. *Memor esto Dominum Iesum Christum resurrexisse à mortuis ex*

tuis ex ſemine Dauid, ſecundum Euangelium meum. Poſſem antiquiſsimos Eccleſiæ Doctores laudare, qui non abhorruerunt ab ea loquendi ratione, quam tu immeritò aſpernaris. Et quia res perſpicua eſt, hoc vnius Auguſtini teſtimonio contentus ero: *Totum Euangelium Ioannis contra Hæreticos eſt.* Hæc non alia de cauſa à me adducta ſunt, Ariſtarche noſter, niſi vt omnes intelligerent quàm benè ſis in Scripturæ ſacræ & Veterum lectione verſatus, qui etiam factionis tuæ τῦ αὐτοκράτορος ſcripta legiſſe non videris: Non quòd hunc loquendi morem reprehendam εὐαγγέλιον κατὰ ματθαῖον, hoc eſt, *Euangelium ſecundum Matthæum,* quem Eccleſia Latina, vt vides, à Græca eſt mutuata, & in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio quotidie vſurpat. Hoc vnum etiam à te poſtulo, vt mihi nempe certo aliquo Scripturæ teſtimonio probes, (qui omnia ad ſcriptum Verbum reuocas) Matthæum eo modo ſuum Euangelium inſcripſiſſe, tecúmque de hac loquendi ratione non amplius decertabo.

In q. ex nouo teſtam. q. 65.

CAPVT XXXVIII.

MINISTER. pag. 31.

QVod de Verbo haſtenus diximus, iterum inculcamus.

CATHOLICVS.

Si tibi ſuppetunt argumenta, quibus Theſes noſtras te infirmare poſſe exiſtimas, quid attinet idem tam frequenter inculcare? Obiicis deinde nobis *Aphoriſticam Aſſertionum noſtrarum breuitatem,* immemor præclaræ illius tuæ orationis, qua primo congreſſu de nobis triumphare voluiſti. *Prolixa illa & inſidioſa propoſitionum veſtrarum ambages, Logices legibus definienda ſunt.* Eædem Aſſertiones tibi ſunt fortè κατά τι καὶ ἁπλῶς prolixæ & breues. Atque vt te egregiè in Catholicorum ſcriptis verſatum probares; teſtimonia aliqua pro Traditionibus tibi-ipſi obiicis; Nos quidem patrocinio tuo non indigemus, Miniſter, diſſolue quæ tibi obiicimus, & eris nobis magnus Apollo.

Pag. 8. Miniſtri negatur contradictio.

MINISTER. pag. 32.

Ea quæ ab Apoſtolis perſcripta ſunt, an ad plenam, ſolidamq́; ſalutis noſtræ cognitionem ſatis valeant?

CATHOLICVS.

Miror te vehemẽter, qui Caluini doctrinam ſequeris, quòd omne erroris tui præſidium in hac vna interrogatiuncula ponere ſis auſus. Cùm ex fidei definitione quam ille tradidit, [a] cõcludamus quod maximè ad ſalutem neceſſarium exiſtimatis in Scripturis non reperiri. Si tu fidem Caluino habes, doce in quo Scripturæ libro legiſti, diuinæ erga I.S. Caluini Miniſtrum beneuolentiæ firmam certámque cognitionem. Quòd ſi Scripturæ Verbis deſtitutus Præceptori tuo id ἁπλῶς καὶ μὴ κατά τι aſſerenti credendum eſſe putas, non Chriſti, ſed Caluini fidem habere conuincêris. Ac ne videar tui ἐρωτήματος vim

Caluin. lib. 3. inſt. c. 2 § 7. Vide cap 20. huius lib. Caluiniſtæ fide tenent quæ nõ ſunt in Scriptura.

ſubterfugere voluiſſe.Reſpondeo, in paucis Scripturæ verbis, generatim contineri quæcunque ad Chriſtiani hominis ſalutem deſiderantur. Vidéſne quàm liberaliter tecum agam, qui in paucis verbis contineri affirmem, quæ tu vniuerſam Scripturam complecti, me negaturum exiſtimaſti? Sed caue ne fallaris, nam quamuis generaliter cõprehendat breuis oratio illa Domini,[a] qua præcipit Eccleſiæ obtemperandum (vt & illa Apoſtoli[b] *Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis*) omnia fidei noſtræ myſteria, non tamen inde concludes, nihil ſpeciatim fide Chriſtiana teneri, quod non ſit in Scripturis expreſſum. Quòd ſi apud Catholicum aliquem Scriptorem legiſti aliquando, omnia ad ſalutem neceſſaria in Scripturis eſſe explicata, ſcias eum de iis Religionis noſtræ myſteriis loqui, quæ ignorare nemo Chriſtianus, ſine ſcelere, poteſt. Non te adeò hallucinari exiſtimo vt quæcunque in ſacris litteris continentur, ab omnibus neceſſariò explicatè, & diſtinctè credi velis, cùm & veſtri magni Rabbini plurima ignorent: & D. Auguſtinus multa in Scripturis latere ſcribat, quæ, ex Hæreticorum delirationibus occaſione accepta, à Catholicis Doctoribus ſunt illuſtrata. *Multa*, inquit, *ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida inquietudine agitantur, vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clarius, & inſtantiùs prædicantur, & ab aduerſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio.* Vt illorum ſententiam magis explicem, qui omnia ad ſalutẽ neceſſaria in Scripturis reperiri docent: Scito multa eſſe Chriſtianæ fidei arcana, quæ omnes Chriſtiani comperta habere minimè tenentur, quæ tamen obfirmato animo aſpernari, ſine perfidiæ nota nemo poteſt. Nunquã auditoribus tuis omnibus perſuadebis, vt omnia Caluini ſcripta, memoria comprehendant. Ecquiſnam eſt Miniſtrorum, qui omnia quę in Bibliorum voluminibus ſcripta ſunt, non dicam intelligat, ſed memoria teneat? Si quis tamen veſtrûm improbaret vel minimam Scripturæ ſententiam; cuius cognitio explicata non eſt ad ſalutem neceſſaria, à cæteris tanquam veritatis hoſtis ex Caluiniſtarum *Conſiſtorio* exploderetur. Habes ad argutam tuam interrogationem, breuem quidem, ſed quam nunquam infirmabis, reſponſionem.

a Mat 18 17.
b 1.Tim.3.15.
Auguſt.li.16. de ciuit. Dei cap.2.
Chriſtiani non tenentur omnia fidei dogmata explicatè cognoſcere.

MINISTER.

pag.32.

Eſto, non omnia ſcripſerint Apoſtoli eorũ quæ Chriſtus geſſit: quemadmodum teſtatur Ioannes. Illáne temerè ab eis prætermiſſa, eorúmque literis caruiſſe, exiſtimabitis?

Omnia eorũ quæ geſſit, inuenuſta oratio.

CATHOLICVS.

Nihil ab Apoſtolis eſt temerè prætermiſſum, quamuis tu inſcitiam tuam prodas, cùm illius prætermiſsionis cauſam à te excogitatam ita ſubiicis. *Cauſam ipſe Ioannes reddit, Tot tantáque nimirum fuiſſe à Christo geſta, vt ea mundus capere non poſſet ſi ſcriberentur. Addit Auguſtinus, ea quæ ſcripta ſunt, ad ſalutem fuiſſe ſatis.* Quàm ſis diligens

cauſarum

causarum inuestigator, docebit te Caluinus, qui longè aliam verborum D. Ioannis affert sententiam. *Ne quis*, inquit, *eius* (Ioannis) *sermonem suspectum habeat, ac si ad gratiam esset compositus, propterea quòd à Christo diligebatur, hanc obiectionem anticipat, plura à se praterita fuisse dicens, quàm scripta. nec de quibusuis Christi actionibus loquitur, sed qua ad publicum eius munus spectabant.* De tua prætermissionis causa in hac Caluini explicatione ne verbum vnum audis. Ioannem Hyperbole fuisse vsum, plerique ex Veteribus concedunt, quorum sententiam probat & ipse Caluinus: Quod etiam ex voce Græca χωρῆσαι (qua vtitur Apostolus) confirmari potest, nam ad locorum spatium propriè refertur. Imò idem Euangelij sui conclusione Hæreticorum insolentiam comprimit, qui omnia ad sacros libros reuocant. Negat enim omnia Christi Domini gesta se Euangelio suo esse complexum. Si ergo propterea plurima silentio præteriit quòd *ea mundus capere non posset*, dic quæso, cur Euangelium suum scripsit, cùm nemo sit omnium qui perfectam, vel primi capitis intelligentiam satis sit assecutus? quasi omnia quæ ab eo de Domini gestis prætermissa sunt, faciliora essent primis Euangelij ipsius, verbis? *In principio erat Verbum, &c.* Cùm D. Augustini decurtatam repetis sententiam satis prodis te in Augustiniana doctrina parum esse versatum. Sic enim ille, *Electa sunt qua scriberentur, qua saluti credentium sufficere videbantur.* Quibus tantùm significat ex admirandis Christi Domini operibus, admirabili Spiritussancti consilio, & prouidentia factum esse, vt ea scriptis mandarentur, quæ ad constituendam fidem aliarum rerum omnium, quæ litteris comprehensæ non sunt, satis sufficere poterãt. Quam sententiam idem eodem loco perspicuè tradit. *Audistis*, inquit, *quia Dominus Iesus mortuum suscitauit, sufficit tibi vt scias, quia si vellet, omnes mortuos suscitaret: & hoc quidem sibi ad finem seculi reseruauit.* Et post pauca: *Oportebat vt modò aliqua faceret, quibus datis velut sua virtutis indiciis, credamus in eum.* Nos infrà D. Augustini pro Traditionibus non scriptis, te ita obruemus sententiis, vt si Christianus vllus in te est pudor, in posterum hiscere non audeas.

Cal. in c.21 Ioan. §.24.
Cur multa Christi gesta ad publicum eius munus spectantia Ioannes prætermiserit.
Ioan. 21. 25.
Ioan. 1. 1.
Pag. 19. eadē August. sententia habetur. Augu. tract. 49. in Ioan.
Cur quædā scripta sint.

MINISTER. pag. 32.

Erátne igitur necesse illa cognosci, si eorum Mundus capax non esset, ac proinde si non essent profutura?

CATHOLICVS.

Diximus D. Ioan. ὑπερβολικῶς locutū esse: Quòd autem concludis, *ac proinde si non essent profutura*, Turcæ, aut Iudæo, Christiani nominis hosti, similem concludendi rationem, si verè Christianus esses, reliquisses. Nihil enim, siue gesta, siue dicta Christi Domini spectes inuenire poteris, quod & Ecclesiæ non profuerit, & mortalibus omnibus, si cognosceretur, magnum non potuerit vtilitatis fructum afferre. D. Lucas testatur Christum Dominum post resurrectionem *Act. 1. 3.*

Actor.1.3. per dies quadraginta apparuisse Discipulis, & de Regno Dei permulta fecisse verba, quæ tamen ab Euangelistarum nemine scripta extant. Hæc quæ Christus Dominus summo studio iamiam ad Patrem profecturus, Discipulos suos docuit, tuo iudicio, superuacanea erant, & non profutura, cùm Euangelistæ ea litteris non consignarint.

MINISTER. pag 32.

Deus ne temerè hoc voluit: Ecclesiámque suam celare aliquid, quod ad ipsius salutem pertineret? noluit illa scribi (respondebitis) sed viua voce per Apostolos voluit doceri. Hoccine modo magis capax fuit mundus, salutaris illius doctrinæ, quàm scripto? quasi verò Deus multis vicibus, multisq; modis olim loquutus, temerè voluerit doctrinam illam scripto commendari, vt humanis commentis omnem ansam præcideret. & in hac delira mundi senecta sapientior sit mundus; & diuini enim illius consilij causam Ioannes disertè reddit: vel certè Ioannem arguite mendacij.

CATHOLICVS.

Ierem.c.31.33. Inani tuæ loquacitati respondebit pro nobis Ieremias. *Hoc*, inquit, *erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Quam *Heb.10.16.* sententiam vsurpat Apostolus, vt legem Euangelicam veteri antecellere probet. Quære à Spiritu sancto. *Hoccine modo magis capax fuerit mundus salutaris doctrinæ, quàm scripto?* Verba Prophetæ perspicua sunt, & à multis Catholicis Scriptoribus factionis vestræ hominibus obiecta, vt inanem laborem sumerem, si in iis explicandis diutius immorarer. Vbi porro scriptum est, quod tu audacter affirmas, *Deum voluisse doctrinam scripto commendari, vt humanis commentis omnem ansam præcideret?* Repete quæ suprà ex Tertulliano adduximus de Hæreticis, & tuas ansas nondum præcisas inuenies: Ac diligenter perpende præclaram eiusdem Auctoris sententiam, quæ tibi resipiscendi ansam dabit. [a] *Nec periclitor dicere ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt Hæreticis materias subministrarent, cùm legant oportere hæreses esse* [b], *quæ sine Scripturis esse non possent.* Et alio loco in eandem sententiam scribit idem, *Sed vtantur Hæretici omnes Scripturis eius, cuius vtuntur etiam Mundo: erit illis hoc quoque in testimonium iudicij, quod de exemplis ipsius blasphemias suas instruunt.* Cum Tertul. consentit Diuus August. scribens: [c] *Multa de illo (Christo) in Scripturis inueniuntur ita dicta, vt impias Hæreticorum mentes, prius volentes docere, quàm nosse in errorem miserint.* Et quamuis nullum contra hanc tuam falsam opinionem haberemus Catholici Scriptoris testimonium, res ipsa te omnino conuinceret: cùm nullum à Christo nato extiterit tempus, in quo tot errorum monstra viguerint, ac hoc

a Tertull. de præscript. aduersus hæret.
Scripturæ Tertul. iudicio hæreticis materias subministrant.
b 1.Cor.11.19 Idem Tertul. de carne Christi.
c August. de fide & symbolo ca.9.

ac hoc nostro infœlici seculo, quo Scripturæ sacræ passim omnium linguis, ab omni hominum genere sine vllo delectu curiosè lectitantur. Quod de *delira mundi senecta* subiicis, non assequor quorsum spectet, nisi Christo Domino διὰ τὸν σου σαρκασμὸν velis illudere, cùm tempus hoc in quo lux Euangelij per extremas terrarũ oras, magno Christianæ Ecclesiæ commodo peruagatur, *Deliram mundi senectam appellas*. Lege quæ Prophetæ de Christi Ecclesia vaticinati sunt, atque hoc tuum Democriticum dictum, in cæteris Sectæ vestræ blasphemiis meritò reponendum iudicabis. Quod ais postmodum, *Diuini illius consilij causam Ioannem reddidisse*, nouum est in Caluini officina excogitatum commentum. Tu affingis Ioanni, quod Ioannem fecisse, probare non poteris: & tamen non puduit te nobis dicere, *Vel certè Ioannem arguito mendacij*. Hæc est Caluini vestri religio, qui Apostolis, ipsique Spirituisancto præscribit. *Isa.41.65. Psal.2.* *Caluin.lib.4. inst.c.8.§.8.*

CAPVT XXXIX.

MINISTER. pag. 33.

Canones illi Apostolorum, quos tanti facitis & Clementis διατυπώσεις quæ appellantur, erunt non scriptum Verbum. atqui illa sunt scripta, Non sentitis vos pugnantia loqui: quasi Verbum illud vestrum non scriptum sit scriptum.

CATHOLICVS.

Acumen hoc est planè Caluini Ministro dignum, quo nihil vnquam ineptius legi. *Verbum non scriptum* illud appellamus, quod in sacræ Scripturæ libris apertè non continetur. Nemo est nostrum, qui Canones Apostolorũ, & Scripta Clementis in Canonicis Scripturæ libris numeret. Restitue nobis διλήμματος tui cornua, quæ paucis verbis conuulsa vides. Verbum non scriptum cum scripto Verbo non pugnat, Quòd si tu docere poteris, Christi Ecclesiam vel minimum dogma non scriptum, Verbo scripto repugnans tradidisse, de nobis te triumphasse apud tuos iactitato. Verbũ non scriptum quid.

MINISTER. pag. 33. & 34.

Quod de Pauli traditionibus, & decretis profertur, planè repugnat non scripti illius Verbi decretis, perspicuè enim ait se id tradidisse quod accepit à Domino., quum de Sacra Cœna institutione loquutur. 1. ad Cor.10.17.

CATHOLICVS.

Nullam profers repugnantiam Minister, sed incredibilem tuam inscitiam prodis: Quis te sic argumentari docuit, *Apostolus ait se id tradidisse quod accepit à Domino, ergo quod de Pauli traditionibus & decretis profertur, planè repugnat non scripti illius Verbi decretis?* Si negaueris te sic esse argumentatum, quorsum orationis tuæ partes verbis illis, *Perspicuè enim ait*, copulare voluisti? Negare non poteris, quin Apostolus 1. Corint.11. & non 10. vt tu somnias, scri-

pserit

pserit se tradidisse Corinthiis, quod à Domino acceperat. Hanc autem Traditionem non ait fuisse mandatam litteris, neque se in vllius scripto legisse, verùm contrarium insinuat. Quare concludemus Corinthios sine Scripto, accepisse Eucharistiæ institutionem.

MINISTER. pag. 34.

Decreta illa, siue Traditiones de virginibus velandis in cœtibus Ecclesiasticis, & Hierosolymitana Synodi in qua Apostoli præfuerunt decreta de suffocato, haudquaquam obseruantur hodie in Ecclesia Romana.

CATHOLICVS.

Noli quæso, tibi eorum quæ in Ecclesia Romana fiunt cognitionem arrogare: in qua cùm Virgines velari negas, aut te rerum nostrarum imperitum ostendis, aut certè te falsitatis patrociniũ suscepisse profiteris. De velandis ergo Virginibus accipe Concilij Tridentini decretum. [a] *Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint.* [a] Et D. Ambros. ait illa Apostoli verba, [b] *Melius est nubere quàm vri.* ad non pollutam, & ad nondum velatam Virginem pertinere, *Quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro, & iam si voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Lutheri autem meretrix (vt de aliis nihil dicam) si vobis credimus, ancilla vitæ facta est, cùm ex Monasterio ad incestos Apostatæ complexus conuolauit. Si verò per *Decreta tua de Virginibus velandis* intelligis quod, scripsit Apostolus *1. Corint. 11. 5. Omnis mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum,* Ridiculus planè es, cùm hoc decretum litteris sit traditum, quod etiam ipsa (sine scriptis) natura satis per se docet. Denique vnum tantùm reperio de abstinendo à suffocato, Apostolorũ decretũ. Quare vbi illa tua plura Decreta protuleris, tibi facilè respondebitur. Est & hoc decretum nunc scriptum, vt mirum sit te illud hoc loco vsurpare, quasi à nobis pro Decreto non scripto habeatur: quod quidem in Ecclesia Romana non seruatur: quia diuino afflatu edocta intellexit Apostolos hoc fecisse, non vt perpetuò à Christianis seruaretur, sed tantùm propter conseruandam inter primos Christianos ex Iudæis & gentibus conuersos consociationem. Vos verò Caluiniani, qui omnia ad scriptum Verbum reuocatis, nullam prætendere potestis violati scripti Decreti excusationem, cùm nullo scripto Verbo facta sit vobis potestas, vt contra hoc Apostolorum Decretum, suffocatum comedere valeatis. Cùm rursus nobis rationem intelligendi, veterum de Traditionibus sententias suppeditas, Sectæ vestræ causam omninò euertis.

Conc. Tridẽt. sessio. 25. c. 18. Rom. Ecclesiæ de virg. velandis decretum.
Amb. ad virginẽ lapsam cap. 5.
b 1. *Cor.* 7. 9.
Act. 15. 29.

MINIS

MINISTER. pag. 34.

Quomodo Chrysostomi, Epiphanij, cæterorúmque veteris Ecclesiæ patrum de Traditionibus sententia intelligi debeat, Eusebius de illo doctrina genere loquens, è Polycarpi Apostolorum discipuli verbis notat, omnia nimirum cum Scripturis præclarè consensisse. i. vt totidem verbis ait, πάντα ταῖς γραφαῖς σύμφωνα γεγονέναι.

CATHOLICVS.

Vellem locum Eusebij notasses Minister, cùm tam diligenter tuã orationem Græcis Eusebij verbis te interpretari profitearis. Nullam ex Traditionibus, quas Ecclesia Romana obseruat inuenies, quæ nõ optimè cum Scripturis sacris consentiat. Traditiones itaque non scriptas, tuo iudicio, Chrysostomus, Epiphanius, cæterique veteris Ecclesiæ Patres probant. Cur ergo nobis vitio vertis, quòd easdem traditiones, defendendas suscepérimus? Quòd si *Eusebius notat quomodo Chrysostomi & Epiphanij de Traditionibus sententia intelligi debeat*, fuit sanè ætate, aut par, aut posterior Chrysostomo, & Epiphanio, quare & Arcadius (quo imperante hi vixerunt) antiquior fuit Constantino magno, cui Eusebius admodum familiaris fuit. Da in posterum melius operam Chronologiæ, ne tuam ἀναχρονισμὸν, sicut & aliàs sæpè, Lectores irrideant.

Traditiones cum Scripturis consentiunt.

Minister in chronologia turpiter fallitur.

MINISTER. pag. 34.

Neque verò aliter loquutos fuisse Patres, quàm vt Traditionum nomine, Apostolica decreta de ritibus disciplinæ Ecclesiæ, non verò noui cuiusdam Verbi non scripti, dogmata significarent, ex aliorum locorum comparatione apparet, in quibus Scripturarum dignitatem tantopere commendant.

CATHOLICVS.

Nouam argumentandi rationem in Christi Ecclesiam introducere conaris, Minister. *Patres Scripturarum dignitatem tantopere commendant, ergo Traditionum nomine non intelligunt dogmata Verbi non scripti, sed Apostolica decreta, de ritibus disciplinæ Ecclesiasticæ.* Vide præclarum vsum tuæ Analogiæ, (ex qua omnia quæ in Scripturis ardua, & difficilia sunt te posse intelligere, antea posuisti) cùm tam turpiter in re facili, ex eadẽm hallucineris. Si ratio ex commendatione Scripturæ petita, esset firma, concluderes neque decreta de ritibus disciplinæ Ecclesiasticæ, Traditionum nomine Patres intellexisse. Quid respondebis Diuo Basilio, qui dogmata non scripta in Ecclesia haberi, hac luculenta oratione confirmat? *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita: quædam rursus ex Apostolorum traditione, in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus, quorum vtraque parem vim habent ad pietatem.* Vbi tuas captiones dissoluero, certissimis Patrum testimoniis docebo, per Traditiones Ecclesiasticas, Veteres non tantùm decreta de Ecclesiasticæ disciplinæ ritibus, verùm etiam dogmata

Inepta Ministri argumentatio.

Basil. lib. de spiritu sancto cap. 27.

ad fidem ſpectantia intellexiſſe. Tertulliani demũ ſententiam affers, quæ cauſæ noſtræ magis, quàm tuæ patrocinatur.

CAPVT XL.

MINISTER. pag. 34.

Ministerr nō videtur legiſſe inſcriptionem libri quem citat.

* Legendũ, ſubiicientes.

* Diſciplinatu, deſideratur.

R*Ectè Tertullianus de præſcriptis Hæreticorum: ſolent dicere, inquit, non omnia Apoſtolos ſciſſe, eadem agitati dementia qua rurſus conuertunt, omnia quidem Apoſtolos ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe. In vtroque Chriſtum reprehenſioni iniicientes *, qui aut minus inſtructos, aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit: Quis enim integra mentis credere poteſt, aliquid eos ignoraſſe, quos magiſtros Dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in * conuictu quibus obſcura quæque ſeorſim ediſſerebat, illis dicens, Datum eſſe cognoſcere arcana.*

CATHOLICVS.

Miniſter imperfectam Tertull. ſententiã edit.

a Caluin. in Harm. ad 21. ca. Matth. §. 18. & ad 24. cap. eiuſdem §. 36.

Præteriiſti ſtudiò verba illa quibus Tertullianus ſententiam ſuam concludit, *quæ populo intelligere non liceret.* Dico Tertullianum his verbis pro nobis Catholicis, contra vos Caluinianos facere: Nam ſi agitabantur dementia, qui negarunt Apoſtolos omnia ſciſſe, quid de Caluino veſtro ſentiendum erit, qui Chriſto Domino inſcitiæ tenebras affingere non eſt veritus?[a] Tertullianus porrò ne ſemel quidem in hac oratione, quam tu nobis obiicis, Scripturas nominat. Cùm verò dicat *Apoſtolis datum eſſe cognoſcere arcana quæ populo intelligere non liceret*, veſtiam redarguit ἐχεφρόνων, qui nihil vultis in Chriſti Eccleſia eſſe arcanum. A Tertulliano ad Scripturas confugis ὕστερον πρότερον ἑρμηνεύων; ex quibus non tela modò, ſed etiam fulmina in nos iacere te exiſtimas.

MINISTER. pag. 35.

Omninò haud euincetis Traditiones illas non ſcriptas in Verbo Dei commendari: quin potius fulmina illa auribus veſtris obtonabunt, In vanum me colunt docentes ſecundum mandata hominum, & ad legem, & ad teſtimoniũ ſi non dixerint iuxta hoc Verbum, nihil habent lucis.

CATHOLICVS.

Nos tonitrua tua non timemus: nam quod à Maximino hæretico mutuò accepiſti, neque oratoriis, neque dialecticis lacertis in nos potuiſti vibrare; cùm nudam ſententiam propoſueris. Auctor eſt D. Auguſtinus, Maximinum Arianorum Epiſcopum in ipſo diſputationis cõgreſſu, eundem vſurpaſſe locum, quem tu nobis obiicis.

Auguſt. lib. 1. contra Maximinum.

Si quid (inquit Maximinus Auguſtino) *de diuinis Scripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt vt audiamus: hæ verò voces, quæ extra Scripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur. Præterea cùm ipſe Dominus moneat nos, & dicat, Sine cauſa colunt me, docentes mandata & præcepta hominum.* Tibi valdè arridet hoc Epiſcopi Ariani fulmen: vereór ne & doctrina Arianorum tibi nõ omninò diſpliceat. Sed mittamus iſta. Nõ exiſtimo te hoc Scripturę

teſtimonio

testimonio leges omnes ciuiles velle reiicere, cùm scias scriptum, *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti.* Quòd si diligenter, quæ cum illa (quam nobis obiicis) sententia sunt coniuncta perpendisses, facilè intellexisses Dominū, Iudæorum impietatem redarguere, qui cùm Dei mandata negligerent, omne studium vt hominum mandatis obtemperarent, ponebant. Scriptum enim reliquit Marcus Dominum Pharisæis & Scribis dixisse, *Relinquentes mandatum Dei tenetis traditiones hominum.* Vitio ergo illis Dominus vertit mandatorum Dei neglectionem: Ecclesia autem Christi, primas semper Dei mandatis tribuit. Probè enim nouit scriptum esse Deo potius quàm hominibus obtemperandum. Quòd si hominum mandata non repugnant diuinis præceptis, sed ad ea siue illustranda, siue conseruanda adiumento esse possunt, impius planè erit qui ea iudicauerit aspernanda. Nimis es Christi Ecclesiæ infensus, qui Scripturæ sententiam qua Dominus partim vanas, partim impias Pharisæorum διατηρήσεις refutauit, ad Ecclesiæ Traditiones ab Apostolis acceptas, improbandas arripuisti. Locum autem Isaiæ, ex quo alteram illam sententiam à te cum Domini verbis copulatam, desumpsisti (ne deprauatam à te Scripturam deprehenderemus) silentio voluisti præterire. Sic igitur Propheta: *Nunquid non populus à Deo requiret visionem pro viuis à mortuis? ad legem magis & ad testimonium, quòd si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Tibi visum fuit vertere dictionem Hebræam שחר schacar, quæ Auroram significat, *nihil habent lucis.* Sententia orationis Isaiæ hæc est: Si homines impij vobis persuadere voluerint, vt in rebus incertis eos de vitæ vestræ rationibus consulatis, qui magicarum artium disciplinis, hominibus imperitis illudunt, illorum impiam orationem detestamini, sic dicentes: *Nunquid non populus à Deo requiret visionē à viuis pro mortuis*, id est, num populus (qui in Dei tutela est) Deum in rebus afflictis non consulet? sed mortuos pro viuentium incolumitate venerabitur? *Ad legem magis & ad testimonium*, id est, hæc cura est nobis præcipua, vt legem illius, & testimonium consulamus. In lege autem scriptum est: *Nec inueniatur in te qui Ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat, nec diuinos & quærat à mortuis veritatem, omnia enim hæc abominatur Dominus.* Subiicit deinde Isaias quod nobis obiicis, *Quòd si non dixerint iuxta Verbum hoc non erit eis matutina lux*, id est, qui hac sententia *Ad legem magis & ad testimonium*, non repulerint importunitatem impiorum eis persuadentium, vt in rebus incertis eos consulant, quos dæmonis spiritus incitat, magnum dabunt suæ cæcitatis indiciū: in tenebris enim versantur, nec matutina lux illis exoritur, qui se tantæ impietatis societate contaminant. Animaduertisne, ὦ ζεῦ ὑψιβρεμέτα, fulmen

1. Pet. 2. 13.

Mar. ca. 7. 8.

Act. 5. 29.

Quas Traditiones Dominus improbarit.

Isa. 8. 19. 20.

Deut. 18. 10. 11. & 12.

tuum nobis nihil obesse? Vult Isaias importunitatem eorũ, qui persuadere nituntur Dæmonum inuocationem, oratione illa, *Nunquid non populus, &c.* esse reprimendam. Conclude ex hac Prophetæ oratione si potes, Traditiones non scriptas esse improbandas: Et si quis tibi persuadere conaretur Epistolam ad Hebræos non esse in canonicis libris numerandam, responderésne, *Nunquid non populus à Deo requiret?*

CAPVT XLI.

MINISTER. pag. 35.

Sempiterna erit oraculorum istorum autoritas, vt discatis supra id quod scriptum est, non sapere: & regula ἐθελοθρησκείας. i. voluntary cultus, qui primarius est fætus Verbi illius vestri non scripti. Mandata & Doctrinas hominum, habere quidem speciem sapientiæ, sed nullius esse pretij. Col. 3. 20.

CATHOLICVS.

Parum prudenter (ne quid grauius dicam) hanc nobis, Minister, Apostoli sententiam obiicis: Ait enim, *Hæc autem fratres transfigurauí in me, & Apollo propter vos, vt in nobis discatis ne supra quam scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio.* Vel vt Græcè legitur ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, id est, *vt in nobis discatis ne supra quod scriptum est sapere.* Nam tuus Caluinus impudentiam tuã coarguit, sententiam Apostoli sic exprimens. *Supra id quod scriptum est bifariam potest exponi, vel vt ad Pauli scripta, vel vt ad Scripturæ testimonia, quæ adduxit referatur: sed quia parum est in hac re momenti, liberum sit lectoribus eligere vtrum volent.* Ad præscriptũ tuæ Logices certa aliqua ratiocinatione conclude ex hac Pauli sententia Traditiones non scriptas esse reiiciendas: Quod si feceris, aut solis eius scriptis, aut solũ iis quæ adduxit Scripturæ testimoniis (si Caluini interpretationẽ probes) fides erit habẽda. Cæterũ cũ Caluini cõmenta nihil faciamus, adscribã loci huius ex Theophylacti commentariis explicationẽ. *Quæ dicta superius de Corinthiorũ dissensionibus sunt, & præcipuè qui cæteros iudicarent ideo protulimus, vt ex nostra persona figura, nil vltra quàm quod scriptum est sapere perdiscatis. Edisserit enim in hunc modum Scriptura, & superbiam interdicit. Qui prior esse inter vos mauult sit hic omnium vltimus, & qui se humilem reddit, exaltabitur, & alia eiusmodi multa.* Iam venio ad voluntarios cultus, quos tu irrides, Minister, Inter nos vocẽ ἐθελοθρησκείας superstitionem significare conuenit, nam Caluinus tuus ita Latinè reddidit, *Quæ speciem quidẽ habent in superstitione.* De eius etymologia non est cur digladiemur cùm præsertim Franciscus Turrianus Societatis nostræ Theologus, copiosè hac de re, contra Caluinum, Marloratum, & Magdeburgenses disputarit. Quòd *voluntarios cultus tanquam primarium non scripti Verbi fœtum* irrideas, tuo more facis,

1 Cor. 4. 6.

Cal. in ca. 4 prioris epist. ad Cor. §. 6.

Theophil. in c. 4. 1. Epistol. ad Corint.

Franc. Turrian li. 5. pro Epist. Pontificum cap. 7.

Cultus voluntarij ex

facis, qui quod tuo palato non ſapit, tanquam cum Scripturis pugnans, repudiandum iudicas. Si Dauidis Pſalmos (in quorum locum Marotti & Bezæ cantiunculas ſubſtituiſtis) diligenter non dicam didiciſſes, ſed lectitaſſes aliquando, non tam liberè voluntarios cultus reieciſſes, cùm in illis hæc tibi vel non quærenti occurriſſent, *voluntariè ſacrificabo tibi*. Sacrificium Dauidis, cultum fuiſſe, vt ſuſpicor, non inficiaberis. Non enim dixit, Sacrificabo νενομισμένως, ſiue ἐνθέσμως, ſiue κατὰ νόμον, id eſt, ſecundum præſcriptum Legis, ſed ἑκουσίως θύσω σοι. Volũtariè ſacrificabo tibi: & Hebraicè, בנדבה אזבחה לך Bindaua Ezbecha Lach. Diſce à Rabbinis veſtris ſignificationem vocis נדב Nadau, ac tum nobis obiice Verbi non ſcripti fœtus. Quòd ſi voluntarios omnes cultus Scriptura condemnarit, explica nobis quod à Moſe ſcriptum eſt. *Si voto vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiã eadem ſimiliter edetur die*. Et alio loco, *Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota ſoluens, vel ſpontè offerens tam de bobus quàm de ouibus immaculatum offeret, vt acceptabile ſit*. Corrige oro Moſen, quem audis præcipientem voluntariam victimam offerri, immaculatam, vt ſit *Deo acceptabilis*. In re perſpicua non eſt cur immorer. Qui liberum arbitrium omninò tollitis, quid mirum, ſi voluntarios etiã cultus aſpernamini? In verſu 20. cap. 3. ad Coloſ. non inuenies *Mandata & doctrinas hominum nullius eſſe pretij*. vt tu exiſtimas. Profer Scripturæ Verba, & tibi reſpondebimus. Conatis Catholicorum pro Traditionibus non ſcriptis argumenta diſſoluere breui reſponſione, quam Scripturæ teſtimonio non confirmas, quod nobis moueret admirationem, ſi inſtitutum tuum aliunde exploratum non haberemus.

Scriptura probatur.

Pſal. 53. 8.

Leuit. 7. 16.
Leuit. 22. 21.

MINISTER. pag. 35.

In ſumma, non eſt verum, Ieſuita, non ſcriptis illius Verbi traditiones in Scriptura commendari, quales vos conſtituiſtis. Eſt enim Elenchus Sophiſticus, quem ἄγνοιαν λέξεως vocant, è decipulis illis veſtris vna. Traditionis enim vocabulo in Apoſtolorum ſcriptis intelligitur, vel doctrinæ applicatio, & ὀρθοτομία, vel rituum & diſciplinæ conſtitutio.

CATHOLICVS.

Vereor ne te deceperint tua Dictionaria, vt cum tuis decipulis Priſciano (vt vulgò dicitur) colaphum inflixeris: ſed tecum agant Grammatici. Nam ἄγνοιαν λέξεως (quam nobis temerè obiicis) in te vel in ipſo tuæ reprehenſionis limine meritò retorquebunt. Si autem Traditionis nomine ipſam doctrinã in Scripturis intelligi docuero, manus dabis, ni fallor: Atq; vt à Caluino ordiar, cuius interpretationẽ nõ negabis, accipe quid nomine Traditionum, ſeu Inſtitutionum (vt ipſe loquitur) intelligat. *Tenete inſtitutiones. Quod nonnulli ad præcepta externæ politiæ reſtringunt, mihi nõ placet: modum enim ſtandi indicat, atque ad inflexibile robur inſtrui, res longè altior eſt externa diſciplina. Quare totam doctrinam (meo iudicio) hoc nomine complecti-*

Cal. in cap. 2. epiſtol. 2. ad Theſſal. 2. 15.
Cal per Traditiones do

ctrinam intelligit. tur, ac si diceret, *habere eos in quo firmi consistant, si vt erant ab eo instituti pergant in sana doctrina.* Et paucis interiectis. *Paulus capite proximo Traditionē ponet pro regula à se tradita, & ipsa Verbi significatio generalis est Contextus autem(vt dixi) postulat vt hic sumatur de tota doctrina in qua instituti fuerant.* Excogita nouam intelligentiam verborum Apostoli.[a] *State & tenete Traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* [b] Et *Denunciamus vobis vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secūdum Traditionem, quam acceperūt à nobis.* Caue ne his fulminibus tactus, in cineres conuertaris. Quæ Chrysostomus Homi. 4. in cap. 2. Epistolæ 2. ad Thess. scribit, tu (qui nunquam forte Chrysostomum legisti) ad Homil. 82. in Matthæum refers. Non grauabor autē Christiani nostri Periclis aurea verba (quibus Apostolum explicat) ascribere, quæ tu præclaro sanè cauillo eludere cogitasti. *Hinc*, inquit, *Patet quòd non omnia per Epistolam tradiderint, sed multa etiam sine literis, eadem verò fide digna sunt tam illa quàm ista, Itaque Traditionem quoque Ecclesiæ, fide dignam putamus, Traditio est, nihil quæras amplius, ostendit hic multos à Traditionibus istis fuisse dimotos.* Quam nunc audiuisti D. Chrysostomi sententiam, inuenies apud Athanasium eisdem propè verbis, vt scias D. Chrysostomum ita Apostolum interpretatum esse, vt antiquissimi Ecclesiæ Doctores ante ipsum fecerant. *Hinc sanè* (inquit Athanasius) *perspicuum est pleraque Paulum sine scriptis sermone duntaxat, hoc est viua voce, non Epistolis solùm his tradidisse. Non enim secus illa atque hæc fide sunt digna. Itaq; & Ecclesiæ Traditionē dignam existimamus, cui præstanda sit fides, vt si quid ab ea sit Traditum, nihil vltra perquiras. Ostendit præterea ex his dictis, permultos esse inter eos qui in fide labarent.* Confer has duas antiquissimorum Patrum inter se Verborum Apostoli explicationes, & Traditionum nomine etiam fidei dogmata vtrumque intellexisse deprehendes. Nihilominus adhuc Ecclesiæ veteris auctoritate, Traditiones non scriptas ex Ecclesiæ finibus exterminare conaris.

a 2. Thessal. 2. 15.
b 2. Thessal. 3. 6.

Minister in citando hallucinatur.

Chrys. hom. 4. in cap. 2. epistol. 2. ad Thess.

Traditiones ad fidei dogmata pertinent.

Athanas. in c. 2. epist. 2. ad Thessal.

CAPVT XLII.

MINISTER. pag. 36.

QVæ, & quatenus traditiones recipi, aut repudiari debeant, ex illius ipsius Ecclesiæ, cuius nomen & autoritatem prætexitis, sententia perspicuum est. Tertullianus de præscript. Hæretic. Ergo quæramus an & traditio non scripta recipi non debeat. Planè negamus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quæ sine vllius scripturæ instrumento solius traditionis titulo exinde vindicemus.

Minister Tertul. corruptè semper ferè citat.

CATHOLICVS.

In libro Tertul. de præscrip. aduersus Hæreticos hanc sententiam non

non inuenies, vt mirum sit te Antiquitatis cognitionem tibi vsurpare, qui veterum librorum inscriptiones ignoras: & ex Tertulliani Præscriptionibus satis superque multa, supra adduximus quæ vestra pro solo Verbo scripto portenta frangere valeant. Imò sententia (quam tu nescio ex quo Caluini libro transcripsisti) errorem eundē planè euertit. Audi quid dicat Tertullianus, & perpende an Coronā Militis in Hæreticorū Præscriptiones commutaris. *Quomodo*, inquit, *vsurpari quid potest si traditum prius non est? Etiam in Traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus an & Traditio non scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla praeiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius Scripturæ instrumento solius Traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus.* His verbis, Ecclesiæ Traditiones luculenter probat Auctor hic antiquissimus, *Consuetudinis patrocinio* munitas. Quæ sequuntur apud Tertullia. si legisses, nunquam eius testimonio contra nos fuisses abusus: Hoc ture tibi intristi, tibi exedendum est, Minister: Accipe ergo veteris Ecclesiæ, quas recenset testis hic (vt falsò putas) tuus, Traditiones non scriptas, hunc in modum orationem suam persequens: *Denique vt à baptismate ingrediar, aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit, Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus, exque ea die, lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus, Eucharistiæ sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus: Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare, eadem immunitate à Die Paschæ in Pentecosten vsque gaudemus. Calicis, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum, & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies: Traditio tibi prætendetur autrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.* A Tertulliano, si sapis, non petes in posterum contra Traditiones non scriptas, patrocinium: Quod si feceris, & alia ex eodem Auctore, quæ tuas ineptias conuincunt, proferemus. Ab hoc deinde ad Cyprianum venis qui causam vestram non minus sententiis suis iugulabit.

Tertull. lib. de Corona Militis.

Traditiones probantur consuetudinis patrocinio confirmatę.

Quædam Traditiones antiquę.

Signū crucis in frōte vsitatissim. Nota Minister.

MINISTER. pag. 36.

Cyprianus ad Demetriadem. Consuetudo sine Veritate, vetustas erroris est: quæ impedire non debet, quominus veritas præualeat & vincat.

vincat. Idem, si consuetudinem opponas, aduertendum est quod Dominus dicit, Ego sum via veritas & vita, non dicit: Ego sum consuetudo. Idem de Verbi illius vestri non scripti traditionibus, Verbi scripti autoritati contrariis. Adulterum est, impium est, quodcunque humano furore instituitur, vt dispositio diuina violetur.

CATHOLICVS.

Insignis Ministri in Patribus citandis vel inscitia, vel malitia.

Qua fide nobiscum agas, æquus iudicabit Lector: Ego certè in Cypriani operibus nullam inuenio ad Demetriadem Epistolam. Scio quidem eundem contra Demetrianum, Christiani nominis hostem, scripsisse: Cumque existimarem te, nominis cognatione falsum, *Demetriadem* pro *Demetriano* vsurpasse: Neque in eo quidem opere, quam tu tribuis B. Cypriano, sententiam inuenire potui. In Epistola verò ad Pompeium, (quam tu decurtatam, & partiũ perturbatione, aliam factam nobis obiicis) primam reperio orationẽ, quam eo, quo scripta est, modo restituam. *Nec consuetudo*, inquit, *quæ apud quosdam obrepserat, impedire debet quò minus veritas praualeat, & vincat: Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est, propter quod relicto errore sequamur veritatem, scientes quia & apud Esdram veritas vicit.* Quæ autem secundo loco à te eidem tribuitur sententia, in epistola illa *ad Pompeium non reperitur.* Verba fortaßis quæ præceptores tuos mouere potuerunt, vt S. Martyrem sic scripsisse existimarent, hæc sunt, *Benedictus Deus veritatis, quam veritatem nobis Christus ostendens in Euangelio suo dicit, Ego sum veritas.* Cùm Diuus Cyprianus Traditionem sibi à Stephano Romano Pontifice obiectam, sacris litteris aduersari crederet, rectè præ diuinis oraculis contemnendam esse dixit, prudenterque censuit nihil esse approbãdum diuinis Scripturis contrarium. Doce vllam in Christi Ecclesia vel minimam consuetudinem esse à Veritate seiunctam, & locum hunc contra nos facere non inficiabimur. Quam denique eidem sancto Patri sententiam tribuis, apud illum inuenire non potui, eam tamen vt veram approbamus. Hactenus tuis aduersus Traditiones obiectionibus cumulatißimè satisfeci: Nunc verò aliqua adiiciam quæ (si denuo congredi nobiscum volueris) tibi, vt puto, negotium facessent. Ac primùm qui doces solis Scripturis fidem esse habendam, hoc ipsum perspicuo aliquo Scripturæ testimonio tibi initio probandum fuit. Tu negas Ecclesiæ decretis esse standum quæ in Scripturis non exprimuntur, & tamen vestro huic commento de fide solis Scripturis habenda, quod in Scripturis non extat, qui repugnant, tuo iudicio, grauiter hallucinantur; Vbinam scriptum legisti hoc consilio cælestia oracula esse litteris consignata, vt quod scripto mandatum non esset tanquam à veritate Christiana alienum continuò reiiceretur? Volue Veterum monimenta, & quid sacros Scriptores mouerit, vt cælestem (quam diuinitus acceperant) doctrinam scripto posteritati relinquerent, nullo negotio disces.

Cyprian. in epist. ad Pompeium.

3. Esd. 3.

Ministri præter Scripturam soli Scripturæ credunt.

Certè

Caluin. in argumento in hist. euan.

Euseb. Cæsar. hist. Eccl. lib. 3. ca. 24.

Cur Apostoli pauca scripserint.

Certè Eusebius (quem tuus Caluinus contemnit) Apostolos in erudiendis populis occupatos, pauca scripsisse testatur, *Venerabiles*, inquiens, *& verè Deo digni Apostoli Christi, vniuerso orbi, regni calorum scientiam tradiderunt, paruiducentes plures libros condere quòd huiuscemodi prædicationis assertio non argumento humani sermonis, sed astipulatione diuinæ virtutis indigeat. Denique Paulus qui inter omnes Apostolos eruditior etiam in Verbis videtur, & in sensibus præpotens non amplius quàm paruum epistolarum suarum corpus reliquit*, Et paucis interiectis, quo consilio Matthæus, & Ioannes ad scribendum animum, appulerint sic explicat, *Matthæus primò Hebræis prædicauerat, verùm cùm pararet transire ad Gentes, patria lingua Scripturam composuit, & quæ prædicauerat comprehendens, dereliquit his ad memoriam à quibus proficiscebatur, vt Gētibus prædicaret.* Si vos Caluiniani existimatis D. Matthæū ex his quæ docuerat, scribēda delegisse omnia, quæ ad Christianū hominē informandū sufficere ducebat, confiteamini etiā necesse est aut quæ ille omisit minimè esse necessaria, aut magnā, sanctisimū Christi Apostolū ignominiam contraxisse, qui præclara suæ Genti, Christianæ religionis mysteria ab aliis Euangelistis litterarū monimētis prodita, inuiderit. De Ioāne verò cur Euangelium scripserit his verbis exponit: *Ioannem tradunt vsque ad vltimum penè vitæ suæ tēpꝰ absque vllius Scripturæ indiciis Euangelium prædicasse. Sed cū triū Euāgeliorū ad ipsum notitia peruenisset, probasse quidem dicitur fidem, & veritatem dictorum: deesse tamen vidit aliqua, & ea maximè, quæ primò prædicationis suæ tempore Dominus gesserat.* Audis Ioannem aliqua ex parte suppleuisse, quæ reliqui tres Euangelistæ silentio prætererant, quos nisi docendi munere negligenter functos esse existimes, tibi necessariò persuadebis, nunquam eos in animum induxisse suum, omnia quæ de Christo Domino sermone tradiderant literis mandare. Quòd si non vnum aliquem Scriptorē Ecclesiasticum, omnia Religionis nostræ mysteria scripto mandasse concesseris, quæ vniuersum noui Testamenti corpus complectitur, in nouos te indues laqueos: Nam saltem Ecclesiam Christi multis annis sine Verbo scripto viguisse non negabis, neque ante eam omnibus suis numeris fuisse perfectam (cùm sine scripto Verbo Ecclesiam consistere non posse iudices) quàm D. Ioannes Euangelium suum in lucem ederet. Atque vt singulorum in scribendo Euangelistarum institutum lōgiore oratione nō persequar, euolue vel vnius Pauli Epistolas, & disces quæ scripta sunt, esse tantùm Summas mysteriorum, quæ ille sermone anteà docuerat. Nam ad traditam sine scripto doctrinam, ipse Apostolus lectores frequenter remittit, quod ex sequentibus locis constare qui negauerit, in meridiana luce nihil omnino videbit. *Rogo vos fratres vt obseruetis eos qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt.* Si Verbi scripti doctrinam his verbis intelligendam existimas, cupimus vt

Matthæi Euangelium quando scriptum.

Ioan. tria Euangelia probat & suū adiicit.

Apostolus ad traditiones lectorem remittit.

Rom. 16. 17.

a 1.Cor.4.17. nobis hoc Verbum scriptum proferas.[a] *Misi ad vos Timotheum, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicut vbique in omni Ecclesia doceo.* Tuo iudicio dicendum fuit, *Sicut ad omnes*
b 1.Cor 7.17. *Ecclesias scribo.* [b]*Sicut in omnibus Ecclesiis doceo.* & ,[c] *Sine enim ego,*
c 1.Cor.15.11. *siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis.* Crediderunt ergo Corinthij Verbo non scripto, In illis etiam verbis quæ contra Traditiones facere putas, non scriptam doctrinã luculenter idem ita probat,
Galat.1.9. *Si quis vobis euãgelisauerit præter id quod accepistis, anathema sit.* De scripto Verbo summũ est vbiq; silentiũ. *Quæ & didicistis, & accepi-*
Philip.4.9. *stis & audistis & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscũ.* Redargue, si audes, Apostolum, qui nõ solã Scripturam, rerum agendarum facit normam, & regulam: Nec minus clarè vestram audaciam
1.Thess.4.1.2. reprimit scribens Thessalonicensibus, *Rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo: sic & ambuletis vt abundetis magis: Scitis enim quæ præcepta dederim vobis.* Profer hæc præcepta scripto consignata, quæ Apostolus Thessalonicensibus dederat. Ac ne te multis detineam, Timotheo in memoriam reuocat doctrinam sine scripto acceptã, dicens, *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fide-*
2.Tim.2.1.2. *libus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Si Paulus te cõsiliario fuisset vsus, eiusmodi præceptum Timotheo n[illegible] dedisset, sed omnia oracula cælestia literis tradita toti mundo lectitanda diuulgasset. Et quia præ vna Scriptura, Traditiones omnes contemnis, eamque omnia ad salutem necessaria perspicuè complecti arbitreris, Dic, amabo
Dilẽma quo Minister vtrinque capitur. te, an in necessariis ad salutem numeres, credere hanc (quam manibus passim Christiani terunt) esse illam sacram Scripturam, quam Apostoli Ecclesiæ tradiderunt? Si dubitas, omnia ergo, quæ in Scripturis continentur, tibi incerta erunt: Si verò id certissimum esse fidei fundamentum tibi persuades, vnde hanc, quam de his libris habes, persuasionem hausisti? Vbinam scriptum est certum esse aliquem sacrorum librorum numerum? Quòd si dicas te inscriptionibus, aut librorum initiis fidere, vt quia scriptum est, *Euangelium Iesu Christi secundum Ioannẽ*, aut, *Paulus Apostolus Iesu Christi*, in eadem semper hærebis salebra. Nam faciamus eodem modo inscribi quemuis profani Scriptoris librum, nunquid propterea aut Euangelium Ioannis
Caluin. in commment. c. 5. prioris ad Cor. § 9. & in c. 3. epist. ad Ephes. § 3. aut Pauli Epistola erit? Et cùm Caluinus scribat *Multas ex D. Pauli Epistolis excidisse*, faciamus apud vos inueniri alicuius Epistola (quæ multis seculis delituerat) αὐτόγραφον, quo indicio probabis ab Apostolo id esse conscriptum? Stylus certè te fallet, cùm non sit idem in omnibus Epistolis, quas Ecclesia ipsa recipit. Sed quia fortassis in erudito Mathematicorum puluere nondum certare didicisti, Minister, hęc nostra Positio ab acumine tuo irridebitur, aliter argumentum instituam: Multi olim Christianorum manibus terebantur libri, aut Apostolorum, aut Discipulorum Christi nomine editi, vt

Pastor

Pastor, siue Hermes, Pauli Acta, Epistola Barnabæ doctrina Apostolorum, Apocalypsis Petri, Euangelium secundum Hebræos, Petri, & Thomæ, & Matthiæ, Euangelia, Andreæ, & Ioannis, atque aliorum Apostolorum Actus, Si à te quærerem cur hos omnes libros reiicias, & eos quos Ecclesia in Canonem recepit, probes, tibi necessario erit confugiendum ad Ecclesiæ auctoritatem, (quam tu planè contemnis eam errare posse asserens.) Si enim vel in vno fidei dogmate errare possit, qui scies eam in Scripturis definiendis non errasse? Si dixeris, hos libros quos ex Eusebio recensui, iam non extare, ac propterea quæstionem meam locum non habere; Neque hac ratione te expedies. *Nam Protoeuangelium D. Iacobi, Nicodemi Euangelium. Hermæ Ecclesiam, Pastorem, & similitudines*, in Theologica Bibliotheca Basileæ per Henricum Petri anno Domini 1555. excusa, inuenies. Suscepta Responsionis meæ breuitas, inchoatam relinquere cogit disputationem, vt veteris Ecclesiæ (cuius cognitionem nullo iure tibi vsurpas) auctoritate, Traditiones non scriptas confirmem. In acie B. Dionysium D. Pauli discipulum collocabo, qui furorem vestrum contra Catholicam veritatem, sua diserta oratione reprimit. *Primi*, inquit, *illi nostri sacerdotalis muneris duces, in iis quæ nobis sunt familiaria, summa illa, & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis Institutionibus suis (iuxta quod sacræ definiunt leges) nobis tradiderunt.*

Euseb. libr. 3. hist. Eccl. c. 24. Non omnes (qui Apostolorum esse dicuntur) libros Ecclesia recipit.

Dion. Areop. Eccle. hierar. cap. 1.

CAPVT XLIII.

CATHOLICVS.

IRenæus sanctissimus Christi martyr, Traditionum pondere Valentinum, Marcionem, Cerinthum, cæterosque Hæreticos vehementer premit, Traditionibus docens fidem esse habendam, iis potissimum quas Romana, maxima & antiquissima, cæteræque Ecclesiæ ab Apostolis constitutę religiosè conseruarunt. Tanti Auctoris verba fideliter referam: *Traditionem itaque Apostolorum*, inquit ille, *in toto mundo manifestatam, in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui verba velint audire, & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim & latenter ab reliquis, perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valde enim perfectos & irreprehensibiles, in omnibus eos volebant esse, quos & successores relinquebāt, suum ipsorum locum magisterij tradentes, quibus emendatè agentibus fieret magna vtilitas, lapsis autem summa calamitas. Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine, omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximè & antiquissimæ & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annunciatam*

Irenæus aduersus hæreses Valentini, & similium, lib. 3. cap. 3. Apostolorum Traditiones, & successiones, debellationes Hæreticorum argumenta.

Eccl. Romanæ fides,

& traditio Hęretis os confundunt.

hominibus fidem per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ ab Apostolis est Traditio. Recenset postea ordine Episcopos Romanos, ad Eleutherium, qui suo tempore Christi Ecclesiæ præfuit, ac continuò subiicit: *Hac ordinatione, & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia Traditio, & veritatis præconizatio peruenit vsque ad nos: & est plenissima hæc ostensio, vnam & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis vsque nunc sit conseruata, & tradita in veritate.* Et quia Irenæi contra nos abusus es testimonio, aliam eiusdem sententiam adiiciam, quæ inanem tuam loquacitatem silere coget. *Tanta*, inquit, *ostensiones cùm sint hæc, Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi in depositorium diues, plenissimè in ea contulerint omnia, quæ sint veritatis, vti omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ, hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt & latrones, propter quod oportet deuitare quidem illos. Quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis Traditionē. Quid enim & si quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum & re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Christum credunt sine charactere, vel atramento, scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes.* Et postquam recensuit aliquot fidei dogmata quæ barbaræ Gentes sine scripto retinent, subiicit, *Hanc fidem, qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt, quantum autem ad sententiam, & consuetudinem, & conuersationem propter fidem perquàm sapientissimi sunt, & placent Deo, conuersantes in omni iustitia, & castitate & sapientia, quibus si aliquis annuntiauerit ea, quæ ab Hæreticis adinuenta sunt proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longe longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum Traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcunque eorum portentiloquiū est.* Quid respondebis Caluini Minister, huic tam disertæ Irenæi Christi martyris sententiæ, qui Polycarpum Apostolorum discipulum vidit? Clemens Alexandrinus antiquissimus item Auctor, testatur

Ad Rom. Ecclesiam vt omniū præcipuam, aliæ omnes debent conuenire.

Irenæus lib. 3. aduersus Hæreses Valentini & similium cap. 4.

Ab Ecclesia vt promptuario ditissimo veritas peti debet.

Pro dirimendis controuersiis recurrendum est ad Ecclesias antiquissimas, & Traditiones.

Multi sine Scripturis Deo placebant.

Barbaræ nationes Christianæ Hęreticos fugiūt.

Clemēs Alex. lib. 1. stromatum.

ftatur fe ad fcribendum animum adiunxiffe, non oftentandi ingenij gratia, fed ad obliuionis remedinm. *Non eft*, inquit, *hoc opus, Scriptura artificiosè comparata ad oftentationem, fed mihi ad fenectutem reconduntur monimenta, obliuionis medicamentũ, verè imago & adumbratio euidentium, & animatarum illarum orationum, quas dignus habitus fum qui audirem, & virorum beatorum, quique reuera erant maximi pretij, & aftimationis.* Et paucis interiectis. *Qui veram beata doctrina feruabant Traditionem, ftatim à Petro, & Iacobo, & Ioanne, & Paulo, Sanctis Apoftolis, ad nos quoque Deo volente peruenerunt, illa à maioribus data, & Apoftolica daturi femina.* Si omnia fuiffent litteris facris comprehenfa, quæ ad Chriftianorum hominum animos fide, & pietate informandos momentum aliquod habuiffent, inanem fufcepiffet Clemens laborem, in commendandis denuò quę à viris fanctifsimis acceperat, litterarum monimentis. Lege quæ apud Eufebium, Ignatius Apoftolorum difcipulus (qui Chriftum Dominum vidit) de Apoftolorum Traditionibus fcripferit; ac inuenies eas ad hærefes comprimendas in primis effe accommodatas. Scribit prætetea idem Eufebius Irenæum, Florini impietatem Ecclefiæ communi confenfu compefcuiffe, hæc eius verba referens, *Hac dogmata, Florine, qua afferis, confidenter dico, quia non funt fana fententia, hac dogmata non funt confona Ecclefiaftica fidei: hac dogmata, ne illi quidem, qui de Ecclefia pulfi funt Haretici, potuerunt aliquando commentari: hac dogmata fancti illi presbyteri, qui ante nos fuerunt, nunquam protulere, illi qui & Apoftolos viderant, quos & tu nofti.* Ac ipfe Eufebius quid de Traditionibus fenferit, fi intelligere cupis, lege quam adfcribo fententiam. *Caterum Mofes in tabulis inanimatis, Chriftus autem in mentibus vita preditis, perfecta noui Teftamenti documenta defcripfit, eius verò difcipuli ad Magiftri fui nutum auribus multorum, doctrinam fuam commodantes, quacunque quidem veluti vltra habitum progrefsis, à perfecto ipforum magiftro precepta fuerant, ea iis qui capere poterant, tradiderunt, quacunque verò iis conuenire arbitrabantur qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisq́ indigentes, ea ipfi ad imbecillitatem multorum fe demittentes, partim literis, partim fine literis quafi iure quodam non fcripto, feruanda commodarunt.* Epiphanij fententiam quam tu in *pana.40.* reperiri fcribis pag. 32. libelli tui prætermittere nolui, vt mutilam à te nefcio vnde defcriptam, omnibus fuis numeris perfectam Chriftiano Lectori legendam proponerem. Quid velis cum tuo pana.40. non intelligo: Certè Epiphanij fententia contra hærefes libro 2. Tomo 1. contra hærefim 61. quæ fuit Apoftolicorum, habetur. Vniuerfum autẽ Panarium in libros tres diuiditur. Si Arithmeticam aliquando deguftafti, explica nobis myfterium illius numeri tui 40. Verba Epiphanij funt, *Oportet & Traditione vti, non enim omnia à diuina Scriptura accipi poffunt, quapropter aliqua in Scriptu-*

Cur Clemens fcripferit.

Apoftolorũ Traditio ad fucceffores peruenit.

Eufeb. Cefar. lib. 3. hift. Ecclef. c. 36. Idem Eufeb. lib. 5. hift. Ecclef. cap. 20.

Ex Irenai epiftola ad Florinum.

Eufeb lib. 1. de demõftrat. Euang. ca. 8

Minifter vt folet Patres malè citat.

Epiphan. contra Haref. 61.

ris, *aliqua in Traditione sancti Apostoli tradiderunt*. Hîc tibi visum fuit finire Epiphanij sententiam, quo consilio, æquo Lectori diiudicandum relinquo. Subiicit ergo, *Quemadmodum dicit sanctus Apostolus* [a] *sicut tradidi vobis, & alibi,* [b] *Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesiis, & si continetis nisi frustra credidistis. Tradiderunt itaque sancti Dei Apostoli peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias conuerti.* Audis Caluini Minister, Traditionem Apostolicam, quam vos Caluiniani, seruandam negatis. D. Hieronymus quem tuarum ineptiarum patronum adoptas, Traditionum non scriptarum auctoritatem tuetur, & defendit, his verbis, *Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret: Nam & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesiis obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt.* Et ne in Patrum testimoniis inculcandis Lectori molestus esse videar, vbi adscripsero vnam, aut alteram B. Augustini sententiam, indicabo quibus in locis grauissimi Auctores Traditiones non scriptas probarint. Audi ergo breuem (cui nunquam respondebis) pro Traditionibus, tam illustris Ecclesiæ Catholicæ Doctoris orationem. *Quòd nos admonet* (Cyprianus) *vt ad fontem recurramus, id est ad Apostolicam Traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est, & sine dubitatione faciendum.* Audi & aliam, longiorem quidem, quæ tamen vestrā de solis Scripturis recipiendis opinionem luculenter refutat, *Dices illam narrationem non esse Matthæi, quam Matthæi esse dicit vniuersa Ecclesia ab Apostolicis Sedibus vsque ad præsentes Episcopos certa successione perducta. Tu mihi quid contra lecturus est aliquem fortè librum Manichæi, vbi Iesus negatur esse natus ex virgine. Sicut ergo ego credo illum librum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus viuebat in carne, per Discipulos eius certa successione Præpositorum vestrorum, ad vestra vsque tempora custoditus, atque perductus est: sic & istum librum crede esse Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum, Ecclesia certa connexionis successione, vsque ad tempora ista perduxit.* Si tibi displicet hæc D. Augustini sententia, expresso aliquo scripti Verbi testimonio, hunc librum esse Matthæi probato: quod si facere non potes, Noli tibi Scripturæ cognitionem arrogare, cùm rem in primis Christianæ Ecclesiæ necessariam, scripto Verbo confirmare nequeas. De Traditionibus non scriptis, lege (si veritatis cognoscendæ studio teneris) B. Dionys. de Eccles. Hierarchia cap. 7. Tertul. In exhort. ad Castitatem: Cyprianum de ablutione pedum: Cyrillū Hierosolym. Catechesi 5. Clemēt. Alexand. lib. 2. Stromatum: Epiphanium contra Aërium hæresi 75. Ambros. Epist. 83. Serm. 34. de Quadragesima, lib. 8. com. in 17. cap. Lucæ: D. August. Epist. 118. ad Ianuarium cap. 1. lib. 4. contra Donatistas cap. 24. lib. 2. cap. 7. lib. 5. cap. 23. Leonem Magnum sermone 2. de Ieiunio Pentecostes, & alios quos breuitatis causa prætereo.

a 1. Cor. 11. 2.
b 1. Cor. 15. 2.
Nubere post decretā virginitatē est peccatum.

Hieron in dialogo aduersus Luciferianos. Traditiones, scriptæ legis auctoritatem habent.

August. de Baptismo cōtra donatistas lib. 5. cap. 26
Ad traditionem recurrendum.
Idē August. Cōtra Faustū Manichæum. lib. 28. cap. 2.

Matthæi Euāgeliū per traditionem illius esse scimus.

Auctores veteres qui de Traditionibus scripserunt præter eos quorum sententiæ citatæ sunt antè.

tereo. Nouam deinde inſcriptionem facis, quo ad ſingula, quæ à nobis proponuntur te reſponſurum profiteris, eadem repetens quæ anteà toties inculcaſti: Ad tuam ſemper Analogiam confugis, eam acuto in primis argumento te probaſſe putans, dum ſic ſcribis:

CAPVT XLIIII.

MINISTER. pag. 37.

Si phanaticorum hominum Scripturis abutentium error depellendus fuerit, eandem illam rationem ſequetur Catholica Eccleſia, quam Chriſtus, & Apoſtoli in mendacij refutationibus obſeruarunt. Chriſtus certè Sathanam Scriptura abutentem, nō aliunde quàm ex eadem Scriptura refutauit. Apoſtoli, ex Prophetarum ſcriptis alienas doctrinas ſolent refellere, ſuámque doctrinam confirmare.

CATHOLICVS.

Eſto quod Chriſtus Dominus Sathanam Scripturæ teſtimonio confutârit, non tamen præcepit, vt ſolis Scripturis nos contra Hæreticorum furores tueremur. Aliud eſt autem Dominum feciſſe aliquid, & aliud præcepiſſe vt & alij idem facerent: Is enim à morte ad vitam aliquos reuocauit: Itaque ſi firmum eſſet tuum argumentum, deberetis & vos Miniſtri, idem facere. Quod quidem quàm malè Caluino veſtro ceſſerit cùm id ſemel tentaſſet lippis & tonſoribus notum eſt. Chriſtus etiam Iudæos orationis ſuauitate ad veritatem agnoſcendam voluit allicere, quos quidem obſtinato animo in errore perſiſtentes, admirandis quæ edidit in omnium conſpectu operibus, vt crederent admonuit dicens, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Aliunde præterea quàm ex Scripturis Iudæos conuincit Dominus, dicens.[a] *Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt?* Apoſtolos etiam aliis ex rebus quàm ex Scripturis argumenta duxiſſe, nemo qui Scripturas legit, inficiari poteſt. *Si Chriſtus* (inquit Paulus)[b] *non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra. Inuenimur autem & falſi teſtes Dei.* Doce Apoſtolum argumentandi rationem, qui omnia ad ſcriptum Verbum neceſſariò reuocas. Nobis rem gratam facies, ſi quæcunque in Epiſtolis Apoſtolorum ſcripta ſunt, atquè in Apocalypſi B. Ioannis, certiſſimis Scripturæ teſtimoniis ab iiſdem fuiſſe confirmata docueris. Suſcipe quæſo hunc laborem, Eccleſiæ Chriſti in primis ſalutarem, & factioni Caluinianæ honorificum. Apoſtolus qui de ſe ſcripſit, *Omnibus omnia factus ſum vt omnes facerem ſaluos*, non video qua ratione ſolius Scripturæ teſtimoniis Iudæos & Gentes refutârit, cùm Gentes Scripturis fidem non haberent. Quòd ſi Beza (vt Caluinus in Franciam Antarcticam Richerium) te ad Sinarum Regna mitteret

Matt. 9. 25. Marc. 5. 41. 42. Luc. 7. 14. 15. Ioan. 11. 43. 44.

Bolſech in vita Caluini cap. 13. Prateol. lib. 3. de vitis hæret. in dictione Caluinus.

Caluini miraculum.

Ioan. 10. 37. 38

Chriſtus præter ſcripturas aliis rationibus doctrinā ſuam probat.

a Luc. 11. 19.

Apoſtoli aliis ex rebus quàm ex ſcripturis argumenta ſumpſerunt.

b 1. Cor. 15. 14.

1. Cor. 9. 22.

teret (quibus adhuc non illuxit Euangelij splendor) nunquid Scripturarum testimoniis, cum barbaris illis Gentibus decertares, qui
a ad Tit.1.12. Deum mundi huius Architectum esse negant? Consule Epistolam ad
b Act.17.28. Titum, & dic nobis quorsum Epimenidem testem adduxerit [a] Apo-
c 1.Cor.15.33. stolus? Refer etiam cur ipse apud Athenienses Arati, [b] in re grauissima, testimonio vsus sit? Expone denique cur Menandri versum, ad Corinthios [c] scribens idem vsurpârit?

MINISTER. pag.37.

Ita enim statuimus, in vera commodáq; Verbi interpretatione, siue fidei doctrina agatur, siue ex fidei Analogia, loci cuiusdam obscuri explicatio depromenda sit, sequendam esse eam regulam quam Spiritussanctus perscripsit, vt spiritualia cum iis quæ spiritualia sunt, & spiritualiter quidem comparentur. 1. Cor. 2. 13.

CATHOLICVS.

Nimium tibi arrogas, Minister, cùm non contentus his D. Pauli verbis *spiritualibus spiritualia comparantes*, diuersis characteribus ea quæ non sunt apud Apostolum, tanquam essent ipsius verba, notare voluisti. (Minister addit Scripturæ.) Ieiunus vero nimis es Decretorum Architectus, qui omnem interpretandi Scripturas rationem, ad Analogiæ tuæ angustias reuocas. Nam quamuis spiritualia cum spiritualibus Doctor Gentium compararit, hoc tamen non præcepit omnibus in rebus semper esse faciendum. Quinimò nunquam probabis eum semper ex hac tua Analogia obscuros Scripturæ locos explicauisse. Silentio præterire non possum, quàm rectè tibi cum Magistro tuo Caluino conueniat, qui non tantùm Scripturas auges, sed ab eius sententia desciscere voluisti. (Minister à Caluino dissentit. Caluin. in ca. 2. epist. 1. ad Cor. §. 13.) Primùm enim ille contendit legendum esse, *Spiritualibus spiritualia coaptantes*, & non *comparantes*: Deinde longè alium Apostoli fuisse sensum, quàm tu existimas, his verbis docet. *Dicit ergo Apostolus, sese aptare spiritualia spiritualibus, dum Verba Dei accommodat, hoc est, calestem illam Spiritus sapientiam temperat oratione simplici, & qua natiuam Spiritus energiam pra se ferat.* Accusa iam Caluinum, si audes, qui sua interpretatione ad Analogiam tuam, hunc locum, vt tu facis, non refert. Certè Anselmus, grauissimus auctor, longè aliter, quàm tu hæc verba interpretatur. (Ansel. in c. 2. epist. 1. ad Cor.) *Comparantes spiritualia verba, spiritualibus viris, id est, ita moderantes ea quæ dicimus, vt conueniant capacitati singulorum, quia pro varietate sensus auditorum, distinguimus ea quæ loquimur, & comparamus intellectui vniuscuiusque, attendentes quid cui dicamus.* Conuince si potes Anselmum ex Decreti tui præscripto, vt aliquis Analogiæ tuæ vsus existat. Scio equidem Chrysost. Euthymium, & Theophylactum, aliam huius loci expositionem afferre quæ nihil cótra nos facit, cùm non negemus, quin ex Analogia sit petenda nonnunquam loci alicuius difficilis explicatio: Sed quòd omnes Scripturæ obscuritates vna Analogiæ regula tolli possint, nunquam probabis. Dauidis postmodum testimonio,

monio Traditiones non ſcriptas niteris improbare.

MINISTER. pag. 37.

Conſtanter affirmamus, eam eſſe lucem Verbi Dei, vt ſicuti ex eo ſolo ſapere nos oportet, ita ex eo ipſo tota ſuiipſius cognitio ſit haurienda, non vero peregrinæ cognitionis cuiuſdam facibus illuſtranda. Verè enim Propheta, lucem illam & lucernam pedibus ſuis, id eſt, vniuerſæ vitæ ducem atque auſpicem eſſe ait.

CATHOLICVS.

Vt intelligātur Scripturæ ſactæ, & linguarū & Philoſophiæ omnis cognitio, eſt maximè vtilis. Lege lib. 3. D. Auguſtini de Doctrina Chriſtiana, & intelliges grauiter à vobis erratum eſſe, qui Idiotas quoſuis ad ſacras litteras populo explicandas admittitis. Qua de re videtur conqueri B. Hieronymus, *Sola* (inquiens) *Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant, hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequàm diſcant.* A Dauide poſtea dictum fatemur, *Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Nihil hinc tamen contra Traditiones non ſcriptas concludes, quas Dei Verbum eſſe conſtanter affirmauimus, & ſuprà Scripturæ teſtimoniis probauimus. Si verò tibi placet editio 70. Interpretum pro voce *Verbum*, legendū erit *Lex*, *λύχνος τοῖς ποσί μου ὁ νόμος σου*, *Lucerna pedibus meis Lex tua.* De lege Moſaica locutum eſſe Prophetam Græci Interpretes docent. Quare ſi oratio tua pondus aliquod haberet contra Traditiones non ſcriptas: & legem Euangelicam, non eſſe lucernam pedibus noſtris concluderet. Nos quidem concedimus vera eſſe quæ Dauid de lege Moſaica ſcripſit: At cùm non dixerit ſolam legem Moſaicam eſſe lucernam pedibus, planè es ineptus, qui quod Propheta legi Moſaicæ tribuit, in Verbum non ſcriptum conuenire non poſſe exiſtimas. Accipe quam tradidit Euthymius orationis Propheticæ explicationem. *Sciendum eſt quòd lex Moſaica iuxta literam intellecta, lucerna iis eſt, qui per illam virtutum ſemitam incedunt qua ad actiones pertinet, ſpiritualiter verò intellecta, lucerna illis eſt, qui ad contemplationis callem feruntur per Deum.*

Hieronym. in Epiſt. ad Paulinum.
Scripturæ nō debent ab omnibus explicari.
Pſal. 118. 104.

Euthymius in Pſal. 118.
Miniſter quæ nihil ad rem faciunt, adfert.

Probas demum *nihil diſſentaneum, aut abſurdum vnquam vſpiam in tota Scriptura inueniri poſſe*: quaſi verò hac de re vlla eſſet inter eos, qui Chriſtianam religionem colunt, diſſenſio. Voluiſti augere librum tuum vt video, verbis nihil ad præſentem diſputationem pertinentibus. Cæterum, *Scripturam habere infallibilem doctrinæ ſuæ demonſtrationem*, appoſitè teſtimonio Apoſtoli te confirmaſſe putas.

Pag. 38.

CAPVT XLV.

MINISTER. pag. 38.

Qvam Scripturæ ſanctæ demonſtrationem, magnus ille & verus demonſtrator Paulus luculenter deſcribit, Quæ etiam loquimur

non sermonibus quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus facta illa rerum spiritualium cum spiritualibus comparatione. 1. Corinth. 2. 13.

CATHOLICVS.

Si à vulgatæ editionis verbis abhorres, cur non versionem Caluini sequutus es? Tua paraphrasi Lectorem vis fortè fallere. Certè communis versio melius (quod sine pace tua dictum velim) Græca D. Pauli verba exprimit, quàm tu ea paraphrasi tua potueris assequi. ἃ καὶ λαλοῦμεν οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου. Quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritussancti. Miror verò te, qui hic Analogiam prædicas διδακτὸν, quos docet reddidisse, cùm si Analogiam tuam consideres, doctum reddere debuisses. Θήσω (inquit Isa. 54. 13.) πάντας τοὺς υἱούς σου διδακτοὺς θεοῦ: Ponam vniuersos filios tuos doctos à Deo. Ad quem Prophetæ locum Christus Dominus respiciés

Ioan. 6. 45. ἔσονται πάντες διδακτοὶ θεοῦ. *Et erunt omnes docibiles Dei*, vel à Deo docti. Sed heus tu, Quam quæso demonstrationem, si ex Logicorum præceptis loquaris, in tota Scriptura sacra reperies? Tu certè à sacræ Theologiæ ianua aberras, dum sacræ doctrinæ, quæ nullæ ei propriæ sunt, demonstrationes assignas. Magnus verò, vt tu loqueris, demon-

1. Cor. 2. 2. strator ille nihil arbitratus est se scire præter Iesum Christum, & eum crucifixum. Cuius quidem orationes fuerunt, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis* ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως.

Ibid. 4. Ab Apostolo ad Augustinum orationem transfers tuam.

MINISTER. pag. 38.

Sic enim (vt ait August.) Scripturas temperauit Spiritussanctus, vt quod alicubi obscurius dictum est, clarius alibi explicetur.

CATHOLICVS.

Timuisti ne si locum præstantissimi Ecclesiæ Doctoris indicasses, aliquid deprehenderemus, quod tuæ doctrinæ non esset consentaneum: Verùm ipsa eius verba proferam, vt quod tu silere voluisti, omnibus sit perspicuum. Postquam ergo Scripturas optima ratione obscuras & difficiles esse ad intelligendum docuisset, concludit.

August. lib. 2. de doctrina Christ. cap. 6. *Magnificè igitur & salubriter Spiritussanctus ita Scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Hanc sententiam de iis mysteriis intelligendam, quæ credere hominem necesse est, docet idem Auctor ad Volusianum his verbis: *Tanta est Christianarum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: non quòd ad ea quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate: sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectéque non ve*

Cur scripturæ partim faciles, partim sunt difficiles.

August. epist. 3.

Sacrarum litterarum profunditas.

non viuitur, tam multa, támque multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantáque non solùm in verbis quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus quæ intelligenda sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimisq; cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet, cùm consummauerit homo tunc incipiet, Si quæ tu præcipis de tua Analogia vera essent, orationem hanc D. Augustini inanem esse conuincerent, vt & illam qua, *In Scripturis sanctis multò se nescire plura, quàm scire profitetur.* Verùm quamuis tibi concederemus nihil obscurum esse in vno Scripturæ loco, quod in alio non sit apertius & explicatius, nulla tamen ratione concludes certum, obscuri alicuius loci eum esse sensum, quem aliis apertioribus verbis Scriptura alibi declarat: Nam alioqui nihil iam in Scripturis esset tam recōditum, quod Maiorum nostrorum industria, multis abhinc seculis non diuulgasset. Irenæus etiam sanctissimus Christi martyr, docet aliquot exemplis & rationibus, multa esse in Scripturis sanctis abstrusa, ad quæ humana intelligentia non potest penetrare, sed quæ soli diuinæ cognitioni committenda sunt. *Si,* inquit, *& in rebus creaturæ quædam quidem eorum adiacent Deo, quædam autem & in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum quæ in Scripturis requiruntur, vniuersis Scripturis spiritualibus existentibus quædam quidem absoluamus secundum gratiam Dei: quædam autem commendemus Deo, & non solùm in hoc seculo, sed & in futuro, vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quæ sunt à Deo?*

Eccles. 18. 6.

August. epist. 119.

Iren. lib. 2. aduersus hæreses cap. 47.

Quare quædam in sacris litteris sint recondita.

MINISTER. pag. 38.

ILlud ipsum (Verbum) quod fides nostra firmamentum est, eiusdem est experimentum, quemadmodum de Beroensibus refert Lucas Act. 16. 9. Qui auditam ex Paulo doctrinam, cum Prophetarum scriptis contulerunt, vt viderent an hæc ita se haberent.

CATHOLICVS.

Act. 16. Ne semel quidem Beroenses nominantur, & tamen tu audacter non modò caput, sed & versum proferre voluisti. *Hi autem,* inquit Lucas, *erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt Verbum cum omni auiditate: quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.* Quid hîc locus ad rem facit Minister? Num ideo de Apostoli doctrina hi viri nobiles sibi iudicandi potestatem arrogarunt: quia scrutati sunt Scripturas? Quæstio hæc vehementer torsit Caluinum præceptorem tuum, qui vt se expediret, ad occultos Spiritussancti afflatus confugit. *Non,* inquiens, *sic debent accipi Lucæ verba, quasi iudicium sibi sumpserint Thessalonicenses, vel disputauerint, an recipienda esset Dei veritas.* (Neque Turcæ disputabunt, an veritas Dei sit recipienda) *tantùm Pauli doctrinã exigebant ad Scripturæ amussim, non secus atque aurum igne probatur. Scriptura enim verè Lydius est lapis, ad quem examinanda sunt*

Act. 17. 11.

Caluin. in comm. in 17. c. Act. §. 11.

omnes doctrina. Tu tamen sentis aurum auro esse explorandum. Certè qui aurum igni, aut herculeo lapide probat, de auri puritate & bonitate dubitat. Exempla ergo hæc Caluini, si præsenti quæstioni essent accommodata, nobiles hos de Apostoli doctrina dubitasse concluderent. *Si quis excipiat hoc genus examinis fore ambiguum, cùm sæpe obscura sit Scriptura, & in varios sensus flectatur, dico simul adhibendum esse indicium spiritus, qui non abs re vocatur spiritus discretionis.* O Caluinum miserum, cui non contigit Discipuli certissimam Analogiæ nosse Regulam, quæ omnes Scripturę obscuritates illustrat, difficultatésque tollit! At Caluini Spiritus cùm Lutherani hominis Spiritu omninò pugnat, vter ergo erit *spiritus discretionis*? In errore suo pergit ἀρχιπειρατὴς ille vester. *Cæterùm duce, ac directore spiritu non aliunde quàm ex Scripturis iudicium facient fideles de qualibet doctrina.* Præclarum sanè iudicium facit de Apostoli doctrina, quam non minus ad Scripturarum normam examinari vult, quàm si esset profani alicuius hominis commentum; Quod verò Thessalonicensibus de eiusdem doctrina facere licuit, nónne & Christianis omnibus idem licebit? Reuocentur ergo omnia quæ scripsit Apostolus, in dubium, vt singulare Caluini dogma tueamur. Stet, ait, fixum axioma, *Nullam doctrinam fide esse dignam, nisi quam in Scripturis fundatam esse deprehendimus:* Vt ergo doctrinæ Pauli credamus, eius fundamenta in Scripturis deberet nobis esse perspecta, quæ si nos latuerint, & doctrinam ipsam tanquam Scripturæ minimè consentaneam, aspernabimur. In quibus Scripturis fuit doctrina Mosis fundata? Quasi minor haberi debeat Paulo docenti fides, quàm eidem scribenti. Certè si hoc Caluini dogma verum esset, omnem Christianam fidem euerteret funditus: nō enim cunctis datum est Scripturarum latebras perscrutari. Verborū porrò D. Lucæ sententiam ex Euthymio ascribam, ne existimes doctrinam Apostoli à Christianis in dubium vocatam esse. *Hi,* inquit, *nō tanquam increduli indagabant, siue scrutabantur Scripturas (iam enim crediderant) sed tanquam expertes Traditionis veterum Prophetarū, & propterea fide robustiores effecti sunt, cùm scrutarentur Scripturas, ac inuenirent veterum sermonibus consona esse opera dispensationis Domini in carne.* Scrutari hoc modo Scripturas, non est de Apostoli doctrina dubitare: nam & Ecclesiæ Catholicæ Doctores diligenter, qua ratione Euangelij doctrina, cum Prophetarum scriptis consentiat, in dies inquirunt, nec tamen propterea doctrinam Euangelicam in dubium vocant, imò quamuis multa inueniant in Euangelio quæ non satis sciant, quibus Prophetarum oraculis prædicta fuerint, non propterea de fidei suæ firmitate, vel tantulùm remittunt. Et quamuis tibi darem, Nobiles hos, antè fidei Christianæ mysteriis noluisse assentiri, quàm eorum veritas Prophetarum vaticiniis fuisset confirmata, non tamen vllo scripti

Spiritus Hæreticorum contrarij.

Euthym. in cap. 17. Act. Apost.

Verbi

Verbi testimonio concludes hoc iis licere, qui Christo iam nomina dederunt.

CAPVT XLVI.

MINISTER. pag. 38.

SI cum veritatis hostibus dimicandum est, non efficacior machina adhiberi potest ad mendacium expugnandum, tuendamq́ veritatem, quàm ipsum Verbum. Certè non alio telo Nicena Synodus Arium, Constantinopolitana Macedonium, Ephesina Nestorium, Chalcedonensis Eutychen, Augustinus Donatum, & Pelagium iugulauit.

Ministri *κακολογία.*

CATHOLICVS.

Inania tua Commenta prodis, Minister, quæ si ad Doctorum hominum manus peruenerint garrulum te φλύαρον arbitrabuntur. Quàm malè autem vobis (qui soli scripto Verbo vos adhęrere profitemini) cesserint susceptæ cum Anabaptistis & Trinitariis disputationes, libri vestri vniuerso mundo testantur, nam eorum captionibus conuicti, ad Ecclesiæ auctoritatem (quam vos alioqui contemnitis) confugistis, & in ea sola omne doctrinæ vestræ præsidium collocastis. Quòd verò solius scripti Verbi telo Concilia illa à te commemorata, Hæreticos confoderint, probare non poteris. Audi Eusebium Cæsariensem, qui Concilio Niceno interfuit, causam reddentem cur eidem Concilio contra Arium consenserit. *Prædicandum est,* inquit, *esse consubstantialem Patri Filium, eo quòd nullam æqualitatem ad creaturas factas Dei Filius habeat, sed soli Patri genitori per omnem modum sit similis, & non sit ex alia qualibet substantia vel essentia, sed ex Patris. Quod etiam ipsum hoc modo interpretatum bene se habere visum est ad consentiendum, quoniam & priscorum Episcopos aliquos conscriptores eloquentes & nobiles agnouimus, in Patris & Filij Theologia (id est diuina ratiocinatione) nomine Consubstantialis vsos.* Et Athanasius (quem Caluinus tuus Synodo Nicenę falsò præsedisse scribit) *Qui in Nicena,* inquit, *Synodo conuenerant, cùm hanc haberent mentem, tales etiam dictiones scripserunt. Cæterum quòd non ex seipsis fingentes has commenti sunt, sed ex maioribus qui ipsos præcesserant traditas pronunciauerunt, age & hoc differamus ne vel hæc illis causatio relinquatur.* Et postquam concilium Nicenum cum Patribus nascentis Ecclesiæ consensisse docuit, concludit, *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc sententiam demonstrauimus. Vos autem ô noui Iudæi, & Caiphæ discipuli, quos tandem nominum vestrorum potestis ostendere progenitores, sed neminem prudentium ac sapientium dicere poteritis: omnes enim vos auersantur præter vnum Diabolum, Si quidem hic solus vobis istius defectionis Pater fuit, qui & initio in vos superseminauit istam impietatem, & nunc persuasit vobis vt conuitiis incessatis vniuersalem Synodum, quòd non vestra, sed hæc scripserint, quæ hi qui ab initio ipsi viderunt, & ministri*

Caluinistæ ad Ecclesiæ auctoritatẽ confugiunt. *Vide Hosium lib. 1. de Hæres. nost. temp. & in Censura de adoranda Trinit.*

Hist. tripartit. li. 2. c. 12. Euse. Cęsar Patrum auctoritate fultus, Arium damnauit.

Caluin. lib. 4. inst. c. 7. §. 1. *Athanas. in libello pro decretis Nicenæ Synodi.*

Patres Niceni Cõcil maiorum suorũ vestigia secuti sunt.

Diabolus Hæreticis persuasit vt cõsectarentur vniuersales Synodos conuitiis.

fuerunt Verbi tradiderunt. Quam enim Synodus scripto confessa est fidem, hæc est uniuersalis Ecclesiæ, hanc defendentes beati Patres sic scripserunt, & condemnarunt Arianam hæresim. Perpende diligenter præclaram hanc Athanasij orationem, & non modò commenti tui falsitatem, sed & Caluinianos mores, vestramque Ecclesiæ calumniandæ rationem deprehendes. Accipe & aliam eiusdem Patris sententiam in Epistola ad Afros, *Episcopi* (Catholici concilij Niceni, inquit) *non sibimet adinuenientes verba, sed habentes hæc à Patribus testimonia conscripserunt: veteres enim Sacerdotes ante eos penè centum triginta, magna Roma, ciuitatisq́ nostræ accusauerunt omnes, qui dicunt facturam aut creaturam esse filium, & non consubstantialem Patri, & hoc sciebat Eusebius Cæsariensis Episcopus, qui primùm defendebat Arianorum Sectam, nouissimè verò subscripsit Niceno Concilio: Scripsit autem & ciuibus suis, confirmans: quia & Antiquorum aliquos doctos, & illustres Episcopos, & conscriptores agnouisset nomine Consubstantialitatis vsos in Patris & Filij deitate.* Optimè cum his antiquissimis, & omni doctrinarum laude excellentissimis Doctoribus consentit Theodoretus grauissimus scriptor, de Nicena Synodo sic scribens: *Multis sibi benè, & rectè, nonnullis perperam sentientibus, obtinuit illa, quæ tunc per vniuersum Orbem vicerat, ac diuulgata fuerat fidei confessio.* Quod ad Constantinopolitanam Synodum attinet, disce prius quorsum habita fuerit, quàm de telo, quo dicis Macedonium iugulatum, sententiã feras: *Breues*, aiunt Concilij Patres, *præscripsimus ac pronunciauimus quosdam quasi terminos, regulasve, quibus & Patrum, qui Niceæ congregati fuerunt, fidem confirmauimus, comprobauimúsque, & quæ aduersus eam obortæ sunt, peruersas Hæreses, ac prauas opiniones, extrema cum execratione ac detestatione reprobauimus.* Nihil de tuo vnico telo audis, quo Macedonium fuisse iugulatum scribis, sed & concilij Decretum, quo hæreses condemnantur, adijciam. *Statuerunt ergo qui Constantinopoli conuenerũt sancti Patres, trecentorum decem & octo Patrum, qui Niceæ conuenerant fidem non abrogari, sed firmam, ac stabilem manere oportere, & omnem Hæresim anathematizari, & specialiter Eunomianorum, seu Eudoxianorum, & Semiarianorum, siue Spiritus sancti aduersariorũ, & Sabellianorum, & Marcellianorum, & Photinianorum, & Apollinaristarum.* Tuum vnicum telum, ne semel quidem in hoc Canone nominatur. Canonem quoque septimum (cùm, quæ in Scripturis expressè non sunt, complectatur) ascribere non grauabor, vt omnes intelligant Caluinianam Sectam sanctissimi huius Concilij auctoritati immeritò contradicere. *Eos qui rectæ fidei adiiciuntur, & parti eorum qui ex Hæreticis seruantur, recipimus secundum subiectam hîc consequentiam, & consuetudinem: Arianos quidem & Macedonianos, & Sabbatianos, & Nouatianos, qui dicunt seipsos Catharos, & Aristeros, hoc est mundos, vel sinistros & Tessaradecatitas, siue Tetraditas,*

Hist. tripartita lib. 2. c. 7. & Theod lib. 4. hist. Eccles. cap. 8.

Cõcil. Rom. contra Ariũ. Eufeb. subscribit Niceno Concil.

Theodoret. in Philotheo.

In epist. nuncupat. Cõcilij Constantinop. ad Theodosiũ magnum.

Can. 1. Cõcilij. Constantino.

Quomodo Hæretici recipiebantur

traditas, & Apollinaristas recipimus, dantes quidem libellos, & omnẽ hæresim anathematizantes, quæ non sentit, vt sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, & signatos siue vnctos, primùm sancto Chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos signantes dicimus signaculum doni Spiritus sancti &c. Audis Macedonianos ad Christi Ecclesiam secundum consuetudinem (quam vos Caluiniani irridetis) aggregari. Nemo in historiis versatus negabit Constantinopolitanam Synodum, propterea in primis fuisse habitam, vt firmaretur & explicaretur Niceni Concilij fides: Quare nõn solis Scripturis innixi Concilij illius Patres, Macedonianam hæresimre pressērunt. Ephesinam Synodum nunquam legisti, qui non alio quàm Scripti Verbi telo illam iugulasse Nestorij somnias: Vanitatem tuam non alio quàm ipsius testimonio refutabimus. *Sequentes itaque* (inquiunt Concilij Ephesini Patres) *omnium Sanctorum Patrum Confessiones, quas loquente in eis Sancto spiritu protulerunt, & intentioni quæ est in eorum intellectibus, æquis vestigiis inhærentes, atque iter ambulantes regiũ, profitemur &c.* In Cõcilio Chalcedonensi extat disputatio inter Theophilum, Mamamque Presbyteros, & Eutychetem, in qua quiuis cernere potest, hunc obfirmato animo dixisse, duas Christi naturas nusquam in Scripturis reperiri, illos verò communi Patrum sententia impium dogma refellisse: & quia obsignatis tabellis vis fortè vt tecum agam, Accipe quod in ipsis Concilij Chalcedonensis actis scriptum reperio. *Hæc eadem*, inquit Mamas, *& ego profiteor, quæ etiam reuerendissimus Presbyter Theophilus professus est: Nam nobis tacentibus, & minimè ei volentibus de vlla causa loqui, ipse certabat dicens de dogmate sicut sapiebat, & leniter reprehendimus eum: Dicebat enim, quia Deus verbum incarnatus, humanam naturam, quæ ceciderat, venit erigere. Statim respondens dixi, Qualem? Dixit iterum ille, quia humanam naturam. Dico ego: fige in memoriã, quia humanam naturam, & à qua natura hæc suscepta est? Dicebat quia ego à Sanctis Scripturis non didici de duabus Naturis: Dixi ego, quia neque de Homousion à sanctis Scripturis edocti sumus, sed à sanctis Patribus, qui Scripturas & piè intellexerunt, & exposuerunt fideliter, sic ergo accepimus & de Homousion, & de ex duabus naturis esse Christum filium Dei.* Disce Eutychetem vnico illo tuo telo hæresim suam tutari conatum. Dioscorus verò Alexandriæ Episcopus impij Eutychetis fautor & patronus, cùm videret suam prouocationem ad nudam Scripturam, nihili à Concilio fieri, impietatẽ suam Athanasij, Gregorij, Cyrillique testimonis persuadere est conatus. *Dioscorus Reuerendissimus Episcopus Alexandriæ dixit: Manifestè ideò damnatus est Flauianus, quoniam post adunationem duas dicit Naturas. Ego autem testimonia habeo Sanctorum Patrum, Athanasij, Gregorij, Cyrilli, in multis locis, quia non oportet dicere post adunationem duas Naturas, sed vnam Naturam Dei Verbi incarnatam: ego cum*

olim in Ecclesia.

Hist. tripart. lib. 9. cap. 12. Niceph. lib. 12. cap. 10.

De concilio Ephesino.

Concil Chalced. Act. 1.

Non omnia dogmata fidei extãt in Scripturis.

Concil. Chalced. act. 1.

Hæretici testimoniis Patrum vtuntur.

cum Patribus eiicior, ego defendo Patrum dogmata, non transgredior in aliquo, & horum testimonia non simpliciter, neque transitoriè, sed in libris habeo. Cæterum cùm Concilij Chalcedonensis Patres, probè intelligerent hanc impij Dioscori orationem esse mendacij & peruersitatis plenam, simul cum Eutychete eum damnarunt. Atque vt intelligas quantùm hoc Concilium, Patrum orthodoxorum decretis tribuerit, duas tibi proferam eiusdem sententias, quas tu nulla ratione peruertere poteris. *Sancta & magna hæc Synodus, quod antiquitus in fide prædicatur, immobile semper hoc dicens, ante omnia statuit, vt trecentorum decem & octo Patrum venerabilium fides illibata permaneat, & propter eos quidem, qui Sancto spiritui obuiare nituntur, eam Traditionem quæ in augustissima Constantinopolitana vrbe posteà, congregatis centum & quinquaginta Patribus, de substantia Sancti spiritus fuerat decreta, confirmat:* Accipe rursus quid idem Concilium dicat, *Diuinissimus & piissimus Dominus noster Imperator ad Sanctam Synodum dixit, Dicat Sancta Synodus, si secundum omnium Sanctorum Episcoporum expositionem, diffinitio nunc relecta prolata est. Omnes clamauerunt, omnes sic credimus, vna fides, vna voluntas, omnes idipsum sapimus, omnes consentientes subscripsimus, omnes orthodoxi sumus: Hæc fides Patrum, hæc fides Apostolorum, hæc fides Orthodoxorum, hæc fides Orbem terræ saluauit.*

Concil. Chalced. act. 5.

Concil. Chalced. act. 6.

Decreta Cōcil. secūdum SS. Patrum expositionē facta sunt.

CAPVT XLVII.

CATHOLICVS.

B Augustinum tuum esse putas, qui Hæreticorum mōstra ex Traditionibus nō scriptis, & Ecclesiæ cærimoniis creberrimè confutauit. Quòd si Doctor hic celeberrimus *non alio, quàm scripti Verbi telo, Donatistas iugulauit*, Quorsum spectat præclara illa oratio, qua Cyprianum sanctissimum Christi Martyrem ab impietate excusat, quòd contra Ecclesiæ Christi consuetudinem statuerit, vt ab Hæreticis Baptismi Sacramento initiati, denuò Baptismum susciperent? *Nolite* (Donatistæ) *nobis auctoritatem obiicere Cypriani, ad Baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad vnitatis conseruationem: Nondum enim erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque Schismaticis & Hæreticis corrigere quod prauum est, non iterare quod datum est: sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in Litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commēdata creduntur. Hanc ergo saluberrimam consuetudinem, per Agrippinum prædecessorem suum dicit sanctus Cyprianus quasi cœpisse corrigi, sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus, ad plenarij Concilij confirmationem perducta est, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse*

August. lib. 2. de baptismo contra Donatist. ca. 7.

Aug. non solis scripturis contra Donatistas pugnat.

Consuetudines in Ecclesia receptæ sunt Apostolicæ.

pisse non corrigi. Lege hanc orationem, & si telum tuum vnicum inueneris, non erit cur in posterum tecum decertemus. Audi & quam adfert erroris D. Cypriani excusationem. Nam omnia exscribere molestum est. *Nec arbitror*, inquit, *beatum Cyprianum, propter aliud contra consuetudinem quid sentiret liberius exprompsisse, priorémque dixisse, nisi vt alium si forte existeret cui esset melius reuelatum, gratissime acciperet, & ostenderet imitandam non solùm docendi diligentiam, sed etiam discendi modestiam.* Et post pauca docet eum Agrippini prædecessoris sui exemplo impulsum, vt contra vniuersalem Ecclesię consuetudinem de Hæreticorum Baptismo definiret. Et quoniam tu (quantum coniectura assequor) Augustini scripta nondum euoluisti, sed aliunde quod nobis obiicis, delibasti, vt in posterum, temeraria hac tua licentia, occasionem iustam habeas abstinēdi, ex eodem fonte hoc etiam tibi propinabo. *Nondum factum erat* Concilium vniuersale (de Hæreticorum Baptismo) *quia consuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus nouitatem, quia non poterant apprehendere veritatem, posteà tamen, dum inter multos ex vtraque parte tractatur, & quæritur, non solum inuenta est, sed etiam ad plenarij Concilij auctoritatem, roburq́; perducta post Cypriani quidem passionem, sed antequàm nos nati essemus. Hanc autem fuisse consuetudinem Ecclesiæ, quæ posteà multis discussis ambagibus perspecta veritate plenario Concilio confirmata est, satis ostenditur ex ipsius Beati Cypriani verbis in eadem ad Iubaianum epistola, quæ in Concilio lecta commemoratur. Ait enim: Sed dicit aliquis, Quid ergo fiet de iis qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine Baptismo admissi sunt? Vbi certè quid fieri soleret, & si non fieri vellet, satis ostendit, & eo ipso quòd Concilium Agrippini commemorat, apertè indicat fuisse aliam consuetudinem Ecclesiæ. Neque enim opus erat, hoc Concilio velle statuere, si iam consuetudine tenebatur, & in ipso Concilio nonnullæ sententiæ omninò declarant eos contra Ecclesiæ consuetudinem decreuisse quod decernendum esse arbitrati sunt: Quapropter illud vnum isti considerent, quod omnibus patet, si auctoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam esse in vnitate seruanda, quàm in Ecclesiæ consuetudine commutanda.* Et alio loco Ecclesiæ auctoritatem Donatistis obiicit. *Non accipio*, inquit, *quod de baptizandis Hæreticis, & Schismaticis beatus Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua Beatus Cyprianus sanguinem fudit.* Scripta b. Augustini contra Pelagium & Pelagianos, aut nunquam legisti, Minister, aut τῆς ψευδολογίας, nota te non liberabis, cùm scripsisti. *Certè non alio telo quàm scripto Verbo Augustinus Pelagium iugulauit.* Multis enim D. Ambrosij testimoniis, Pelagij portenta à veritate abhorrere docuit, vt videre potes lib. 1. contra Pelagium, & Celestium cap. 44. 45. 46. 49. & 50. Ac ne nudos tibi locos indicasse videar, ex eodem exscribam vnam, aut alteram sententiam. *Audiat*, inquit,

August. lib. 2. de baptismo contra Donatistas, cap. 8.

August. lib. 2 de baptismo contra Donatistas, cap. 9.
Cōsuetudo sola opponitur aduersus nouitatem.

August. lib. 2. contra Cresconium grammaticu. c. 32.

Ambrosij testimoniis Augustinus Pelagium confutat.

Auguſt.lib.1. contra Pelagiũ & Celeſtium.c.44. illum venerabilem Antiſtitem Ambroſium dicentem, & docentem in ſecundo libro expoſitionis Euangelij ſecundum Lucam, cooperari Dominum etiam voluntatibus noſtris. Vides vtique, inquit, quia vbique Domini virtus ſtudiis cooperatur humanis, vt nemo poſsit ædificare ſine Domino, nemo cuſtodire ſine Domino, nemo quicquam incipere ſine Domino, & ideo iuxta Apoſtolum, ſiue manducatis ſiue bibitis, omnia in Dei gloriã facite. Videtis quemadmodum ſanctus Ambroſius, etiam illud quod ſolent homines dicere, nos incipimus & Deus perficit, his verbis abſtulit, dicens, neminem quicquam vel incipere ſine Deo. Item in ſexto libro eiuſdem operis, cùm de duobus illis fœneratoris vnius debitoribus ageret: Secundum hominem, inquit, plus fortaſſe offendit, qui plus debuerat, ſed per miſericordiam Domini cauſa mutatur, vt amplius diligat qui amplius debuit, ſi tamen gratiam conſequatur. Ecce apertiſsimè prædicat Catholicus Doctor etiam ipſam dilectionem qua quiſque amplius diligit, ad beneficium gratiæ pertinere. Quid reſpondebis Caluini Miniſter? qua ratione te defendes? Confugiendum tibi erit ad eliciendi artem: Nam contra aperta D. Auguſtini teſtimonia nihil eſt quod poſsis hiſcere. Docet idem præterea à Pontificibus Romanis & Cõciliis Pelagium fuiſſe damnatum. Profectò, inquiẽs, ſentientis in tam nefandi erroris auctores (Pelagium & Celeſtium) Epiſcopalia Concilia, & Apoſtolicam ſedem, vniuerſamq́; Romanam Eccleſiam Romanumq́; Imperium, quod Deo propitio Chriſtianum eſt, rectiſsimè fuiſſe commotum, donec reſipiſcant de Diaboli laqueis. Et opus illud contra Pelagium & Celeſtium concludens. Cùm exponeret Ambroſius Euangelium ſecundum Lucam, non enim virilis coitus, inquit, vuluæ virginalis ſecreta reſerauit, ſed immaculatum ſemen inuiolabili vtero Spiritusſanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina ſanctus Dominus Ieſus, qui terrena contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate non ſenſerit, & cæleſti maieſtate depulerit. His tamen verbis hominis Dei quem tanto præconio ipſe laudauit Pelagius, contradicit, & dicit, ſicut ſine virtute, ita nos ſine vitio procreari. Quid igitur reſtat, niſi antiquum Pelagius ſuum damnet errorem, aut eum ſic Ambroſium laudaſſe pœniteat. Sed quia iſta ſecũdum Catholicam fidem beatus Ambroſius vt Epiſcopus Catholicus eſt locutus, ſequitur vt ab hac vita fidei deuius meritò Pelagius cum Celeſtio diſcipulo ſuo Catholica Eccleſia ſit auctoritate damnatus, niſi eum non Ambroſium laudaſſe ſed contra Ambroſium ſenſiſſe pœniteat. Quòd D. Auguſtinus Iulianum Pelagianum, non tantùm ſcripti Verbi telo iugularit, ipſe luculenta oratione teſtatur cùm ait, Quantum breuiter potero ſententiis nõ meis ſed eorum qui fuerunt ante nos, & aduerſus impios fidem Catholicam defenderunt, inanes argutias tuas, & elaborata argumenta conuincam. Dices te eſſe de ſolo Pelagio locutum, & non de Pelagij diſcipulis, quaſi qui doctrinam Pelagij euertit, Pelagium iugulaſſe non dicatur: Et in ipſo diſputationis ingreſſu, Iulianum his verbis alloquitur. Tu qui tam crebrò nobis Manichæorum nomen opponis, quos & quales viros, & quantos fidei Catholicæ defenſores

Margin notes:
Deus hominum actionibus cooperatur.
1. Cor. 10. 31.
Luc. 7. 41.
Auguſt. lib. 2. contra Pelagium & Celeſtium c. 17.
Eodem lib. 2. cap. 40.
Ibidem c. 41.
Auguſt. lib. 1. contra Iulianum Pelagianum cap. 1.
Ibidem ca. 2.

ſores tam execrabili criminatione appetere audeas, ſi euigilas intuere. Non quidem omnium de hac re ſententias, nec omnes eorum quos commemorabo, me congregaturum eſſe polliceor, quia nimis longum eſt, & neceſſe eſſe non arbitror, ſed ponam pauca paucorum, quibus tamen noſtri contradictores cogantur erubeſcere, & cedere, ſi vllus in eis vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum peruicacia ſuperauerit. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus non longè à temporibus Apoſtolorum fuit &c. Affert poſtea Irenæi, Cypriani, Olympij, Hilarij, Ambroſij, Innocentij, Gregorij, Baſilij magni, Ioannis Chryſoſtomi, Retitij, & Hieronymi ſententias quibus Iuliani impietatem ſe planè confeciſſe exiſtimauit. Nec tantùm Eccleſiæ Doctorum ſententiis, ſed & cærimoniis inter Chriſtianos ſola Traditione non ſcripta receptis eoſdem Pelagianos ſic confutauit. *Secundum ſuam calliditatem, non inueniunt quid ad hoc reſpondeant, quòd exorcizantur & exſufflantur infantes, hoc enim procuidubio fallaciter fit, ſi Diabolus eis non dominatur: Si autem dominatur, & ideo non fallaciter exorcizantur & exſufflantur per quid dominatur, niſi per peccatum princeps vtique peccatorum. Proinde ſi iam erubeſcunt, nec audent dicere hac in Eccleſia mendaciter geri, fateantur quod perierat etiam in paruulis quæri.* Non pudet vos Caluinianos exorcizandi & exufflandi cærimonias, ex quibus firmiſsimum petit telum D. Auguſtinus, quo Pelagianos iugulauit, aſpernari, & tanquam hominum τὰ ῥᾳδιουργήματα repudiare. Qua in re Pelagianis (quorum ſententiam vt infrà dicam, aliqua ex parte, defenditis) longè eſtis impudentiores. Atquè vt de D. Auguſtino tandem loqui deſinam luculentum eſt, & illud eiuſdem teſtimonium contra tuum de vnico Verbi Scripti telo commentum. *Vbi paruulos (inquit libro 1. de peccat. merit. & remiſsion. cap. 33.) ponimus baptizatos, niſi inter fideles, ſicut vniuerſa vbique Eccleſiæ clamat auctoritas? Ergo inter eos qui crediderunt, &c.*

Auguſt. Iulianum conuincit Irenæi & aliorum Patrum teſtimoniis.

Auguſtin. epiſt. 105. Ex cærimoniis Eccleſiæ Auguſt. argumentatur.

CAPVT XLVIII.

CATHOLICVS.

OBiicis poſteà noſtris Scholis ſtupidam neſcio quam, & craſſam ἰχθυμυθίαν cùm Chriſti Domini, & non Pythagoræ diſcipuli ſimus. Fortaſsis hac Græca voce implicitam vulgi fidem (de qua Scholaſtici loquuntur) quam Magiſter tuus Caluinus exagitat, intellexiſti. Quòd ſi probauero eum non potuiſſe ſine mendacio contra illam diſputare, fortaſsis & tua corruet ἰχθυμυθία. *Praterquam*, inquit Caluinus, *quòd caliginoſa ſua definitione totam vim fidei deterunt, ac ferè exinaniunt Scholaſtici, commentum fabricarunt implicitæ fidei, quo nomine craſsiſsimam ignorantiam ornantes, miſeræ plebeculæ cum magna pernicie illudunt.* Nemo eſt Scholaſticorum qui ſcripſerit fidem Implicitã eſſe, vt hic ἀπ. μυθικῶς nugatur craſ-

Caluin. lib. 3. inſt. c. 2. §. 2.

De fide implicita quid sentiant Theologi. D. Thom. 2. 2 q 2. art. 5.

sissimam ignorantiam. Audi quid sentiant de implicita fide Scholastici ex B. Thomæ scriptis, quæ, vt suo loco dicemus, te nunquam legisse facilè est ex inscitia tua conijcere. *Fidei obiectum per se*, inquit D. Thomas, *est id per quod homo Beatus efficitur, per accidens autem aut secundariò se habent ad obiectum virtutis omnia, quæ in Sacra Scriptura diuinitus tradita continentur, sicut quòd Abraham habuit duos filios: quòd Dauid fuit filius Isai, & alia huiusmodi: quantum ergo ad prima credibilia, quæ sunt Articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut & tenetur habere fidem, Quantùm autem ad alia credibilia, non tenetur homo explicitè credere, sed solùm implicitè, vel in preparatione animi, inquantùm paratus est credere quicquid diuina Scriptura continet: Sed tunc solùm huiusmodi tenetur explicitè credere, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri.* Nihil hîc audis de crassissima Caluini ignorantia, quam Scholasticis impudenter nimis affinxit: Cum autem eos reprehendit, & B. Augustinum, quē ipsi secuti sunt, reprehēdat necesse est: Sic enim de ea fide loquitur. *In Catholica Ecclesia, vt omittam syncerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spiritales in hac vita perueniunt, vt eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscāt: Ceteram quippe turbam, non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimā facit.* Hæc credendi simplicitas, est implicita illa Scholasticorum fides, quam Caluinus cùm exagitat secum ipse pugnat: nam eam & ipse probare cogitur his verbis: *Non inficior (qua sumus ignorantia circunsepti) quin plurima nobis implicita nunc sint, & etiam sint futura, donec deposita carnis mole, propius ad Dei præsentiam accesserimus, in quibus ipsis nihil magis expediat, quàm iudicium suspendere, animum autem offirmare ad tenendam cum Ecclesia vnitatem.* Obijce nunc Caluino præceptori tuo ἰχτμυθία, qui Implicitam fidem, quam paulò anteà reprehenderat tanquam Scholasticorum commentum, nunc sui immemor probat. Tu scribis, vt prouerbium habet, quicquid in buccam venit: nullum enim penitus ordinem seruas, sed in hac tua scriptiuncula contrà quàm ille præcepe- rit, *Serpentes auibus geminantur: Tygribus, agni.*

August. cōtra Epistolā fundamenti c. 4.

Caluinus secum ipse pugnat. Caluin. lib. 3. Inst. ca. 2. § 3.

MINISTER. pag. 39.

Non est verbum Dei Lesbya regula, IESVITÆ, *est sempiterna veritatis amussis &c.*

CATHOLICVS.

Nihil in Thesibus nostris quas improbandas suscepisti, Minister, de Lesbia tua regula legisti. Nihil Scripturis sacris, verius, certius & firmius inueniri posse disertè profitemur, quāuis vos Caluiniani eas non aliter, quàm si Lesbiæ essent regulæ, tractetis, vt qui hoc scriptum legerit, facilè iudicare potest.

MINI

MINISTER. pag. 40.

Quòd Ecclesia Verbū amplectitur,suffragióque suo obsignat, haudquaquam ex dubia, aut alioqui controuersa, authenticam, validámque reddit: sed quia veritatem esse agnoscit Dei sui, cui subscribat, cui se submittat, atque adeò quam colat, atque veneretur.

CATHOLICVS.

Hanc tuam à Caluino mutuò accepisti doctrinam, imò & verba propè singula, vt in eius Institutionibus videre licet. Catholici porrò docent Ecclesiæ Christi munus & officium esse docere, qui libri pro sacris habendi sint. Quod cùm facit, libros approbare dicitur: Non enim Approbandi vox, nouam aliquam diuinis Scripturis (quas tu solas Verbi nomine intelligis) vim, auctoritatémque tribuit: Nam quamuis Scripturarum veritas per se certißima sit, plerunque tamen hominibus est incognita, propterea necessaria fuit Ecclesiæ auctoritas, cuius vi & pondere mortales scriptum Dei Verbum ab Apocryphis libris distingui cognoscerent. Cùm verò te videam in Theologicis, & Philosophicis studiis planè ξενίζοντα, & peregrinum, exemplo rem demonstrare conabor. Dubitatum est aliquando de statu animarum post mortem, quam dubitationem sustulit Ecclesiæ auctoritas, cùm definiuit eorum, qui à peccatis mortiferis liberi, ex hac vita excesserunt animas, si nulla pro peccatis admissis persoluenda subesset pœna, æterna beatitudine mox donari (licet Caluinus tuus impiè sentiat, solius Christi Domini animam cœlum incolere, ac apud inferos nullius mortalis animum ante mundi finem excruciari.) Certè hæc Ecclesiæ de statu animarum sententia, non fecit vt hominum animæ bearentur, sed tantùm hoc præstitit, vt Christiani quid de re anteà controuersa, deinceps sentiendum esset, intelligerent. Non satis Caluini tui stupiditatem incredibilem deplorare possum, qui vt Catholicorum quæstiunculæ respondeat, in eos se difficultatum laqueos induit, ex quibus eum nunquam expedies, cùm ait: *Quod autem rogant* (Catholici) *Vnde persuadebimur à Deo fluxisse Scripturas, nisi ad Ecclesiæ decretum confugiamus? perinde est, ac si quis roget, vnde discemus lucem discernere à tenebris &c.* Nemo est mortalium (modo aspectus sensum habeat) qui lucem à tenebris non distinguat, Quare si vera est hæc Caluini responsio, *de Scripturarum veritatis sensu*, nemo nisi à mente inops dubitabit; nihil ergo prohibere video quo minus Iudæi, & Turcæ, ac barbaræ Gentes ad Christianam religionem se sponte adiungant, præter Codicum sacrorum inopiam: Nam idem ille tuus Magister ait, *Vbi sermonem Dei esse qui proponitur in confesso est, nemo est tam deplorata audacia, nisi fortè & sensu communi, & humanitate quoque ipsa destitutus, qui fidē loquenti derogare ausit.* Sermonem autem esse Dei, qui in Scripturis proponitur, nemo (si eidem Caluino, vt dictum est, credamus) dubitare poterit. Dissolue

Cal. li. 1 Inst. c. 7 §. 2.

Eccl. Catholica qui Sacros libros approbet.

Caluin. lib. 3. inst. c. 25. §. 6. & in Psychopannychia.

Cal. lib. 1. Inst cap. 7 §. 2.

De Scripturæ veritate absurdißima Caluini sententia.

Lib. 1. Instit. c. 7. §. 1.

hunc nodum, & cœlestes illas spiritus motiones, ad quas (cùm se aliter expedire nequit) Caluinus tuus confugit, certisimis argumentis dissentiemus. Quod verò diximus sacram Scripturam ratione nostri ab Ecclesia sumere auctoritatem, luculenter à B. Augustino confirmatur, cùm ait: *Ego Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesia commoueret auctoritas.* Quod quidē testimoniū apertè sibi aduersari cùm Caluinus animaduerteret sic ipsum σεχαςικῶς interpretatus est: *Significat se cùm alienus esset à fide, nō aliter potuisse adduci, vt Euangelium amplecteretur pro certa Dei veritate, quàm Ecclesiæ auctoritate victum.* Itáne verò, Archisynagoge? Nonne Augustinus cùm hæc scriberet in fide Catholica iampridem confirmatus erat? Non negabis, vt arbitror. Atque vt alia prætermittam argumenta quæ in medium afferre possem, hoc vnum duntaxat proferam, quo vel nolens à sententia tua cogèris discedere. Si nanque vera esset hæc explanatio tua, Caluine, Augustinus dicere debebat *Credidissem*, & *commouisset*, alienū nempe à fide Catholica. Ergo se iam fidelem credere, atque Ecclesiæ auctoritate cōmoueri dilucidè profitetur. Qui etiam à fide est alienus, hominū doctrinam, & mores cōmendare potest: At Ecclesiæ Catholicæ vim, & potestatem aspernatur. Cùm verò D. Augustinus Ecclesiam Catholicā nominat, satis indicat commentum illud Caluini planè esse futile: Cur enim à fide alienus, Ecclesiæ auctoritate potius, quàm Manichęorum commoueri debuit, vt Euangelio crederet? Eodem quoque capite, sub finē, perspicuis verbis ad hunc modum scribit, *In locum Traditoris Christi qui successerit, in Apostolorum Actibus legimus, cui libro necesse est me credere, si credo Euangelio, quoniam vtramque Scripturam similiter mihi Catholica commendat auctoritas.* Certè Minister, cùm hæc ille scriberet, à fide Christiana alienus non erat. Et cap. 4. eiusdem libri, præclarum hoc Ecclesiæ Catholicę reliquit encomium. *Vt omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis, multa sunt alia quæ in eius gremio me iustisime tenent. Tenet consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes Hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur nullus hæreticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot, & tanta Christiani nominis charisima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiam si propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas nondum se apertisimè ostendat.* Perpende, Minister quid D. Augustinus dę se iam Episcopo scripserit, & intelliges quàm vana sit illa verborum ipsius, à Caluino

Aug. contra epist. fundamenti c. 5.
Caluin. lib. 1. Inst. c. 7. § 3.
Act. 1.
Actis creditur sicut Euangelio, ex Ecclesiæ auctoritate.
Aug. contra epist. fundamenti, cap. 4.
Quæ D. August. in fide Catho. retineat.
Ioan. 21. 17.

à Caluino allata explicatio. Atque vt tandem concludamus, Ecclesiæ Catholicæ Theologi, non sentiunt id solùm inesse Scripturæ sacræ ponderis & momenti, quod illi Ecclesia tribuit, vt Caluinus cauillatur: sed omnem Scripturarum vim & firmitatem Spiritui sancto, primario Scripturarum auctori, assignant. Cæterùm cùm Ecclesia Catholica ab Apostolis sacros libros acceperit, & acceptos singulari Dei beneficio incorruptos custodierit, certò sibi persuadent Catholici, Euangelium (exempli causa) Matthæi verum & sacrum esse: Illud autem quod Petri esse dicitur, Apocryphum. *Quis est tam demens* (inquit D. Augustinus) *qui hodie credat esse Epistolam Christi quam protulerit Manichæus, & non credat facta vel dicta esse Christi, quæ scripsit Matthæus: aut si etiam de Matthæo vtrum ipse ista scripserit dubitat, de ipso quoque Matthæo non potius id credat quod inuenit in Ecclesia, quæ ab ipsius Matthæi temporibus vsque ad hoc tempus, certa successionum serie declaratur.* At de his hactenus, plura vbi responderis, Deo volente, audies. Sed quid? Video te ad Rhetorum patrocinium ex Logicorum spinis confugisse. *Aug. lib. 28. cōtra Faustū cap. 4.*

CAPVT XLIX.

MINISTER. pag. 40.

QVid igitur? Nullàne erit Ecclesiæ autoritas? Imò permagna. Neque enim existimandum est, Verbi autoritatem cum Ecclesiæ cōuenire non posse: sed suo modo, vti iam diximus. Primaria igitur Verbo Dei autoritas debetur, quam ab Ecclesiæ autoritate pendere tam alienum est à ratione quàm Veritatem, hominum autoritati subiici.

CATHOLICVS.

Quo modo scripti Verbi auctoritas, ratione duntaxat hominum ab Ecclesiæ auctoritate pendeat, suprà est à nobis explicatum. Cogor interim diuinare ex aliorum tuæ factionis hominum scriptis, quid incondita tua oratione velis. Negas quantum coniectura assequi possum, parem esse Verbi scripti, & Ecclesiæ auctoritatem: At facilè est tibi omnia negare, sed cur neges difficile est certam rationem reddere, quam vbi ex Caluino vel aliis haustam, in lucem protuleris, non deerit quod respondeamus. Cùm autem postea Scholasticorum doctrinam te irridere putas, summis eam effers laudibus.

MINISTER. pag. 41.

Non ab illorum scriptis penitus abhorremus, sed veluti è stercore Enniano colligentes aurum.

CATHOLICVS.

Nemo est nostrûm qui sermonis elegantiam Scholasticis tribuerit: At reconditam rerum disciplinam tu, vel inuitus, ipsis concedis. Nam aliter, ex ipsorum stercore aurum colligere te posse non existimares. Ex vestris autem scriptis, ne plumbum quidē, vllus est qui colligat: Nam pro puro, putoque Dei Verbo (quod vos passim ia-

Scholastici Doctores quanti fiant ab Hæreticis.

Frãcisc. ſtancar. lib. de Trinit. & mediatore.

ctatis) ſunt ἄνθρακες ὑμῶν ὁ θησαυρός. Ac ne tibi aliquid fingere videar, citabo veſtri ordinis hominem, qui commentis veſtris quantum ſit tribuendum, pro me teſtimonium dicet, is eſt Franciſcus Stãcarus, qui iudicat, *Vnum Petrum Lombardum pluris eſſe faciendum quàm centum Lutheros, ducentos Melanchtones, quadringẽtos Petros Martyres, & quingentos Caluinos, atque ſi omnes in mortario contunderentur, non exprimi poſſe vnam vnciam veræ Theologiæ, præſertim in articulis de Trinitate, Incarnatione Mediatoris, & Sacramẽtis: eſſe ter miſeros & infelices, qui neſciant quid ſcribant, aut de quibus affirment.*

Doctrina Hæreticorũ nulla.

Si vnus Petrus Lombardus, qui Scholaſticæ Theologiæ rudimenta & incunabula tantùm tradidit, quingentis Caluinis eſt præferendus, quid, ſi ſubtiliſsimos illos Scholaſticos diſputatores D. D. Thomam, Bonauenturam, Scotum, Albertum Magnum, Durandum, ac cæteros, quos nominare longum eſſet, cum Beza, & aliis id genus hominibus conferrem, Deus immortalis! quanto interuallo præclaros illos inſcitiæ tuæ Magiſtros poſt ſe relinquerent! Quia verò temporis anguſtiæ longiorem de auctoritate Patrum, & Doctorum Eccleſiæ diſputationem inſtituere non patiuntur, quantum ſit Conciliis, atque Eccleſiæ Romanæ in fidei rebus tribuendum, ex Agathonis ſanctiſsimi Pontificis, quam adſcripſi, oratione facile intelliges.

Agatho in epiſt. ad Conſtantinũ Imperatorẽ, Heracliũ, & Tiberium Auguſtos.

Quo modo, inquit, *ad plenum poterit inueniri Scripturarum ſcientia, niſi quæ regulariter à ſanctis, atque Apoſtolicis prædeceſſoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita ſunt, cum ſimplicitate cordis, & ſine ambiguitate, à Patribus traditam fidem conſeruamus. Vnum ac præcipuum bonum ſemper habere optantes, atque ſtudentes, vt nihil de eis quæ regulariter definita ſunt minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, ſed eadẽ & verbis, & ſenſibus illibata à nobis cuſtodiãtur. Quibus portitoribus & teſtimonia aliquorum ſanctorum Patrum, quos hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia ſuſcipit, cum eorum libris tradidimus, vt facultatem ſuggerendi à benigniſsimo veſtræ Chriſtianitatis Imperio conſecuti ex his duntaxat ſatisfacere ſtudeant, dum imperialis manſuetudo præceperit, quid hæc ſpiritalis mater eorum, ac à Deo propagati Imperij Apoſtolica Chriſti Eccleſia credat & prædicet, &c.* Cæterùm præſens Eccleſiæ calamitas (quamuis nullum haberemus Antiquitatis exemplum) ſatis confirmat ſanctorum Patrum doctrinam abieciſſe neminem, qui non fidem ſimul atque religionem perdiderit, quod cùm probè perſpectum haberent Pelagiani (longè æquiores Patribus quàm vos Caluiniani) inficiari nunquam auſi fuerunt, Scripturas à Sanctis illis rectè fuiſſe intellectas, vt ſcriptum reliquit D. Auguſtinus, *Vtinam* (inquiens) *ergo ſaltem in Catholicorum virorum ſcriptis, à quibus eas rectè intellectas eſſe non dubitant* (Pelagius & Celeſtius) *quid de adiutorio diuinæ gratiæ ſentiendum non negligenter attenderent, nec ſuæ ſententiæ amore nimio præterirent.* Prætereà Neſtorius non alia de cauſa in Photini impietatem incurrit, quàm

Deficientes à Patribus à fide deficiũt.

Auguſt. de gratia Chriſti contra Pelagiũ & Celeſt. li. 1, c. 42

quàm quod veteres Patres neglexerit, vt scribit Socrates. Si omnia quæ ad auctoritatẽ Patrũ spectant essent accuratẽ tractanda, longissimè ab instituto digrederer. Quare vt huic disputationi finem imponam, quantum Patrum auctoritati Chalcedonense Conciliũ tribuerit, paucis accipe. *Quoniam quidam* (inquit Cõcilium) *simulant confiteri eã* (fidẽ Nicenam) *& consentire ei, falsè verò interpretantur ad id quod eis placet intellectus virtute, & circumueniunt veritatem, erroris & perditionis filij constituti, necessarium visum est, Sanctorum & Catholicorum Patrum proferre testimonia, quæ possunt satisfacere, quemadmodum eam intellexerunt, & prædicare confisi sunt, quatenus ex manifesto, & omnes rectam & immaculatam fidem habentes, sic & intelligant, & interpretentur & prædicent eam.* Quòd si Concilium hoc nihil ponderis apud te habet, saltem præceptorem tuum Caluinum reuereberis, qui scripsit, *Non leue esse stabiliendæ fidei adminiculum, Doctorum omnium consensum.* At quantum Ecclesiæ Christi tribuas, diu dissimulare non potuisti, scribens.

Socrat. Eccle siast. hist. lib. 7 cap. 32.

Concil. Calced. act. 1. Chalcedonense Concilium multum tribuit Patribus.

Caluin. in comment. in epist. ad Galat. c. 1 §. 2.

MINISTER. pag. 42.

Nondum natum erat decretum, Ecclesia non potest errare.

CATHOLICVS.

Quasi verò Cypriani, Augustini, Hieronymi, & Chrysostomi temporibus, nõdum esset *nata* prior D. Pauli ad Timotheum Epistola, in qua scriptũ est, *Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis.* Si errare potest Ecclesia, quî scis eam non errasse? Cõfugies ad scriptum tuum Verbum; sed cùm (vt suprà probatum est) de scripti Verbi auctoritate, tibi sine Ecclesia non constet, quî scies Ecclesiam, cùm tibi scriptum Verbum proponit, non errare? Responde Caluini Minister, si potes; facio tibi potestatem confugiendi ad tuas distinctiones, *simpliciter, & secundum quid.* Hæretici in Russia, quæ Regi Poloniæ paret, ex nouo Testamento superioribus annis, omnia quæ diuinitatem Christi Domini probant, deleuerunt. Qua ratione ipsorum impietatem conuinces, qui Ecclesiam posse in fidei rebus errare, impudenter affirmare non es veritus? Dicent nouum Testamentum ab impiis hominibus fuisse corruptum. Cõuince eorum insolentiam certo aliquo Scripturæ testimonio: Crede mihi, si tibi cum huiusmodi hominibus negotium esset (nisi Ecclesiæ auctoritatem sartam tectam esse cuperes) Andabatarum more clausis oculis, vt dicitur, esset digladiandum.

1. Tim. c. 3. 15.

Trinitarii quæ ex nouo testam. erraserint.

MINISTER. pag. 42.

Patres non vt veritatis iudices atque arbitros (vnicum enim Iudicem veritatis agnoscimus, Deum ex illo suo Verbo scripto, quod voluntatis suæ expressam declarationem esse voluit) sed vt iuratos, & vocatos testes audiendos esse affirmamus: & quidem pro more atque instituto legitimorum iudiciorum, vt sui etiam testimonij causas reddant:

V

causas nimirum non aliunde quàm ex ipso Verbo, de cuius interpretatione agitur, depromptas.

CATHOLICVS.

Præclarum sanè in Christi Ecclesiam inducere conaris iudicandi morem nunquam antea auditum. Nunquid iudicis est, decertantiũ rationes audire, ac pro veritate sententiam ferre? Quam verò sententiam feret scriptum Verbum, quod neque audire, neque loqui potest? Quis erit iudex cùm de ipso scripto Verbo controuersia fuerit exorta? At *Deum dicis esse iudicem veritatis ex scripto suo Verbo.* Verùm hæc tua oratio, omnem iudicandi de veritate potestatem, hominibus adimit, eámque soli scripto Verbo tribuit, cùm tamen aliam Deus ipse voluerit inter homines esse, sedandarum controuersiarum rationem: Non enim ad scriptum Verbum, sed ad legitimos Iudices, eos qui de veritate inter se dissident, ablegauit. *Si difficile*, inquiens, *& ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* Si hominum nemo, fuisset iudex veritatis, nõ præscripsisset Dominus hanc Iudæis, quam audis in iudiciis seruandam normam. Ad hæc, Malachias Propheta, *Labia*, inquit, *Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore eius.* Corrige, si audes, *Spiritumsanctum*, & dicito, *Legem requirent ex solo scripto Verbo.* Certè Christiani, qui erant Antiochiæ, scriptum habebant Verbum, cùm ad Apostolos mitterent, qui de controuersia graui, iudicium, & sententiam ipsorum exposceret. At si tuis somniis adhæreamus, violarunt Apostoli præscriptum à Deo ordinem, cùm sibi de veritate, (cuius solum Deum ex scripto Verbo iudicem facis) iudicandi potestatem sumpserunt. *Visum est* (inquiunt Apostoli) *Spirituisancto & nobis, &c.* Ex tuæ doctrinæ præscripto dicendum erat, *Visum est Deo ex suo scripto Verbo.* Hæc tua falsa opinio eò planè spectat, vt Iudicia omnia tollantur, ac ad Acephalorum morem, vnusquisque scripti Verbi perperam intellecti, patrocinio, quam ipse velit errorum suorum licentiam sibi vsurpet: vt de Christi Ecclesia dici possit, quod de Iudæorum Synagoga scriptũ legimus. *In diebus illis non erat rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Quænam porrò sint hæ testimoniorum causæ, quas tu in legitimis iudiciis requiri asseris, vbi explicaris, de Patrum auctoritate accuratius multò tecum libenter disseremus.

Deut.17.8.9. Deus dissidentes ad sacerdotes remittit.

Malac.2.7.

Act.15.28.

Iudic.17.6.

CAPVT L.

MINISTER. pag. 42.

NVllus est, & planè ἄλογος vester hac in re metus; vt de autoritate Ecclesiæ actum sit, nisi Verbi illius non scripti, & sine Verbo scripto, &

pto, & contra eiusdem autoritatem, mysteria in Ecclesiam importetur, illo metu carete, & vestrum errorem monstri cauete: nisi perspicuæ veritati, vltrò bellum indicere instituistis.

CATHOLICVS.

Tu sanè Minister, veritati apertum indixisti bellum, qui nobis, quod nulli Christianorum in mentem venit, affingis. Profer θέσεων nostrarum verba, ex quibus tu summus eliciendi artifex, deprompsisti ἀλογίαν illam quam nobis ascribis, *vt de autoritate Ecclesiæ actum sit, nisi contra Verbi scripti autoritatem mysteria Verbi non scripti in Ecclesiam importentur.* Non potuisti Theses nostras refutare, quin Caluiniano more nobiscum ageres.

MINISTER. pag. 42.

Eiusdem planè generis, est illud incommodum quod vltimo loco affertis, fore nimirum vt sine illo Verbo non scripto, pleraque fidei dogmata repudientur, ac proinde Ecclesiæ pereant. Pleraque illa, ad duo restringitis, Infantum videlicet baptismum, & perpetuam Dei Matris Virginitatem. Si qua alia sint, docete: vt pro virili nostra vobis laborantibus succurramus.

CATHOLICVS.

Erras turpiter Minister, non enim restringimus ad duo (vt à te Ciceronianam sermonis puritatem discam) neque tam angustis, vt tu somnias, Dogmatum non scriptorum numerū terminis coercemus; Docebimus plura esse, vbi tuas ineptias repudiauerimus. Cur autem à te, etiam si maximè laboraremus, subsidium petere debeamus, causam nullam reperio, cùm Theologica studia à limine nondum te salutasse, tua scribendi inscitia satis, supérque prodat.

MINISTER. pag. 43.

De infantum Baptismo certum habemus testimonium in Verbo scripto, ne inanem adhibeatis operam in euoluendis Verbi illius non scripti aduersariis, siue commentariis, aut testibus exquirendis.

CATHOLICVS.

Anteà nobis exprobraueras, quod Verbi non scripti nomine, ea intelligeremus, quæ Clemens scripto consignauit, nunc verò tui immemor, *Verbi non scripti aduersaria, siue commentaria* nobis concedis. Confugies scio, ad tibi familiarem distinctionem, *Secundum quid & simpliciter*, vt te in Logicorum subtilitatibus egregiè esse versatum, te ipsa probes. Dic mihi vtri vis potius credamus, tibi-ne Caluini discipulo, parum, aut nihil omninò in Theologicis studiis exercitato, an summo Ecclesiæ Doctori D. Augustino? Responde *Simpliciter & non secundum quid.* Tu affirmas audacter, quod summus Hæreticorum ἀνταγωνιστὴς constanter his verbis negat, *Consuetudo matris Ecclesiæ, in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua putanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Si vllum certum existimasset esse in Scri- *August. de Genesi ad literam. lib. 10. cap. 23.* Baptismus infantium nō habetur in sacris literis.

pturis pro infantum Baptiſmo, teſtimonium nunquam proculdubio ſcripſiſſet.

MINISTER. pag. 43.

Chriſti hac de re voluntas luculenter his verbis expreſſa eſt, Sinite paruulos venire ad me, quoniam talium eſt regnum cœlorum.

CATHOLICVS.

Quęcunque vos Caluiniani Anabaptiſtis, pro infantum Baptiſmo, obiicitis, apud Catholicos Scriptores longè accuratius, quàm in veſtris ſcriptis tractata inueniuntur. Quare ne videar fanaticorum hominum impietati fauere, vos (qui & Eccleſiæ auctoritatem, & Traditiones non ſcriptas floccifacitis) nullis certis teſtimoniis, Anabaptiſtarum inſaniam poſſe, reprimere ϖαῤῥησίως docebo. Caluinus itaque ex inſtituto contra illos differens, non tam audacter, vt tu facis, ait, *Se habere hac de re in ſcripto Verbo teſtimonium*, Sed quaſi de victoria deſperans, ſubmiſsè his verbis orditur, *A nobis probandum eſt, Verbo Dei conſentaneum eſſe, quod infantes baptizamus.* Et ſanè teſtimonium, quod in acie collocas, ſilentio præterit, quamuis id alio vſurpet loco.[a] Verebatur enim ne ab Anabaptiſtis cogeretur, ex Verbis Domini certam aliquam raciocinationem conficere, qua Infantum Baptiſmum concluderet. Nemo Chriſtianorum eſt, qui neget Dominum noſtrum, hanc, quam attuliſti, ſententiam protuliſſe, at cùm Baptiſmi nomen non audiant, an de Baptiſmo intelligi debeat Eccleſiæ auctoritate ſepoſita, meritò quiuis poſſunt ambigere. A te igitur ex his Verbis Domini, ad Dialecticorum præſcripta, firmam aliquam ratiocinationem expectamus, quę perſpicuè concludat Infantes eſſe Baptiſmi ſacramento initiandos. Interim vt habeas ad ratiocinationem tuam rectè inſtituendam, aliquid ſubſidij, quod Dominus dixit, *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium eſt enim regnum cœlorum*, Excute diligenter, an & de Infantibus, ab infidelibus Parentibus progenitis, ſit intelligendum, quos negatis in Chriſtianorum numerum per baptiſmum cooptari poſſe: an verò de iis ſolùm, qui à Chriſtianis Parentibus ſunt procreati, quos à Matris vtero ſanctificatos eſſe perhibetis.

Caluin. in inſtructione ad uerſus Anabaptiſtas.

a Idem lib. 4. inſt. c. 16. § 7.

Matt. 19. 14. Beza in qq. & reſpõ. de ſacram. q. 120. & 121. Cal. in Antidoto artic. 1. Pariſien.

MINISTER. pag. 43.

Et magni Apoſtoli de mandatis ſuis diſerta explicatio, Liberi veſtri ſancti ſunt. Signum ne iis denegetur, quibus data res eſt?

CATHOLICVS.

Neſcimus quænam mandata intelligas, quorum diſertam ab Apoſtolo explicationem verbis illis, *Liberi veſtri ſancti ſunt*, traditam eſſe ſcribis. Si Caluini doctrina vera eſſet, te rectè argumentari negaret nemo. Ita enim ſcribit, *Baptiſmo opus habere infantes, non tanquam adiumento ad ſalutem neceſſario, ſed tanquam ſigillo ad obſignandam in illis adoptionis gratiam diuinitus ordinato. Sanctos enim fidelium*

Caluin. in Antidoto artic. 1. Pariſieſ. & in form. bapt. adminiſtrand.

fidelium liberos nasci tradit Paulus. Hæc sunt religionis vestræ principia, contra Scripturarum auctoritatem posita. Audi quid Apostolus fidelis viri filius, dicat: *Eramus natura filij iræ sicut & ceteri.* Quē locum sic explicat Caluinus, vt impietatem, quam aliis in locis defenderat, planè secum pugnans, euertat. *Pronunciat*, inquit, *vniuersos sine exceptione sub reatu esse, donec per Christum liberentur, tam Iudaeos, quàm gentiles. Per filios iræ, simpliciter intellige perditos, ac morte æterna dignos, ira enim iudicium Dei significat. Ideò filij iræ, perindè valet, atque coram Deo damnati: Tales fuisse Iudaeos, & quicunque in Ecclesia excelluerunt, Paulus hic docet, idque natura, id est, ipsa origine, & ab vtero matris: naturaliter nos omnes damnationi obnoxios Paulus docet, ergo peccatum in nobis hæret, quia Deus non damnat innocentes.* Obiicit postea ipse sibi. *Cur Paulus Iudaeos iræ & maledictioni subiiciat, vt reliquos, cùm tamen essent semen benedictum? Respondeo naturam esse communem, Iudaeos tantùm in hoc differre à Gentibus, quòd Deus eos promissionis gratia ab exitio liberat, sed illud est superueniens remediū.* Hæc responsio cum superiore eius doctrina, κατ̀ διάμετρον, pugnat: Deinde concludens, idem apertiùs affirmat hoc modo; *Hæc damnatio, cuius meminit Paulus, nequaquam à Deo manat, sed à deprauata natura, quia nunc non nascuntur qualis initio creatus fuit Adam, sed ex degenere, & vitioso homine adulterinum semen.* Quibus Verbis nō obscurè testatur omnes in peccato nasci, si enim *nunc non nascimur qualis initio creatus fuit Adam*, Ergo nunc non nascimur Sancti; aut certè, si Sancti nascimur; vt doctrina Caluini vera sit, concedere oportebit Adamum fuisse expertem sanctimoniæ omnis, & iustitiæ à Deo creatum. Sed apage cum Caluino tuo Minister: nullum haud dubiè inuenies Catholicum Scriptorem, qui neget Christianorum filios in peccato nasci. Itaq; quod ait Apostolus, *Eramus natura filij iræ*, Explicat D. Athanasius, *verè, propriè, & congruenter.* Ac, cùm Dauid ex fidelibus parentibus progenitus testetur se *in iniquitatibus cōceptum*, certè dum conciperetur nullam habuit sanctimoniam: cupio ergo vt mihi explices, quando sit eam adeptus: Nam si peccato contaminatus, in lucem à Matre est editus, impia erit, pro qua propugnas, Caluini doctrina. Ne verò tecum de re Catholicis omnibus explorata, diutius digladier, sententia illa, *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt.* Christianæ, quam tuemur, veritati non aduersatur. Nam Apostolus ait, *Virum infidelem per mulierem fidelem sanctificari*, Et contrà. Atqui certum est Virum infidelem, quamuis in matrimonio mulierem fidelem habeat, non esse sanctimoniam eam consecutum, quam Sacræ literæ necessariam esse docent, vt quis sit Dei filius, à peccatis originali, & mortiferis liber, cùm scriptum sit, *Qui incredulus est filio, non videbit*

Ephes. 2. 3. Caluin. in c. 2. epist. ad Ephes. §. 3. Caluinus suum de infantiū sanctificatione dogma secū pugnans euertit.

Caluino fideliū infantes nascūtur iræ filij.

Ephes. 2. 3. Athanas. in c. 2. epistol. ad Ephes. Psal. 50. 7.

1 Cor. 7. 14.

Ioan. 3. 36.

August. lib. 2. de peccat. meritis & remiss. cap. 25. & 26.

vitam, sed ira Dei manet super eum. Cùm Pelagiani (quorum estis imitatores) hunc locum B. Augustino obiicerent, vt Christianorū filios, non esse ad remissionem peccatorum baptizandos concluderent; quid illis responderit ascribam, vt vos cum Pelagianis ad improbitatem doctos omnes intelligant. *Nostra* (inquit D. Augustinus) *imò ipsius Apostoli sententia, qui dixit, ex uno omnes ad condemnationem, & ex vno omnes ad iustificationem vitæ, quam non sit contrarium hoc quod ait cùm de re alia ageret, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt, paululum attende. non vnius modi est sanctificatio: Nam & Catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari, & quod accipiūt quamuis, non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius, quàm cibi, quibus alimur, quoniam Sacramentum est: Verum & ipsos Cibos quibus ad necessitatem sustentandæ huius vitæ alimur, sanctificari idem Apostolus dixit, per Verbum Dei & orationem, qua oramus vtique nostra corpuscula refecturi. Sicut autem ista ciborum sanctificatio non efficit, vt quod in os intrauerit, non in ventrem vadat, & in secessum emittatur per corruptionē, qua omnia terrena soluuntur, vndè ad aliam escam quæ non corrumpitur, nos Dominus exhortatur, ita sanctificatio Catechumenorum, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cœlorum, aut ad peccatorū remissionem. Ac per hoc, & illa sanctificatio cuiuscunque modi sit, quam in filiis fidelium esse dixit Apostolus, ad istam de Baptismo, & de peccati origine, vel remissione, quæstionem omnino non pertinet: nam & coniuges infideles in coniugibus fidelibus sanctificari dixit, eo ipso loco ita loquens, Sanctificatur enim vir infidelis in vxore, & sanctificatur mulier infidelis in marito, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Non opinor, quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, vt ob hoc existimet, etiam maritū non Christianum, quia Christiana fuerit vxor eius: neque iam baptizari oportere, & ad peccatorum remissionem peruenisse, & in regnum cœlorum esse intraturū, quia sanctificatus dictus est in vxore.*

Rom. 5. 16.

1. Cor. 7. 14.

Panis benedictus Catechumenorum.

1. Tim. 4. 5.

Ioan. 6.

Baptismus ad salutem necessarius etiam sanctificatis.

1. Cor. 7. 14.

Et alio loco non minus perspicuis verbis errorē vestrum sic refutat. *Quod ait Apostolus, cùm fideles moneret, vt se ab infidelibus coniugibus non disiungerent: Sanctificatus est enim vir infidelis &c. aut sic est accipiendum, quemadmodum & nos alibi, & Pelagius, cùm eandem ad Corinthios epistolam tractaret, exposuit, quòd exempla iam præcesserant, & virorum quos vxores, & fœminarum quas mariti lucrifecerant Christo, & paruulorum ad quos faciendos Christianos, voluntas Christiana etiam vnius parentis euicerat. Aut si quod magis verba Apostoli videntur sonare, & quodam modo cogere, aliqua illic intelligenda est sanctificatio, qua sanctificabantur vir, vel mulier infidelis in coniuge fideli, & qua Sancti nascebantur filij fidelium, siue quia in menstruo cruore mulieris, à concubitu continebat quicunque vir vel fœmina id in lege didicerat, nam hoc Ezechiel inter illa præcepta ponit, quæ non figuratè accipienda sunt, siue propter aliam quamlibet, quæ ibi apertè proposita non est, ex ipsa necessitudine cōiugiorum, atque filiorum sanctitatis aspergine:*

August. lib. 3. de peccat. merit. & remiss. cap. 12.

Vir ab vxore qui sanctificetur, & contrà.

Ezech. 18. 6.

Filij fideliū quo pacto Sancti.

aspergimem: illud tamen sine dubitatione tenendum est, quæcunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana, & Ecclesiastica institutione, & Sacramentis efficiantur fideles: nam nec coniuges infideles quamlibet Sanctis & iustis coniugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei separatos in damnationem venire compellit: nec paruuli de quibuslibet Sanctis, iustisq́; procreati, originalis peccati reatu absoluuntur, nisi in Christo fuerint baptizati, pro quibus tantò impensius loqui debemus, quantò pro se ipsi minus possunt.

Coniuges fidelium, & filij indigent baptismo.

Negat itaque Augustinus rem, (id est, sanctificationem) datam esse paruulis, quos baptismo initiari, vel propterea contendit. Orationis verò Apostoli, germanam intelligentiam tradidit D. Hieronymus Paulino quærenti, *Quo modo Sancti sint, qui de fidelibus, id est, baptizatis nascuntur, cùm sine dono gratiæ, postea acceptæ & custoditæ, salui esse non possint:* Sic respondens, *De problemate tuo, Tertullianus in libris de Monogamia disseruit, asserens Sanctos dici fidelium filios, quòd quasi candidati sint fidei, & nullis Idololatriæ sordibus polluantur, simúlque considera quòd & vasa sacra in tabernaculo legimus, & cætera quæ ad ritum cerimoniarum pertinent, cum vtique sancta esse non possint, nisi ea quæ sentiunt, & venerantur Deum. Idioma igitur Scripturarum est, vt interdum, Sanctos pro mundis, & purificatis, atque expiatis nominet: sicut & Bethsabee sanctificata scribitur* [a] *ab immunditia sua: & ipsum templum sanctuarium*[b] *nominatur.* Hanc Tertulliani, & D. Hieronymi interpretationem plurimum cōfirmat significatio vocis Hebraicæ קדש, chadasch.

Gratia ad salutem post ortum necessaria.

Hier. in epist. ad Paulinū.

Quid dicatur Sanctum in scripturis.

a 2. Reg. 11. 4.
b Exo. 40. 17.

CAPVT LI.

CATHOLICVS.

Aliud erit iam tibi Minister, Scripturæ testimonium quærendum, vt probes Christianorum infantes esse baptizandos, cùm hæc tua diserta, quam affers, Apostoli explicatio nihil tuum errorem iuuet.

MINISTER. pag. 43.

Expressum extat Dei mandatum de infantibus octauo die circuncidendis. Quum Baptismum in Circuncisionis locum successisse vos quoque agnoscatis, (est enim vtrunque Sacramentum remissionis peccatorum, & mortificationis Iustitiæq; nostræ sigillum) & vberiorem quam sub Lege gratiam nobis datam esse prædicetis: cùr minus erit benè nostris sub Euangelio, quàm Patrum infantibus sub lege: quum Ecclesia ius peræque ad nostros, ac ad illorum liberos pertineat?

CATHOLICVS.

Pro me respondebit Augustinus, qui certum hoc tuum testimonium τὸ ἐικαςικὸν, & coniecturam esse existimat. *Sicut in latrone, inquit, quia per necessitatem, corporaliter baptismus defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritaliter affuit, sic cùm & ipsa præsto est, si*

August. lib. 4. de baptismo contra Donatistas, c. 23.

est, si per necessitatem desit quod latroni affuit, perficitur salus, quod traditum tenet vniuersitas Ecclesiæ, cùm paruuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit: quinetiam flendo & vagiendo, cùm in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari: & si quisquam in hac re auctoritatem diuinam quærat, quanquàm quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est: non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur, tamen veraciter coniicere possumus, quid valeat in paruulis Baptismi sacramentum ex Circuncisione carnis, quam prior populus accepit. Perpende diligẽter præclaram hanc D. Augustini orationem, & in Apostolicis Traditionibus diuinam esse vim, facilè perspicies. Quamuis autem in illo Scripturæ loco, Baptismi præceptum contineri, tibi concederemus, non tamen puellulas Baptismo initiandas esse ex tuo *expresso mandato de infantibus octauo die circuncidendis*: concludes, nisi nouam planè, ac Iudæis parùm cognitam circuncidendi fœminas rationem, ex tua recondita eliciendi arte deprompseris. Cúmque Hebræis nõ fuerit permissum, ante octauum vitæ diem infantem circuncidere, si certum est tuum argumentum, ante octauum diem non licet Christianis infantes suos Baptismo tingere. Nos quidem, maximi facimus argumẽtum illud à Circuncisione petitum: si tamen Traditioni Ecclesiæ (vt tu facis) quis fidem deroget, non necessariò, obfirmato animo negantem infantum Baptismum, conuincet. Quòd si infantes *rem* (hoc est gratiam) sunt consecuti ante baptismum, *Baptismus* certè illis *Sacramentum remissionis peccatorum nõ erit*. Explica nobis interim, qua ratione Christianorum infantes Sancti nascãtur, si non antè Peccatum originis deleatur, quàm Baptismum suscipiant.

Baptismus infantium est traditio Apostolica.

Puellas baptisandas esse Minister probare non potest, ex eo quem adducit loco.

Minister non sibi constat.

MINISTER. pag. 43.

Totas familias Apostoli baptizarunt, an infantes prætermiserunt?

CATHOLICVS.

Hoc quidem ab Apostolis factitatum nos ingenuè profitemur. Tuum verò esse contendimus, Infantum Baptismum, expresso, & scripto Dei Verbo, præceptum demonstrare, quò melius Anabaptistarum furorem coercere possis.

MINISTER. pag. 43.

Verùm alia argumenta prætermittimus à nostris Ecclesiis Anabaptistarum furoribus opposita, quos sine vestri illius Verbi non scripti mysteriis illa potuerunt refutare.

CATHOLICVS.

Saltem non refutarunt: neque tantam fuisse argumentorum vestrorum vim, quantam tu prædicas, nobis antè persuadebis, quàm Anabaptistarum furores à vobis refutatos intelligamus. Disce à Dialecticis, quid inter *Potuerunt refutare*, & *refutarunt*, intersit:

Certè

Certè non existimo te, si sanus es, leuissima ex iis quibus vestræ Ecclesiæ sunt vsæ, vt errorem tuum defenderes, scripto consignare voluisse: Quanta autem sit cæterorum, quæ tu orator nouus silentio præteris firmitas, ex dictis æquus Lector facilè iudicabit.

MINISTER. pag. 43.

At cur eodem iure mulieres à sacra Eucharistia communione non exturbatis, & ad Verbum illud non scriptum reuacatis, vt mulieres quoque vobis obligetis?

CATHOLICVS.

Orationis tuæ sententiam, ex Caluini scriptis petere oportet: Nouam enim partium orationis tuæ inter se copulationem, sine interprete ægrè admodum percipere valeo. Cùm Anabaptistę Caluinum argumento illo vulgari premerent, *Nusquam commemorari paruulorum Baptismo Apostolos esse vsos,* Respondit, *Nusquam etiam legi administratam ab ipsis fuisse Cœnam, vel vnica mulieri: Cur ergo plus difficultatis in vno, quàm in altero constituunt?* Quæstio tua, quam à Caluino es mutuatus, si errorum vestrorum principia vera essent, non tam facilè, vt ipse existimat, dissolui posset. Verùm, cùm nos, omnibus in rebus, Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem sartam tectam esse velimus, nullo negotio respondemus, Apostolos multa fecisse, quæ in Scripturis sacris non leguntur, in Ecclesia tamen diuino beneficio, per Traditionem non scriptam diligenter retinentur. Ac vt de infantum Baptismo, cum Diuo Augustino concludam. *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio.*

Caluin in instruct. aduersus Anabaptistas.

August. de Genesi ad literam lib. 10. cap. 23.

Baptismus puerorũ ex Apostolica traditione.

CAPVT LII.

MINISTER. pag. 43.

QVod de perpetua Sancta Maria Virginis, quam inter omnes mulieres felicissimam credimus, & erudita Vetustatis more, Dei matrem etiam appellamus, Virginitate dicitis, perexiguum sanè est: dummodò augustum illud, & planè diuinum de Virginis partu mysterium retineatur, Ecce virgo pariet. De quo mysterio dilucida extant in Prophetarum & Apostolorum scriptis testimonia.

CATHOLICVS.

Fidei Christianæ dogma, est tibi Caluini ministro *res perexigua:* Quid ergo magnum esse iudicabis? Beza (quem tu magnum Theologum nuncupas) in fidei Articulis in Conuentu Pissiaco propositis, perpetuam Dei genitricis Virginitatem numerauit: Quã posteà, cùm certo Scripturæ testimonio confirmare non posset, ex Articulorum numero reiecit: imò contra Brentium differens, planè negauit, contráque *dilucida, quæ extare* concedis, *in Prophetarum & Apostolorum scriptis testimonia,* in partu Virginitatis iacturam, Dei Matrem fecisse, impurus Poëta ἀσεβέστατος cõtendit. Perexiguum est

Claudius sanctesius in 4. repetitione de veritate Eucharistia, c. 4.

Bezæ inconstantia, & impietas.

vobis, damnatam Iouiniani hæresim renouare, qui Augustino teste, *Virginitatem Mariæ destruebat, eam pariendo fuisse corruptam asserens.* Suscipe, si audes, impietatis contra diuinum de Virginis sacrosanctę partu mysterium patrocinium, vt Bezam magni Theologi nomine à te meritò insignitum nobis confirmes.

Aug. lib. de hæresibus, hæresi 82.

MINISTER. pag. 43.

Si nato Christo Mariam Iosephus cognouisset, ecquid tandem esset incommodi, quum in sanctæ Virginis matrimonio Christus matrimoniũ sanctificare voluerit, & miraculo primùm à se edito illud honestare?

Horrẽdum Ministri dictum de B. Mariæ perpetua virginitate.

CATHOLICVS.

Iuliani Apostatæ impiissimam vocem audire mihi videor: Quid enim infensissimo Christianæ religionis hosti, detestabilius in mentem venire potuit, quàm quod à te modò dictum est, vt thalamus ille Christi Seruatoris nostri purissimus, alieno semine pollueretur? Nihil-ne incommodi fuisset, si perpetuæ Virginitatis votum, quod Deo nuncupauerat ἡ δῖα ἀειπαρθένος violasset? Apage istud Machometi probrum, Beatissimæ Virgini à Caluini Ministro obiectum, & illi Virgini quam κατὰ τὴν ἐξοχὴν, diuinus Vates Isaias, non cõmuni nomine בחולה. sed העלמה nominarit: Quippe quę sicut reliquis omnibus Virginibus nomen excellentius sortita est, sic etiam præ omnibus aliis Virginibus, Virginitatis studium toto vitæ suæ tempore amplexa est: Nisi fortè, recutitis verpis Minister velit se adiungere, qui hanc præclaram vocem העלמה non singulari illi Virgini, sed leui cuicunque adolescentulæ conuenire posse autumant. Caluini porrò Præceptoris tui doctrinæ repugnas, qui sponsalia tantùm fuisse inter sanctissimam Virginem & Iosephum facta contendit: Explicans enim verba illa Matthæi, *Christi autem generatio, sic erat &c. Sensus*, inquit, *erit, nondum Virginem traditam fuisse in manum viri à parentibus, sed adhuc sub eorum custodia vixisse*, Et paulò antè, *Quo ad fidem coniugij, simul ac puella viro promissa erat, Iudæi instar legitimæ vxoris habebant, itaque Lex adulterij damnabat, quæ sponsalibus contractis castitatem violauerant.* Excogita, aut potius elice, nouam aliquam verborum Caluini tui explicationem, qua doceas tuum scriptum ab ipsius sententia non abhorrere. Ex eo verò quòd Christus Dominus miraculo Matrimoniũ honestârit, tantùm concludes Matrimonium esse rem sanctã: Quod Catholici omnes confitentur, qui & illud in septem Ecclesiæ Sacramentis (quod vos non facitis) optimo iure numerant.

Vide D. August. de Sãcta Virginitate cap. 4.

Minister Caluino repugnat.

Caluin. in Matt. ca. 1. §. 18.

Calu. in harmon. ad ca. 1. Matt. §. 18. Ioan. 2.

Catholici pluris faciũt Matrimonium quàm Hæretici.

MINISTER. pag. 43.

Veteris & orthodoxæ Ecclesiæ, de perpetua Dei Matris Virginitate hac in re sententiam amplectimur.

CATHOLICVS.

Cur obsecro de *perpetua Dei Matris Virginitate veteris Ecclesiæ sententiam amplecteris*, cùm tamen in aliis fidei dogmatis eam prorsus asper

sus asper

ſus aſpernetis? Cúmque exiſtimes Eccleſiam errare poſſe, vnde eam hac in re definienda ab errore liberam eſſe didiciſti?

Reſponde præterea qua fronte ſapientiſsimi viri Diui Hieronymi prudentiam deſideres? *Quòd* (inquis) *in virum non alioqui (vt apparet) malum, neque indoctum, tanto impetu inuehatur.* Hinc ſanè verum eſſe conſtat Craſsi ἀγελάστου dictum, *Similes habent labra lactucas.* Hæreſiarcha tuo iudicio, non eſt malus? Contemptorem Dei, eiúſque Matris ſanctiſsimæ, ſcelere liberare conaris? Quid hoc aliud eſt, quàm ſceleſti hominis perfidiam probare? Nonne ſcis morte eſſe dignos, non ſolùm eos qui mala faciunt, ſed etiam qui facientibus conſentiunt? Neque indoctus tibi eſt Heluidius. Vidiſtíne eius libros, ex quibus de hominis eruditione iudicium ferre potueris? Quis veterum, obſecro, doctrinæ laudem Heluidio vnquam tribuit? Vtri potius habenda eſt fides, tibi-ne an D. Hieronymo, qui Heluidij ſcripta diligenter legit, quidq́; de eius eruditione ſentiēdū ſit, ita nobis explicat. *Nuper rogatus à fratribus, vt aduerſus libellum cuiuſdam Heluidij reſponderem: facere diſtuli, non quòd difficile, fuerit hominem ruſticanum, & vix primis quoque imbutum litteris ſuper veri aſſertione conuincere, ſed ne reſpondendo dignus fieret qui vinceretur. Huc accedebat, quòd verebar ne homo turbulentus, & ſolus in vniuerſo mundo, ſimul laicus & Sacerdos qui (vt ait ille) loquacitatem facundiam exiſtimat, & maledicere omnibus, bonæ conſcientiæ ſignum arbitratur, accepta materia diſputandi amplius inciperet blaſphemare, & quaſi de ſublimi loco in totum Orbem ferre ſententiam, méque quia veritate non poſſet, laceraret conuitiis.* Quæ à D. Hieronymo, Heluidio tribui audis, in vos Caluini Miniſtros optimè quadrant, qui ſimul & laici, & Sacerdotes eſſe vultis.

Miniſter in D Hieron. contumelioſus.
Rom.1.32.
Miniſter Heluidii ſcripta non vidit.
Hieron. ad uerſ. Heluidium.
Hæreticus indoctus cōtrà quàm ſentiat Miniſter.
Miniſtri ſimiles Heluidij.

MINISTER. pag. 43. & 44.

Sed ad perpetuam Sanctæ Θεοτόκου Virginitatem, nihil opus erat ad Verbum illud Non ſcriptum confugere, cùm ex ſcripto ſatis perſpicuè poſsit illa colligi.

CATHOLICVS.

Stupidus ergo fuit D. Hieronymus, qui ex ſcripto Verbo perſpicuè illam non collegerit. Demens planè Beza, qui contra ſcriptū illud tuum Verbum, corruptam fuiſſe Dei Matris Virginitatem ſe probaſſe exiſtimauit. Tibi ſoli eſt perſpicuum, quod hactenus mortales omnes latuit.

Miniſter omnibus oculatior ſcilicet.

MINISTER. pag. 44.

Ait enim disertè ſcriptura, Ioſephum non cognouiſſe Mariam donec peperiſſet filium ſuum: eodem planè genere dicendi, quo dicitur Michol Dauidis vxor, nullos liberos ſuſtuliſſe vſque ad diem obitus ſui, id eſt nunquam: & Chriſtus ipſe in cœlum aſcendens, ecce vobiſcum ero, inquit, vſque ad conſummationem ſeculi. Ex quibus verbis colligi non poteſt Chriſtum nobiſcum non eſſe futurum poſt conſummationem ſeculi.

Miniſter corrumpit textum ſcripturæ: non enim dixit Chriſtus *vobiſcū ero*, ſed *vobiſcū ſum* & græcę μεθ' ὑμῶν εἰμι.

CATHOLICVS.

Tu anteà ab eruditione Heluidium laudasti, & nunc re ipsa hominem doces fuisse in diuinis literis planè hospitem, cùm eodem argumento, quo ipse Dei Matris Virginitatem labefactare sibi visus est, tu eam defendas. Alterum sanè vestrûm in summa rerum sacrarum ignoratione, necessariò versari concedere cogeris. Quonam argumento Heluidium cõuinces, qui negat *idem tuum dicendi genus?* Vnico verbo tua perspicuitas corruit, & in summam est conuersa obscuritatem. Nos ex Traditione Apostolica, de perpetua B. Mariæ Virginitate, optimè probamus verba illa Matthæi: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* nihil contra eiusdem τὴν ἀειπαρθενίαν facere. Et quemadmodum tu dicis ex verbis Domini, *Ecce vobiscum ero &c. colligi non posse Christum nobiscum non esse futurum post consummationem seculi*, Ita dicet aliquis (qui non Heluidium, sed Heluidij impietatem, contra tuam inscitiam tueri volet) ex verbis illis *Non cognoscebat*, colligi non posse τὴν ἁγίαν Θεοτόκον post partum, Virginitatis suæ detrimentum cepisse, & præterea nihil. Instituenda tibi erit hunc in modum ratiocinatio: Ex verbis Matthæi non colligimus Dei Genitricis Virginitatem fuisse imminutam, ergo credendum est eandem Dei Genitricem, Virginitatem perpetuam conseruasse. Si tibi non placet hic ratiocinandi modus, doce qua in re, positis tuis principiis, à me sit peccatum.

(Ministri inscitia.) (Matt. c. 1. 25.)

MINISTER. pag. 44.

Particula enim, vsque, interdum ita refertur ad tempus præcedens, vt de sequenti non affirmetur contrarium: Quemadmodum magnus ille Theodorus Beza, quem omnium doctorum consensus Theologum appellat, vobis, Iesuitæ, illum nequicquam lacessentibus, in aureis illis suis Annotationibus doctissimè scripsit.

CATHOLICVS.

Perspicua sanè dogmatis fidei probatio, *Vsque, interdum refertur ad tempus præcedens, vt de sequenti non affirmetur contrarium.* Et interdum, imò sæpissimè in Scripturis aliter accipitur vox, *Vsque*, siue *donec*, atque locis à te citatis, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo: donec reuertaris in terram de qua sumptus es:* Dic nobis, an *donec* hoc loco significet nunquam? *Camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* Negã Rebeccam hausisse aquam, & Camelos bibisse contra Scripturam, *Effundénsque* Rebecca *hydriam in canalibus recurrit ad puteum, vt hauriret aquam, & haustam omnibus camelis dedit. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* Si hoc loco, *Donec*, significat nunquam, necesse est vt nobis probes, *sceptrum de Iuda* non esse ablatum, aut certè Mesiam nondum venisse. Lege Scripturas, atque ex Ecclesiæ interpretatione earum veram, & germanam intelligentiam disce.

(Vsque, & donec geminã habent significationem.) (Genes. 3. 19.) (Gene. 24. 19.) (Gene. 24. 20.) (Gene. 49. 10.)

disce. Nos plurima testimonia *ad tria* non *restringimus*, sed breuitatis causa longiore testimoniorum enumeratione supersedimus: Et quia tuus Beza rem perspicuam (si tu rectè ipsius verba exscripsisti) obscurauit, adiiciam argumenti illius Heluidij solutionem, quam post D. Hieronymum, D. Thomas, Scholasticorum princeps attulit. *Dicit Hieronymus quod Vsque, vel Donec, in Scripturis, dupliciter potest intelligi, quandoque enim designat certum tempus, secundum illud Galat. 3. Propter transgressionem Lex posita est, donec veniret semen cui promiserat. Quandoque verò signat infinitum tempus, secundum illud Psalmi, Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Ex quo non est intelligendum, quòd post impetratam misericordiam, oculi auertantur à Deo. Et secundum hunc modum loquendi, significantur ea de quibus posset dubitari, si scripta non fuissent: cætera verò nostræ intelligentiæ derelinquuntur, & secundum hoc, Euangelista dicit, Matrem Dei non esse cognitam à viro vsque ad partum, vt multò magis intelligamus cognitam non fuisse post partum.* Quis autem sit hic *doctorum consensus*, *qui Bezam Theologum appellat*, nominare non poteris, & si me errare existimas, eripe mihi tua diligentia hunc errorem, & me tibi magno beneficio deuincies. Bezæ non potuisti aucupari gratiam, quin Caluini manes planè contemneres, cùm vt illius somnia probares, huius doctrinam repudias. Ascribam explicationem verborum Matthæi *non cognouit eam donec*, Ex Caluini harmonia, vt quis sit doctrinę inter ἀρχιερωτάγους vestros consensus, Christianus Lector iudicet. *Huius loci*, inquit Caluinus, *prætextu magnas quondam turbas mouit Heluidius in Ecclesia, quòd inde colligeret Mariã, non nisi ad primũ vsque partum Virginem fuisse: posteà autẽ ex marito sustulisse alios liberos. Perpetua Mariæ virginitas acriter & copiosè ab Hieronymo defensa fuit, nobis hoc vnũ sufficiat, stultè & perperam ex verbis Euãgelistæ colligi, quid post Christũ natum cõtigerit.* Stultus igitur es Minister, stultus & tuus ille magnus Theologus Beza, Caluini iudicio, cùm ex verbis *Euangelista colligatis, quid post Christum natum Virgini Matri contigerit.*

D. Thom. in 3. part. q. 28. art. 3. ad 3

Psal. 122. 2

Minister Bezam laudãs Caluinum vituperat.

Cal. ad c. 1. Matth. §. 25.

CAPVT LIII.

Atque hæc de duobus fidei dogmatibus (quæ repudiare cogeris, omnia ad scriptum Verbum reuocans) dicta sint. Superest vt videamus, an tam restrictè præfinierimus Dogmatum non scriptorum numerum, vt tu calumniaris, scribens: *Pleraque illa ad duo restringitis, si qua alia sint, docete, vt pro virili nostra, vobis laborantibus succurramus.* Opem certè non tantùm nobis, ô noue Theseu, sed & D. Augustino feres, qui in alio dogmate de Hæreticorum Baptismo, quod ille Scripturæ testimoniis probare se posse diffidẽs, ad Ecclesiæ consuetudinem, & consensum refugit, vt ex his eius verbis, videre est: *Apostoli nihil exinde præceperunt, sed consuetudo*

Pag. 43.

Baptismum Hæreticorũ valere ex scriptura probari non potest.

August. lib. 5. de baptismo contra Donatistas c. 23.

illa, qua opponebatur Cypriano, ab eorum Traditione exordium sumpsisse credenda est: sicut sunt multa quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur; quanquam scripta non reperiantur. Et ex alia eiusdem sententia, constat veteres illos Patres, qui ipsum ætate præcurrerunt, nullis Scripturæ testimoniis, sed solius Traditionis vi & pondere, cum Agrippino, & Cypriano hac de re decertasse, quam tanti Augustinus fecit, vt contra Cresconiũ Grammaticum scripserit, *Quamuis huius rei certè, de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, vt quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiam de illa consulat.* Experiamur vires tuas in ope D. Augustino ferenda, & ne tibi respondendi ansam præripiam, de industria non refutabo, quæ Lutherani commenti sunt, vt docerent Christianum hoc de Hæreticorum Baptismo Dogma, apertis Scripturæ testimoniis probari posse.

Et lib. 2. c. 8.

Et lib. 1. cōtra Cresconium grammaticum. c. 33.

In dubiis ad Ecclesiam recurrendũ.

Quarto loco infantes Baptismi sacramento initiatos, in Christianis esse numerandos, Ecclesiæ auctoritate, quamuis hac de re nihil in Scripturis sacris inueniatur, sic probat Augustinus, *Absit, vt ego dicam non credentes infantes. Iam superius disputaui, credit in altero qui peccauit in altero: dicitur, credit & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hoc habet auctoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis obtinet Canon, contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat ipse confringitur.* Et alio loco idem confirmat, scribens: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus est Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. In quo igitur horum genere ponemus infantes? in eo qui credunt in Filium, an in eorum qui sunt increduli Filio? In neutro, ait aliquis, quia cum adhuc credere non possunt, nec increduli deputandi sunt, non hoc indicat Ecclesiastica regula, quæ baptizatos infantes fidelium numero adiungit.* Caluinus tuus cùm animaduerteret in Scripturis salutare Baptismum lauacrum, ita cum fide copulari, vt iis qui non crederent tribui nullo modo posse videretur, Infantes credere, & intelligentiæ vsum habere[a] (ne ab Anabaptistis conuinceretur) concedere primùm non erubuit: deinde tamen sententiam hanc absurdissimam, in posterioribus Institut. suarũ editionibus mutauit.[b] Idem August. alibi, *Illud perscrutari homines solent, Sacramentum Baptismi Christi quid paruulis prosit, cùm eo accepto plerunque moriuntur, priusquam ex eo quicquam cognoscere potuerunt, quæ in re satis piè rectéque creditur, prodesse paruulo eorum fidem, à quibus consecrandus offertur, & hoc Ecclesiæ commendat saluberrima auctoritas.* Profer Scripturæ testimonia, quibus paruulos fidem Christianam habere, probare valeamus, & eam fidem quam Caluinus Christiano homini

Infátes baptizatos in Christianis numerãdos nulla scriptura docet.

Aug. de verbis Apostoli serm. 14.

Ecclesiæ robur inexpugnabile.

Idem lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 20.

a Calui. inst. c. 4 ex editione Thomæ Platteri Basileæ. 1536.

Vsum rationis infantibus absurdè tribuit.

b Caluin. lib. 4. inst. c. cap. 16. §. 20.

August. de libero arbitrio. lib. 3. c. 23.

mini necessariam existimat, quamque definiuit[a] *esse diuinæ erga nos beneuolentiæ firmam, certámque cognitionem, &c.* Quod si feceris, antiquam illam Caluini de intelligentiæ in Christianorum Infantibus vsu renouabis dementiam. Venio ad quintum dogma non scriptum, de quo D. Augustinus. *Per Heliam magnum, mirabilémque Prophetam exposita sibi lege, vltimo tempore ante iudicium, Iudæos in Christum verum, id est in Christum nostrum, esse credituros celeberrimum esse in Sermonibus, cordibúsque fidelium, ipse quippe* (inquit) *ante aduentum iudicis Saluatoris, non immeritò speratur esse venturus, qui etiam nunc viuere non immeritò creditur.* Hanc sententiam si legisset Caluinus, non tam temerè, quod Christiani de aduentu Eliæ & Enoch credunt, *fascinationi diaboli* tribuisset. *Enoch & Elias* (inquit D. Augustinus) *in Adam mortui, mortísque propaginem in carne gestantes, quod debitum vt soluant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, & quod tamdiu dilatum est morituri, nunc tamen in alia vita viuunt.* Si ordine vellem omnia fidei dogmata non scripta recensere, vereor ne me tempus potius, quàm scriptio deficeret: Quæro tantùm ex te, vbi scriptum sit Patrē esse ingenitum: Filiū esse Patri ὁμοούσιον: Spiritum Sanctum esse Deum: In Christo duas esse naturas, operationes & voluntates: In diuinis esse tres personas: Spiritum Sanctum à Patre Filióque procedere, quæ in Scripturis expressa nunquam inuenientur. Dices forsan hæc ex Scripturis certa ratiocinatione concludi: At quod sola ratiocinatione ex Scripturis concluditur, in ipsis expressum non est. Certè Calninus Vbiquitarios Scripturæ testimoniis ad errorem de immensitate corporis Domini abutentes, verbo non scripto represit. *Quòd pro se*, inquit, *testimonia illa adducunt, nemo ascendit in cælum nisi qui descendit, filius hominis qui in cælo est; Item, filius qui est sinu Patris ipse enarrabit, eiusdem est stuporis spernere Idiomatum κοινωνίαν, quæ non frustra olim à Sanctis Patribus inuenta est* Disce à Præceptore tuo, Verbo non scripto contra Hæreticos vti. Si Idiomatū κοινωνία olim à Sanctis Patribus est inuenta; fide ergo aliquid tenemus, quod scriptum non est. Vos præterea Caluiniani non septimum (vt scriptum Verbum præcipit) sed primmm τῆς ἑβδόμαδος diem cultui diuino dicandum asseueratis, qua in re præscriptas à vobis leges, quibus ad solius scripti Verbi normam, fidem actionésque omnes dirigi oportere statuistis, vos violasse non potestis inficiari. Ad hæc doce certo aliquo Scripturæ testimonio, sola fide nos iustitiam,[a] quā appellatis imputatiuam, adipisci? Neminem mortalium posse omnibus Dei mandatis parere? [b]omnia quæ ab hominibus fiūt,[c] peccata esse? Hominis voluntatem non esse liberam?[d] Ac ne te multis detineam, quæcūque contra Ecclesiæ Catholicæ sententiam Synagoga vestra defendit, alicubi in Scripturis sacris extare ostendito.

MINI

a Cal. lib. 3. inst. c. 2. § 7.

Aug. li. 20. de Ciuit. Dei. cap. 29.

Cal. in harm. ad 17. caput Matth. § 11.

Aug. lib. 9. de Genesi ad literam cap. 6.

Pleraque creduntur quæ in scripturis expressa non sunt.

Caluin. lib. 4. inst. c. 17 § 30

Calu Verbo non scripto contra Vbiquitarios vtitur.

Exod. 20. 8.

Caluinistæ Domini diē ex traditione sola colunt.

a Calu. lib. 3. instit. c. 11. § 22 & 23.

b Anid. Côc. Trident. in Can. 18.

c Lib. 3. c. 4. § 9.

d Lib. 1. c. 15. § 8.

MINISTER. pag. 44.

Atque hæc quidem in vestrarum Assertionum ἐκδόσεις breuiter dicta sunto.

CATHOLICVS.

Dicendum erit denuò & fusius: βραχυλογία enim tua facta est ματαιολογία. Sed cur tertiam Assertionem à reliquis duabus, tui immemor, nunc primùm disiungis? Agnosce quod initio disputationis scripsisti, nempe, *Quæstio est de verbi Dei, & Ecclesiæ autoritate, huic quæstioni de vestra sententia explicandæ adhibentur tres Assertiones.* In Arithmetices scientia, dum nimium tibi fidis, tecum ipse pugnas: nam tertiam Assertionem à proposita Quæstione, tuo iudicio, esse alienam, noua tua inscriptio, satis indicat.

Pag. 8. Minister antedictorum obliuiscitur.

CAPVT LIIII.

MINISTER. pag. 44.

Restant Chola, quas Scholæ illæ vestræ Turnonij imperij oppidò quàm infelices, importunissimis calumniis in nos nihil tale merentes effuderunt.

CATHOLICVS.

Tua, Minister sententia (quam nemo, nisi pietatis hostis probabit) *Turnonij imperij Scholæ infelices sunt.* Nomina hanc infelicitatem obsecro. Restituitur quotidie, Dei beneficio, Societatis nostræ opera, Christiana pietas (quam scelerati aliquot Apostatæ propè extinxerant) ciuium numerus in dies augetur, Scholarum exercitationes in Academia nostra florent: & tu tamen homo pudens, veritatis singularis patronus, Scholas nostras infelices tuo parum fœlici scripto nuncupas. Vigebit, mihi crede, Turnonium Imperium, quod Secta vestra propter res à duobus Turnoniis fratribus pro aris, & focis præclarè gestas, lubenter sublatum esse cuperet. Nullas verò in te hominem obscurum, & vt coniicimus, terræ filium, calumnias Scholæ nostræ effuderunt, sed nudam veritatem (quam tu improbare non potuisti, quin calumniæ notam nobis falsò inureres) publicè examinandam proposuimus, vt Caluini doctrinam mera esse somnia, nullus (qui concertationibus nostris interesset) amplius posset ambigere.

Scholæ Turnoniæ felices.

MINISTER. pag. 44.

Sed si argumentis vestris argumenta nostra opposuimus (etiam iunimus, vt melius perciperentur) non idcirco conuitia conuitiis regeremus.

CATHOLICVS.

Nullum in nostris Assertionibus conuitium est, Minister. Interim disce ex Cicerone quid *Conuitij* nomine intelligatur, ac tum primùm te non conuitia regerere nobis, quæso, proba. An conuitium non esse putas quod scribis, *Tam falsum esse, quàm scomma illiberale & sycophanticum, id est, planè Iesuiticum?* Atque, vt tuas Sycophantias nunc

Pag. 44.

tias nunc relinquamus, te periurum probabo, quò nemo tibi fidem habeat in posterum.

MINISTER. pag. 44.

Nos pro libidine sacras Scripturas interpretari, calumniam esse Dominus Deus noster nouit.

CATHOLICVS.

Non potuisti sine periurio veritatem improbare, efficiã vt quicunque hoc scriptum legerit, Caluinianos, *pro libidine sacras Scripturas interpretari*, imò deprauare intelligat. Fortassis Deo præpotenti (cui certos agendi fines præscribitis)[a] aliquarũ rerum scientiam adimetis. Sed ad rem: quod scriptum est,[b] *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*, pro vestra libidine vertistis,[c] *Toutesfois sa volonté est subiecte à toy, & as le gouuernement sur luy.* Non satis fuit pessimè reddidisse Gallicè Scripturæ sententiam, nisi errorem vestrum scholio, inscitiæ vestrę perpetuò teste confirmaretis. *Sur. luy à sçauoir de ton frere, la proprieté de la langue Hebraique ne permet pas que cecy s'entende du peché.* Hæc linguæ Hebraicę, cuius cognitionem vobis arrogatis, proprietas explicanda fuit. Vos Ecclesiæ, de fidei dogmatibus testimonium dicenti fidem habere recusatis, si Scripturæ testimonio luculenter se verum testari non confirmauerit, & nunc vultis, vt omnes, vobis, nullam inscitiæ vestræ rationem reddentibus, credant. Non fuit linguę Hebraicæ proprietas, quæ vos mouit, vt apertam hanc Scripturæ sententiam deprauaretis, sed singulare, quo Secta vestra tenetur, studium improbandi liberam hominis voluntatem, quam ex hoc loco Catholici Scriptores optimè semper probarunt. Synagogæ vestræ D. Hieronymũ opponemus, vt te periurij reum meritò à nobis factum inficiari non possis. *Ait Dominus ad Cain: Quare irasceris, & quare concidit vultus tuus? Nõnne si bene egeris dimittetur tibi, & si non bene egeris, ante fores peccatum tuum sedebit? & ad te societas eius, sed tu magis dominare eius. Quod autem dicit, hoc est, quare irasceris, & inuidiæ in fratrem liuore cruciatus, vultum dimittis in terram? Nõnne si bene feceris, dimittetur tibi omne delictum tuum, siue vt Theodotio ait, acceptabile erit, id est, munus tuum suscipiam, vt suscepi fratris tui. Quòd si malè egeris, illico peccatum ante vestibulum tuum sedebit, & tali ianitore comitaberis, verùm quia liberi arbitrij es, moneo vt non tibi peccatum, sed tu peccato domineris. Quod autem in lxx. Interpretibus fecit errorem, illud est, quia peccatum, id est* חטאת chatat, *in Hebræo generis masculini est, in Græco fœminini, & qui interpretati sunt, masculino illud, vt erat in Hebræo genere transtulerunt.* Responde D. Hieronymo Synagogam vestram non pro sua libidine interpretari Scripturas, quas tanti viri testimonio vos deprauasse conuicimus. Et quia Caluinus scribit, *Et rem ipsam & rationem grãmatica postulare comparationem fieri Cain, & Abelis, quia primogenitus fra-*

a *Caluin lib. 1. Inst. c. 7. §. 5. in capit. 23. Isa. § 9.*
b *Genes. 4. 7.*
c *Biblia Gebenens. Lugduni excusa à Petro Michaële anno 1566.*

Caluinistæ pro libidine scripturas interpretantur.

Hieronym. in quæstionibus Hebraicis in Genesim.

Liberum hominis arbitriũ probatur.

Caluin. lib. 2. inst. c. 5. § 16.

ter minori posthabitus non fuisset, nisi proprio scelere deterior. Ostendemus nouam Præceptoris tui grammaticam consistere non posse: quin Deum, cuius orationem refert Moses, in loquendo errasse fateatur, quod planè impium est. Nihil enim ineptius cogitari potest, quàm si dicamus pronomen, *illius*, in oratione illa Domini, *Tu dominaberis illius*, ad Abelem (quem Dominus antegressis verbis nō nominauit) referri debere, licet Moses initio capitis Abelem nominarit, non tamen Deus, vt perspicuum est ex oratione Domini, quam integram adscripsi, vt Caluini impudentia perspicua sit omnibus. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Et quāuis ex instituto de libero arbitrio non disputem, volo in hoc primò deprauatæ à vobis Scripturæ exemplo, in omnium oculis impietatem vestram sic defigere, vt in aliis, quæ mox adducturus sum, Christianus Lector me, nihil vobis affinxisse, certò intelligat. Accipe ergo verborum Domini accuratā quam tradidit D. August. intelligētiam, *Rationem*, inquit, *Deus reddens cur eius, (Caini) oblationem accipere noluerit, vt sibi ipse potius meritò, quàm ei immeritò frater displiceret, cùm esset iniustus non rectè diuidendo, hoc est non rectè viuendo, & indignus cuius approbaretur oblatio, quàm esset iniustior quòd fratrem iustum gratis odisset, ostendit, non tamen dimittens sine mandato sancto, iusto, & bono. Quiesce, inquit, ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius. Nunquid fratris? absit. Cuius igitur nisi peccati? dixerat enim peccasti, tum deinde addidit, quiesce, ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius.* Argue D. Augustinum inscitiæ, vt Archisynagogum vestrum, à fœdissimi sceleris nota vindices. Nugas Caluini, quibus prauitatem suam tueri conatur, tibi in Responsione tua proponendas relinquo, ne si omnia persequar, in immensum excrescat volumen. Alter locus, qui te peierasse conuincit est, Quod scripsit Matthæus Dominum dixisse, *Non omnes capiunt verbum istud*, & Græcè, οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον, Caluinus vertit, *Non omnes capaces sunt huius dicti.* Quasi verò idem sit Caluino οὐ πάντες χωροῦσι, & οὐ πάντες εἰσὶ χωρητοὶ, non omnes capiunt, &c, non omnes sunt capaces. Conclude ex hac Magistri tui doctrina idem esse ridere, &c, posse ridere. Et quia omnibus hominibus est innata quædam ridendi vis, ac vt in Scholis Philosophi loquuntur, omnes homines sunt risibiles, omnes ergo ridebunt, & hoc sine intermissione: Nam ridendi vis & facultas vi naturæ ab homine seiungi nequit, vt tu probè nosti, qui Platonis & Aristotelis doctrinam qua ratione coniungamus præscribere instituisti. *Tertius* locus tui periurij testis erit ille quem apud Lucam legimus. [e] *Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Quam sententiam Synagoga vestra

Genes. 4. 6. 7.

August. lib. 15. de ciuit. Dei cap. 7.

Homo dominari potest peccatis.

Matth. 19. 11. Non omnes capiunt verbum istud, corruptum à Caluino.

[e] *Act. 1. 26.* Corruptiolo ci de D. Mathiæ electione.

vestra Gallicis verbis ita reddidit, vt quod à Luca scriptum non fuit, eum scripsisse fingat, *Adonc ils ietterent le sort d'iceux, & le sort cheut sur Mathias, qui d'vn commun accord fut mis au nombre des onze Apostres.* Vbi legistis, *d'vn commun accord?* Caluinus nihil eiusmodi habet, cùm ad hunc modum legat: *Et dederunt sortes eorum, & cecidit sors super Mathiam, & conscriptus fuit vndecim Apostolis.* At fraus vestra nos non latet, hac enim Scripturæ deprauatione voluistis Magistratus Ecclesiasticos à plebe esse eligendos, cùm tamen gregis vestri homines, sese multis, vel inuitis ciuitatibus obtrudant. Obseruarunt Catholici in Germania Lutherum auum tuum, in priore Noui Testamenti germanica versione, Christi Domini, & Apostolorum doctrinam, trecentis, aut eò amplius locis deprauasse. Sic spero sexcentos fœdos errores, quos Gebenensis Synagoga, in Scripturæ Gallica versione commisit, propediem, Catholicorum opera, in publicum propositos videbis. Ac ne institutę breuitatis leges violasse videar, vnum tantùm à magno tuo Theologo Beza D. Lucæ locum insigniter deprauatum proferam, ne in posterum diuinum numen, vt tuum mendacium confirmet, inuoces: Quod scripsit Lucas ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδην, Latinè pro libidine sua reddidit, *Non derelinques cadauer meum in sepulchro.* Puduit tandem ipsum Bezam nequitiæ, quare Palinodiã cecinit scribens: *Fateor cadaueris nomen, nec mortuo quidem Christi corpori satis conuenire, ac proinde in altera editione mutaui, sed eandem sententiam semper retinui.* Fatetur se mundo illudere, qui verba mutat, sententiam autem retinet: at vnde, ipsius, si non ex verbis, sententiam discernes? Certè Beza à Patris sui Caluini sententia desciuit, cùm ad hunc modum eadem Lucæ verba latinè reddiderit. *Non derelicta sit in inferno anima eius.* Et quia Bezæ palinodia nihil nos obiecisse vobis à veritate alienum testatur de Scripturis à vobis ex Hæbraicis, & Græcis, in alias linguas conuersis, iam nihil dicam amplius, postquam vnum, aut alterũ locum (quem interpretando deprauastis) proposuero.

Fraus hæreticorum.

Act. 2. 27.

Beza in annot. in nouum testament. corrumpit locum Psal. 15. Nõ relinques animã meam in inferno.

CAPVT. LV.

CATHOLICVS.

PRæclaram illam, qua Baptismi necessitatem Catholici in primis cõfirmant Domini sententiam,[a] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, Caluinus de Baptismo intelligi negat; Quam impietatem cõdemnauit[b] Concil. Trident. Vt Caluini inscitiam in Scripturis interpretandis conuincam, paucis expendam hominis commentum. *Falluntur*,[c] inquit, *quòd Baptismi mentionem fieri hoc loco putant, quia aqua nomen audiunt, Postquam enim naturæ corruptionem Nicodemo exposuit Christus, ac renasci oportere docuit, quia ille renascentiam corporalem som-*

a Ioan. 3. 5.

b Concil. Trident. Sess. 7. Can. 2.

c Lib. 4. Inst. c. 16. §. 25.

Falsa Caluini de baptismo interpretatio.

niabat, modum hîc indicat quo regenerat nos Deus, nempe per aquam & Spiritum, quasi diceret, per Spiritum qui purgando & irrigando fideles animas, vice aquæ fungitur. Aquam ergo & Spiritum simpliciter accipio pro spiritu, qui aqua est. Idem alio in loco ait cum D. Chrysostomo maiorem Interpretum Scripturæ partem, Aquæ nomen ad Baptismum referre. Nónne hinc igitur vides Dictatorem tuum proteruè Veterum consentientem Interpretationẽ aspernari? Certè D. Augustinus variis in locis Verba hæc Domini de Baptismi Sacramento intelligit. *Sicut*, inquit, *bono Catechumeno Baptismus deest ad capessendum regnum cælorum, sic malo Baptizato vera conuersio Qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit regnum cælorum, ipse etiam dixit, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum: Namque ne secura esset iustitia Catechumeni, dictum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum. Rursus ne percepto Baptismo, secura esset iniquitas baptizatorum, dictum est, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Alterum sine altero parum est, vtrunque perficit illius possessionis heredem.* Ex aliis etiã eiusdẽ Auctoris verbis concludimus maiorem esse Caluini in peruertendis Scripturarum sententiis quam Pelagianorum dementiam. *Neque consideras* (existima tibi esse dictum Minister,) *in hac causa quantò deterius sapias quàm Pelagius. Ille quippe dominicam sententiam pertimescens, qua non baptizati in regnum cælorum non permittuntur intrare, licet eos, quos ab omni peccato liberos credit, non illò audet paruulos mittere Tu verò sic contemnis quod dictum est, si quis non renatus fuerit ex aqua & spiritu, nõ potest intrare in regnum Dei: vt excepto errore, quo audes à regno Dei Paradisum separare, quibusdam quos reos nasci, sicut Catholicus credis, sine baptismate mortuis, & illius xaatus absolutionem, & regnum cælorum non dubites insuper polliceri, quasi contra Pelagium in originali peccato astruendo, tunc esse possit Catholicus verus, si contra Dominum fuerit in destruenda eius de Baptismo sententia hæreticus nouus.* Dic quæso, nunquid vos Christianorum infantes, *Sine Baptismate in regnum cælorum introduci asseritis?* Quod Pelagiana hæresis nunquàm admisit. Nunquid Domini sententiam, *nisi quis renatus fuerit, &c.* de Baptismo intelligi negatis? quam Pelagius pertimescens non ausus fuit, *in regnum cælorum non Baptizatos mittere.* Et si Vincentius Victor (ad quèm scripsit D. Augustinus libros de Anima & eius origine.) *Vt Catholicus sensit homines reos nasci*, Ergo vos vt Hæretici, existimatis Christianorum infantes omni peccato liberos in hanc vitam ingredi. Atquè vt relinquam veterem Ecclesiam, Scripturæ luculenter regenerationis rationem & modum in lauacro aquæ esse positum testantur. Sic Apostolus, *Viri,*

Caluin. in 3. cap. Ioan. §. 5.

Aug. lib. 4. de Bapt. contra Donatist. cap. 21.

Matth. 5. 21.

Aug. lib. 3. de orig. animæ. cap. 13.

Caluinistæ Pelagianis deteriores.

Viri, inquit, *diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Huius loci sententiam, quamuis Caluinus in Commentariis deprauet, omnem tamen regenerandi vim aquæ non adimit. *Signo*, inquiens, *Deum tanquam organo vti non est absurdum, non quia virtus Dei inclusa sit in signo, sed quia nobis eam pro imbecillitatis nostræ captu, tali adminiculo distribuat.* Catholici dicunt Baptismum esse organum, quo Deus ad gratiam cóferendam vtitur, ita vt infantes sine lauacro aquæ non regenerentur. Et alio loco ait Paulus, *Secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.* Hæc verba de Baptismo intelligi fatetur Caluinus, sic scribens, *Per lauacrum regenerationis, non dubito, quin saltem ad Baptismum alludat, imò facilè patiar de Baptismo locum exponi.* Et paucis interiectis, *Baptismus congruenter & verè lauacrum regenerationis dicitur.* Vt ergo hunc locum concludamus, Renasci ex aqua & Spiritu sancto, est Baptismo aquę regenerari, & renouari per Spiritum sanctū. Quamuis vnus hic locus, quem vos pro libidine vestra estis interpretati apud Christianum lectorem, te periurum esse, demonstret satis superque. Alterum tamen, in quo Caluini insignis dementia elucet, ex [a] Francisco Turriano nostro, mutuabor. Verba Caluini [b] vt suspicor, agnosces. *Qui Ecclesiæ*, inquit, *regimini secundum Christi institutionem præsunt, nominantur à Paulo, primùm Apostoli, deinde Prophetæ, tertiò Euangelistæ, quartò Pastores, postremò Doctores. Ex quibus duo tantùm vltimi ordinarium in Ecclesia munus habent: alios tres initio regni sui Dominus excitauit, & suscitat etiam interdum prout temporum necessitas postulat.* Quid respondebis pro tuo Præceptore, vt periurij quam contraxisti labem deleas? D. Paulus tertium locum in Ecclesia Doctoribus tribuit, Caluinus autem Euangelistis: Vtri ergo fidem potius habendam existimas? Scriptum verbum est: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes.* In Epistola ad Ephesios explicauit varietatem donorum, non autem eorumdem ordinem, vt fecit in Epistola ad Corinthios. Si plura de huius loci deprauatione videre cupis, lege Turrianum in eo quem notaui libro.

[Margin notes: Ephes. 5. 25. — Caluin. in c. 5. epistol. ad Ephes. 5. 26. — Caluinus vt Catholicus sentit Sacramenta esse organa gratiæ. — Tit. 3. 5. — Caluin. in c. 3. epist. ad Tit. 5. 5. — Turrian. lib. 2. aduers. Sadeclem. ca. 3. — b Lib. 4. Inst. c. 3. §. 4. — Calu. locum Apostoli peruertit. — 1. Cor. 12. 28. — Ephes. 4. 11.]

CAPVT LVI.

MINISTER. pag. 44.

NOS pro fidei decretis Hæresiarcharũ errores tãto errore* amplectit vt satius ducamus ipsas Scripturas negare quàm illarum* tribptia repudiare, tam falsum esse quàm hoc scomma illiberale, & Sycophanticum, id est planè Iesuiticum, nostrorum scriptorum & libertas, & reuerentia demonstrat: illa quidem in hominum nostrorum sententiis liberè expendendis atque excutiendis: hæc in sacrarum Scripturarum mysteriis religiosè excipiendis.

[Margin notes: * Studio. — * Illorum.]

CATHOLICVS.

Errore-ne tui librarij, vel Typographi factum dicam, an malitia tua, Minister, vt nostrorum Propositorum verba mutata sint? Nos-ne diximus vos Hæresiarcharum errores tanto errore amplecti, an studio? Debuisses saltem si iam nostras Theses ab oculis tuis remoueras, ad eum recurrere tui libri locum, vbi eas fideliter recitasti, & nos *studio*, non *errore* scripsisse cognouisses. Sicut neque diximus *illarum* vos ineptias repudiare, quasi vos aliquas ineptias in sacris Scripturis reperiisse significemus, cùm nos tantùm id male habeat, quod illorum Hæresiarcharum ineptias nimis exosculemini. Verùm, quid ais, *scomma Sycophanticum id est planè Iesuiticum?* Caue-ne te inde Sycophantam esse quis arbitretur. Volue interim Lexica tua, & disce si non ea, qua decet Christianum hominem modestia, propriè saltem loqui. Ad hæc scio summam in vestri ordinis hominibus esse de aliorum Scriptis iudicandi libertatem, imò potius immoderatam licentiam. Non ignoro etiam tot esse inter vos de fidei rebus dissensiones, vt eas numerare nullus omnino possit. Liberè itaque & vestri Scriptores *vestrorum hominum sententias expēdunt, atq, excutiunt*, Id est, *semper discunt, & ad scientiam veritatis nunquàm perueniunt.*

2.Tim.3.7.

MINISTER. pag. 45.

Fideles quidem Dei seruos in magno habemus pretio, vt augusta Dei dona; in iis Deum tantorum bonorum autorem, colimus atque veneramur; vobis vt idolorum, ita hominum vesanum cultum, id est, vt εἰδωλολατρείαν, *ita* ἀνθρωπολατρείαν *planè relinquimus.*

Caluiniana modestia.

CATHOLICVS.

Cùm nobis petulanter nimis iniuriam imponis, tecum ipse pugnas, Minister, vt in disputatione de Imaginibus videbimus. Si vera essent quæ tu oscitanter de Latriæ significatione disputas, ἀνθρωπολάτρην te esse, ipse negare non poteris.

MINISTER. pag. 45.

Quòd autem nos accusatis sacrilegij, & falsi, & plagij, quasi bonam partem sacrarum Scripturarum, quas Antiquitas approbauit, è sacrorum Codicum numero tollamus: tam falsum est quàm verum ex nostra Confessione constabit, Nos veteris & noui testamenti libros omnes, quos vetus & Catholica Ecclesia agnouit, constanter amplecti.

CATHOLICVS.

Meritò accusamus, nam vos immane hoc scelus commisisse negare, quin tibi repugnes, nulla ratione poteris. Veterem enim & Catholicam Ecclesiam, suprà eam fuisse agnouisti, in qua vixerunt Irenæus, Augustinus, Chrysostomus, (cuius sententiam per inscitiam Cyprianus scripsisti,) & Gregorius magnus, vt ex his verbis tuis constat: *Nónne videtis nos de industria cōplures Scripturæ locos prætermittere, sed pauca audite de Ecclesia Catholica consensu.* Ac posteà

Pag.19.

subiicis

subiicis horum Patrum testimonia: Cæterùm si libros, quos Ecclesia D. Augustini temporibus probauit, Synagogam vestram repudiare docuero, vos esse sacrilegij, & plagij reos inficias ire non poteris. Perpende, an confessio tua cum veteris Ecclesiæ confessione consentiat, quam ille his verbis expressit: *Totus Canon Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus his libris continetur: Quinque Moseos, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, & vno libro Iesu Naue, vno Iudicum, vno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad regnorum principia videtur pertinere. Deinde quatuor regnorum, & duobus Paralipomenon, nō consequentibus, sed quasi à latere adiunctis, simúlque pergentibus. Hæc est historia quæ sibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum. Sunt aliæ tanquàm ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicuti est Iob, & Tobias, & Hester, & Iudith, & Maccabæorū libri duo, & Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam, vsque ad Regnorum, vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ, in quibus Dauid vnus liber Psalmorum, & Salomonis tres, Prouerbiorum, Cantica Canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, vnus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur: Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur, qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellati sunt, duodecim Prophetarum libri singuli, qui connexi sibimet quoniam nunquam seiuncti sunt, pro vno habentur: Quorum Prophetarum nomina sunt hæc: Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuk, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt maiorum voluminum Isaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris veteris Testamēti terminatur auctoritas. Noui autem quatuor libris Euangelij, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Ioannem: quatuordecim Epistolis Pauli Apostoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duabus, ad Colossenses, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri duabus, tribus Ioannis, vna Iudæ, & vna Iacobi, Actibus Apostolorum libro vno, & Apocalypsis Ioannis libro vno.* Habes Minister, veteris Ecclesiæ de sacrorum Codicum numero expressam sententiam. Quòd si vni Augustino fidem te habiturum negaueris, lege Concilium Carthaginense tertium, quod in sexta generali Synodo fuit approbatum, & Innocentij primi non vulgaris sanctimoniæ, & summæ eruditionis viri ad Exuperium Epistolam, & eosdem quos D. Augustinum recensuisse vides, ipsorum testimoniis veterem Ecclesiam approbasse Canonicos libros facilè disces. Quòd si gloriari velis, de Sectæ vestræ constantia, in amplectendis omnibus sacris libris, quos vetus

August. lib. 2. de doctrin. Christ. cap. 8. Qui sint libri Canonici.

Concil. Carthag. c. 47. Innocent. 1. Epist. 3. can. vlt.

vetus Ecclesia approbauit, aut D. Augustinum, imò Conciliũ Carthaginen. & Innocentium turpiter errasse, & posteritati imposuisse, aut vestram constantiam, quam tantopere prædicas, meram esse vanitatem non inficiaberis.

CAPVT LVII.

MINISTER. pag. 45.

QVòd de Machabæorum libris adiungitis, planè est inane, & importunum.

CATHOLICVS.

Verissimum est quod de Machabæorum libris in Thesibus nostris scriptum est, Synagogam nimirum vestram contendere, vt illi ex sacro Canone deleantur. In Canonicis enim veterem Ecclesiam eos numerasse, Augustini, Concilij Carthaginen. & Innocentij primi testimonio, iam iam probauimus, atque alias ἐκ περιουσίας eiusdem Augustini sententia cõfirmamus. *Machabæorum*, inquit, *Libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet, propter quorundam Martyrum passiones vehementes, atque mirabiles, qui antequàm Christus venisset in carnem, vsque ad mortem pro Dei lege certauerunt, & mala grauissima, atque horribilia pertulerunt.* Adiungam B. Hieronymũ, quem tibi fauere existimas. *Machabæorum*, ait, *Libri licet non habeantur in Canone Hebræorum, tamen ab Ecclesia inter diuinorum voluminum annotantur historias.* Antiquissimi etiam Ecclesiæ Doctores ex his libris, tanquam Canonicis, testimonia petunt, quibus doctrinam suam confirment: sic Origenes auctor perantiquus, *Scriptum namque est in Machabæorum libris ita, Hic est Ieremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo.* Quæ sententia habetur 2. Machab. cap. 15. 14. D. Cyprianus item antiquissimus, & sanctissimus Christi martyr: *Quid*, inquit, *in Machabæis beatorum Martyrum grauia tormenta, & multiformes septem fratrum pœnæ, & confortans liberos suos mater in pœnis: & moriens ipsa quoque cum liberis.* Inter alias Scripturæ sacræ sententias & historias, quod scriptum est 2. Machab. 7. numerare non dubitauit, quare certum est ipsum hos libros pro Canonicis habuisse. Et alio loco [c] multa ex illis, tanquã ex Historia sacra petit: & cùm probat Scripturæ testimoniis, *In nullo gloriandum esse, quando nostrum nihil sit.* ex cap. 9. lib. 2. Machab. sententiam ex confessione Regis Antiochi adfert. *De hoc*, inquit, [d] *in Machabæis, iustum est subditum Deo esse, & mortalem non paria Deo sentire.* Importunum tibi fuit, quòd sacræ Scripturæ testimonio ineptias vestras refutauerimus, sed modò veritatem tueamur, quid tibi Caluini Ministro sit importunum, & inane non moramur.

August. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 36. Machabæorum libri sunt Canonici. *Hieronym. in præfat. in lib. Machab.* *Orig. homil. 3. in Cant. Canticorum.* *Cyprian. lib. 4. epist. 6.* c *Idem lib. de exhortat. martyrij ad Fortunatum.* d *Idem li. 3. ad Quirinum aduersus Iudæos, ca. 11. 2. Machab. 9. 12.*

MINISTER. pag. 45.

Ecquis vestrûm nescit Canonicorum & Apocryphorum librorum discrimen, & in veteri Instrumento εἰκοσιτέσσαρας & Canonicos Hebraicè haberi,

cè haberi: eos qui Græcè ſcripti ſunt, ad Apocryphos referri? Inter quos Apocryphos quin Machabæorum Libri cenſeantur, ecquis vnquam dubitauit?

CATHOLICVS.

Si qui Hebraicè habentur, Canonici ſunt, certè ætate D. Hieronymi primus Machabæorum liber in Canonicis numerabatur: nam verba eius ſunt, *Machabæorum primum librum Hebraicum reperi.* Si nobis tradidiſſes Canonicorum, & Apocryphorum librorũ diſcrimen, quod putas omnibus eſſe perſpectum, an ad veritatem eſſes locutus, facilè diiudicaſſemus. Nunc verò cùm tuam de hoc diſcrimine nos latere ſententiam voluiſti, quodnam iam ſtatuas, planè ignoramus. Satis eſt nobis quòd Chriſti Eccleſia libros etiam Græcè ſcriptos probatit: Et qua ratione veteris Teſtamenti canonem minuis, quem Eccleſia Chriſti probauit, eadem planè, & nouũ Teſtamentum, quod Iudæorum Synagoga nũquam recepit, aſpernaberis.

Hieron. in præfat. in libros Reg.

Miniſter cogitur fateri 1 lib. Machab. eſſe Canonicũ.

MINISTER. pag. 45.

Nos ne huius diſtributionis ſumus autores, an eruditæ vetuſtatis celeberrimi ſcriptores & Græci & Latini?

CATHOLICVS.

Profer hos Scriptores Græcos, & Latinos, qui libros omnes veteris Teſtamenti Græcè ſcriptos ad Apocryphos referunt. Quid ſenſerit vetus Eccleſia ex D. Auguſtini ſententia, iam docuimus. Audi quid de libro Iudith ſcripſerit D. Hieronymus, quem tu fortaſsis tuæ diſtributionis auctorem facis. *Apud Hebræos liber Iudith inter Hagiographa legitur, cuius auctoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur: Chaldæo tamen ſermone conſcriptus inter hiſtorias computatur. Sed quia hunc librum ſynodus Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum legitur computaſſe, acquieui poſtulationi veſtræ, imò exactioni, & ſepoſitis occupationibus quibus vehementer arctabar, huic vnam lucubratiunculam dedi, magis ſenſum è ſenſu, quàm ex verbo verbum transferens, multorum Codicum varietatem vitioſiſsimam amputaui, ſola ea quæ intelligentia integra in verbis Chaldæis inuenire potui, latinis expreſsi.* Cùm Nicæna Synodus, *In numero ſacrarum Scripturarum librum Iudith receperit*, non video qua ratione veſtræ Caluinianæ Synagogæ, eundem librum ex hoc numero tollere licuerit. Fuit & liber Iudith Chaldaicè ſcriptus, vt teſtatur hoc loco D. Hieronymus. Quare ſi tua definitio probanda eſſet, neque canonicus erit, cùm Hebraicè non extet: Neque apocryphus, quia Græco ſermone primùm conſcriptus non fuit.

Hieron. in præfat. in lib. Iudith.

Liber Iudith à Nicæna ſynodo probatus.

MINISTER. pag. 45.

Hos libros in expoſitione ſymb. Eccleſia quidem recepit, ſed eo modo quem Cyprianus notat, vt in Eccleſiis legantur, ſed non quò fides noſtra inde confirmetur.

CATHOLICVS.

Quid tibi velis Minister, cum tua Symboli expositione non satis intelligo. Si locum Cypriani notasses, coniecissem fortè quid somniares. Puduit fortasis te à Caluino præceptore tuo argumentum mutuari: quare ipsius orationem ne agnosceretur inuoluere pro tuo supplendi artificio constituisti. Caluini verba sunt: *Ex libello illo vetusto, qui sub nomine Cypriani de expositione Symboli inscribitur, apertè constat, Machabæorum historiam, locum nullum in veteri Ecclesia habuisse.* Vidésne quàm rectè Præceptoris tui orationē vsurparis? Historia Machabæorum, Caluini iudicio, *Nullum in veteri Ecclesia locum habuit*, quam tu *in expositione Symboli Ecclesiam recepisse, vt in Ecclesiis legatur*, constanter asseris. Existimas fortasse Machabæorum libros Symboli esse *expositionem*. Qui verò fidem nostram ex illis confirmari negant, de ea sunt fidei confirmatione locuti, qua contra Iudæos ex Scripturis sacris eandem fidem corroboramus. Nam quamuis nihil sit Apostolorum scriptis firmius, si quis tamen eorum testimonia ad Iudæorum insaniam coercendam adhibere vellet, risui res grauissimas apud eos exponeret: Eodem planè modo cùm Iudæi, Patrum ætate libros (quos vos Apocryphos appellatis) testimoniis se premi animaduerterent, nullam eis fidem esse habendam iudicarunt.

Caluin. lib. 3. Inst. c. 5 §. 8. Minister à Caluino dissentit.

MINISTER. pag. 45.

Hieronymus, dum hos Macchabæorum libros citat, solet de his cauere, addita exceptione: Si quis velit credere, aut recipere.

CATHOLICVS.

Nullum Hieronymi locum notas, & mihi iam non est otium, vt omnia eius scripta euoluam. Deliba quæso ex Caluini Institutionibus, quibus in locis Hieronymus ita scripserit, & tibi respondebimus. In iis enim quas habeo, nullum locum notatum inuenio. Is quidem ita scribit: *Hieronymus sine dubitatione, minimè valere eius autoritatem ad asserenda dogmata docet.* Hanc dubitationem debuit Caluinus, si non Auctoris verbis, saltem libri ipsius notatione, Lectori tollere. Cæterùm quando Hieronymus de auctoritate librorum veteris Testamenti dubitare videtur, Hebræorum magis; quàm suam explicat sententiam. Cùm enim Ruffinus magnam propterea ipsi conflasset inuidiam, quòd ex Daniele aliqua aspernari fuisset visus, quòd Hebraicè non haberentur, eam hac oratione diluit, quæ vestras ineptias contra Canonis Ecclesiastici auctoritatem optimè coarguit. *Quod*, inquit, *refero, quid aduersum Susannæ historiam, & hymnum trium puerorum, & Belis draconis fabulas, quæ in volumini Hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere, qui me criminatur stultum, se sycophantam probat: non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicaui. Quorum opinioni si non respondi in Prologo breuitati studens, ne non Præfationem, sed librum viderer scribere,*

Caluin. lib. 3. Inst. c. 5. §. 8.

Hieron. in Apolog. aduersus Ruffinũ.

scribere, puto quòd statim subiecerim. Dixi enim, de quo non est huius temporis disserere, alioquin & ex eo quod asserui Porphyrium contra hunc Prophetam multa dixisse, vocauiq; huius rei testes Methodium, Eusebium, & Apollinarium, qui multis versuum millibus illius vesaniæ responderunt, me accusare poterit: quare non in præfatiuncula contra libros Porphyrij scripserim. Si hanc excusationem probas, quod de parte Danielis hoc loco scripsit, idem de aliis libris, quos vos ipsius testimonio reiicere conamini, ipsum sensisse existimabitis, ne secum ipse pugnet; frequenter enim Hebræorum, de librorum Sacrorum canone inculcat sententiam, quam, quia non refutat, vos cum Ruffino, eum probasse existimatis. Quòd denique Fabulæ nomine hoc loco à me adducto, sit vsus, disce (si placet) à Grammaticis, Fabulam nonnunquam à fando deduci, atquè rebus setiis accommodari. Sic apud Eusebium ex Clemente Alexand. dicitur, *Audi fabulam, non fabulam, sed rem gestam.*

Euseb. lib. 3. hist. Eccl. c. 23. Fabula rem gestam aliquando significat.

CAPVT LVIII.

MINISTER. pag. 45.

Augustinus receptos quidem esse ait, sed non vt pares legi, Prophetis, & Psalmis.

CATHOLICVS.

Nemo tibi antè credet, Minister, quā verba, aut saltē librū D. Augu- protuleris: Quid Caluinus, ex quo tua delibas, hac de rē senserit, ascribam. *Quod ex Machabæorum historia proferunt, responsione non dignabor, ne opus illud videar in Sacrorum librorum Catalogum referre. At Augustinus pro canonico recepit. Primum quàm certa fide? Scripturam, inquit, Machabæorum non habent Iudæi, sicut legem, Prophetas, & Psalmos, quibus testimonium perhibet Dominus, tanquam testibus suis, dicens: Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Psalmis, & Prophetis de me. Sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur, vel audiatur, &c.* Hactenus ille qui dum quærit, *quàm certa fide D. Augustinus Machabæorum libros pro Canonicis recipiat:* Breuiter respondeo, certissimâ, vt ex alio quod adduxi eiusdem Doctoris testimonio patet. Quod subiicit D. Augustinus, *Si sobriè legatur vel audiatur*, contra historiæ certitudinē non facit: Nam aduersus Circuncelliones disputabat, qui Raziæ exemplo (de quo nunc dicemus) sibi mortem consciscere Christiano homini licere putabant: Lege verò, ac Prophetis Machabæorum historiam inferiorem esse dixit idem Pater, quòd Christum minimè demonstraret, sed res gestas verissimè contineret.

Caluin. lib. 4. Inst. c. 5 § 8. Aug. Contra secundam Gaudentij epist. c. 23.

Cur Macha. historia Lege & Prophetis inferior dicatur.

MINISTER. pag. 45.

Eusebius quoque ex Melitone Sardicensi Episcopo, in censu librorum canonicorum non habet, neque Epiphanius solertissimus alioqui rerum Ecclesiasticarum indagator.

CATHOLICVS.

Vellem indicasses nobis horum duorum Auctorũ saltem libros. Eusebius lib. 4. historiæ Ecclesiasticæ cap. 36. Partem Epistolæ Melitonis ad Onesimum, interserit, in qua Melito inter veteris testamenti volumina Machabæorum libros non numerat. At quid inde? proptereà ne Canonici non erunt? Numerat eos Melito libros, quos Iudæi sub Esdra in Canonem redegerunt: Eusebius verò eo loco nudam historiam narrat. *In his, inquit, quæ de explanatione Scripturarum scribit Melito, quasi in præfatione, enumerat quæ sint volumina veteris Testamenti, quæ in Canone debeant obseruari, quam partem Scripturæ indere his necessarium puto.* Explica nobis sententiam huius orationis tuæ, *Eusebius quoque ex Melitone, &c.* Putas ipsum fortassis omnes probasse Auctorum quas recenset sententias. Epiphanius in libro de mensuris & ponderibus veteris Synagogæ, tempore Esdræ Canonem describit, vt qui Epiphanium diligenter legerit, facile obseruabit.

Euseb. histor. Eccl. lib. 4 cap. 26.

MINISTER. pag. 45.

Quid? quòd & illorum librorum autor intelligi voluit quantùm his suis scriptis tribuendum esse existimaret? Si rectè, inquit, scripsi, est quòd volui, sin exiliter & tenuiter, est quòd potui. Haccine Spiritus Sancti maiestas? Itáne loquuntur Prophetæ, & Apostoli?

CATHOLICVS.

Quicquid ἄνωθεν ἐπάγειν ex tui Caluini farragine potes, Minister, modò phaleratis quibusdam verborum inuolucris exornes, præclarè te munere tuo esse functum existimas. Verba Caluini adscribam, vt Condiscipuli tui intelligant, quàm rectè sis Præceptorem imitatus *Quid* (inquit Caluinus) *frustrà hic contendo, quasi autor ipse non satis ostendat, quantum sibi deferendum sit, cùm veniam in fine precatur, si quid minus bene dixerit. Certè qui scripta sua indigere venia fatetur, Spiritus Sancti oracula non esse clamat.* Auctoris modestiam verè Christianam repræhenditis. Si vobis displicet, hæc eius verba, *Ego in his faciam finem sermonis, & si quidem benè, & vt historia competit, hoc & ipse velim; si autem minus dignè, cõcedendum est mihi.* qua ratione probabitis, quod ab Apostolo scriptum est, *Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia, in omnibus autem manifestati sumus vobis?* Lectorem rogat, qui Machabæorum libros scripsit, vt si minus quàm rei grauitas postulabat, comptam iudicet orationem suã, æqui bonique cõsulat. Nihil hîc à Spiritus Sancti maiestate alienum est, nihil à Prophetarum, & Apostolorũ consuetudine abhorrens. Audite eloquentissimi Caluiniani, summi Prophetæ sermonem modestissimum. *Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Putatis Spiritum Sanctum nihil sine vestra garrula loquacitate perficere posse? Erratis toto cælo, nam aliud nos docet Aposto

Caluin. lib. 3. Inst. c. 5. §. 8.

2. Machab. 15 38. 39.

2. Cor. 11. 6.

Exod. 4. 10.

Apostolus *Nos*, inquiês, *non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis.* De historiæ veritate non est locutus horum librorum auctor cùm scripsit, *Si minus autem dignè, concedendū est mihi*, sed de orationis stylo. Vehemêtes tuæ interrogatiunculæ *Haccine Spiritus Sancti maiestas? Itáne loquuntur Prophetæ, & Apostoli?* Vnico verbo euanescunt: Sed vt de posteriore hoc adiiciam: si omnes sacrorum librorum Scriptores aut Prophetas, aut Apostolos fuisse tibi persuades, nescio qua ratione Caluini Præceptoris tui sententiam tueri valeas. Nam cùm negat Diuum Paulum esse Epistolæ ad Hebræos auctorem, subiicit: *Quis eam composuerit non magnopere curandum est.* Et de 2. Epistola D. Petri, se dignam profert sententiam. *Sic constituo, si digna fide censetur Epistola, à Petro fuisse profectam, non quòd eam scripserit ipse, sed quod vnus aliquis ex discipulis, ipsius mandato, complexus fuerit, quæ temporum necessitas exigebat.* Et infrà, *Quia de autore non constat, nunc Petri nunc Apostoli nomine promiscuè vti mihi permittam.* Caluino itaque iudice non constat qui sint Epistolæ ad Hebræos, & Epistolæ secundæ Petri Auctores. Quære igitur ab eo an Prophetæ eas, an verò aliqui alij Apostoli scripserint.

1. Cor. 2. 12. 13.

Inanes sunt Ministri interrogatiunculę.

Caluin. in argumento in epist. ad Hebr.

Idem in argumento in 2. Petri epist.

CAPVT LIX.

MINISTER. pag. 45.

ATqui si ex apocrypho Inuocationem pro defunctis, & Purgatorium, contra sempiternam scriptæ Veritatis legem, Iudæ exemplo probare instituitis: cur non ex eodem libro Raziæ illustris viri, qui ex rebus preclarè gestis ibidem commendatur, exemplo fortiss. quemque hortamini, vt seipsum interficiat: quòd ille, ne in manus hostium veniret, manus violentas sibi intulerit?

CATHOLICVS.

Tuo itaque iudicio Machabæorum libri non tantùm ex Sacrorum Codicum numero, quia eos Iudæorum Synagoga non approbauit, sunt reiiciendi: verumetiam quia doctrinam Scripturarum sempiternæ veritati repugnantem continent. Dic ergo, cur in Ecclesiis legantur, si eorum doctrina Scripturæ aduersatur? Nos non tantùm Iudæ exemplo, sed etiam Scripturæ, ac Ecclesiæ auctoritate impulsi, orandum esse pro Christianis, qui ex hac vita in Domino excesserunt, & Purgatorium esse ignem contendimus: *Sancta & salubris est* (inquit Spiritus sanctus per Scriptorem quem tu contemnis) *cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Responde mihi paucis, an breuem hanc Auctoris orationé veram esse existimes. Noli precor, subterfugia quærere. Si vera est, probanda est Ecclesiæ Catholicæ de Purgatorio doctrina: Sin falsa, profer vel vnum Scripturæ testimonium, quod auctorem hunc mendacij conuincat. Neque contemnendum est exemplum Iudæ, quem constat

2. Maccab. 12. 46.

Preces pro defunctis in Synagoga vsitatæ.

tunc receptum in Synagoga Iudæorum morem diligēter retinuisse: quare si hac in re Synagogæ fidem detrahis, cur ad eiusdem auctoritatem in canone Scripturarum consignando ita adhæres, vt eos tantùm veteris Testamēti libros, probes, quos illa in canonem recepit. Si Augustini scripta euoluisses, non fuisset opus nobis Raziæ factū obiicere. Ascribam ipsius verba, quæ tu nunquam videris legisse, vt sanctissimi viri auctoritate oppressus, veritatem tandem cōfitearis. *Senior ille Razias, quem sibi isti*, Circuncelliones, *exemplis sui sceleris destituti, de Machabæorum libris tanquam imitandum se inuenisse gloriantur, hoc facere debuit, quod in eisdem literis leguntur, septem illi fratres etiam exhortante Matre fecisse, vt comprahensus, & a lege Domini sui non auersus, omne quod ei applicitum esset, acciperet, & in dolore sustineret, & in humilitate sua patientiam haberet, quod circa humilitatem inter manus inimicorum non valens ferre, non planè sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi Martyribus, sed Donati Circuncellionibus imitandum.* Et infrà, *Laudatus est iste Razias amator ciuitatis, vt valde benè audiens, id est, bona fama: quia pater Iudæorum appellatus est, & quod continentiam tenuerit in Iudaismo: istam verò eius mortem mirabiliorem, quàm prudentiorem narrauit, quemadmodum facta esset, non tanquam facienda esset, Scriptura laudauit.* Multis ibidem D. August. exemplis ex sacra Scriptura petitis, vt de Dauide, Salomone, D. Petro, Iuda Patriarcha, & Samsone persuadet minimè debere, quicquid in Scripturis sacris, Dei etiā testimonio laudatos homines fecisse legimus, à nobis approbari. Huius autem Raziæ mors Machabæorum historiæ derogasset auctoritatem, si aut ipsius interitum tanquam pium illa laudasset, aut confictam fabulam iussisset nos credere. Quod verò scriptum est de Razia, *Eligens nobiliter mori potius, quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suas indignis iniuriis agi.* D. Augustinus his verbis explicat. *Dictum est quod elegerit nobiliter mori: melius vellet humiliter, sic enim vtiliter. Illis autem verbis historia gentium laudare consueuit, sed viros fortes huius seculi, non Martyres Christi.* Demonstrat itaque historiæ Scriptor, non pietatem in Razia & religionē, sed forte & infractum animi robur esse laudandum, quo quidem hominum magis, quàm Dei iudicio clarus fuit, & admirabilis. Qua ratione tu nobis Raziam obiicis, eadem & tibi cum D. Augustino alios opponemus, quorum scelera Scriptura sacra commemorat. Sed quid vos mouit, vt historiæ huius Scriptorē ea tantùm Posteritati tradidisse fingeretis, quæ Themistocli, aut alteri, qui Dei nullam est consecutus cognitionem, potius quàm pio & religioso viro conueniant, lubenter à te discerem. Ac ne vobis aliquid affingere me existimes, verba nescio cuius ψευδοῦς vestri adscribam[c]: *De faict tout ce qui est en ceste histoire, seroit beaucoup plus conuenable à Themistocles, ou quelque autre payen, qui n'auoit cognoissance de Dieu, ne de la vie*

Aug. lib. 2. cōtra 2. epistolā Gaud. c. 23

Quædam Sanctorum facta quæ Scriptura commemorat non imitanda.

2. Machab. 14. 42.

August. lib. 2. contra 2. epistolam Gaudentij. cap. 23.

Raziæ mors quomodo laudetur.

c In Bibliis Lugdunexcusis à Petro Michael. anno 1566. in scholiis ad c. 14. lib. 2. Machab.

la vie à venir, que non pas à vn homme, qui auoit esté instruict en la loy du Seigneur, & en la doctrine des Prophetes. Si ita est, cur hos libros cum Canonicis plebi indoctæ vernaculis linguis passim legendos proponitis. Nihil sanè à veritate alienum in illis cótinetur, nihil, quod pias & religiosas aures magis debeat offendere, quàm quæ in aliis sacræ Scripturæ historiis reperiuntur: & quia hoc diuinum opus propter vnum maximè Raziæ exemplum, Synagoga vestra reprehendit, adiiciam & aliud D. Augustini testimonium, quo Auctorem ab omni culpa liberat, scribens: *In Machabaeorum libris, quamuis homo Razias fuerit ipse laudatus, factum tamen eius narratum est, non laudatum: & iudicandum, potius quàm imitandum: quasi ante oculos constitutum, non sanè nostro iudicio iudicandum, quod nos quoque, vt homines habere possemus, sed iudicio doctrinæ sobriæ, quæ in ipsis quoque libris veteribus clara est: Longè quippe fuit iste Razias à verbis illis, vbi legitur: Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, non ergo fuit iste vir eligendæ mortis sapiens, sed ferendæ humilitatis impatiens. Scriptum est, quòd voluerit nobiliter, & viriliter mori, sed nunquid ideo sapienter? nobiliter scilicet, ne libertatem sui generis captiuus amitteret: viriliter autem, quòd tantas vires animi haberet, quibus idoneus esset, vt se ipse perimeret.* Si tanti Doctoris auctoritas te non mouet, vt in commemorando Raziæ exemplo, nihil ab Auctore peccatú esse tibi persuadeas, indignus es planè, qui sacram Scripturam tractes, qua enim ratione hos libros reiiciendos existimas: eadem certè & multos alios repudiabis, cùm non minus absurda quorundam gesta referant.

Augustin. epist. 61.

Eccles. 2. 4.

Razias nobiliter, & viriliter, sed non sapienter se interfecit.

CAPVT LX.

MINISTER. pag. 45. & 46.

DE Purgatorio, quandoquidem obiter egistis, & breuitati studemus, aliàs, quum neruosiora, quàm ea quæ è Macchabaeorum libris protulistis ad Purgatorij defensionem, argumenta edideritis, vobis respondebimus.

CATHOLICVS.

Non obiter (vt garris Minister) de Purgatorio egimus: cùm *multa Scripturarum testimonia suppetere, quæ Purgatoriũ esse ignem non obscurè confirment*, in Assertionibus nostris nos posuisse, non ignores. Te autem vehementer miror, quòd *neruosiora quàm ea quæ è Machabaeorum libris protulimus*, à nobis expectes arguméta, cùm nullum omninò ex illis ad hoc probandum adduxerimus. Ascribám quæ per parenthesin de libris illis à nobis scripta sunt, vt te quærendi labore leuem. (*quibus eorum qui ex hac vita excesserunt, in piorum hominum ad Deum precibus, Memoriæ, & Purgatorij ignis in primis stabilitur fides.*) Estne hoc proferre argumenta, è Machabæorum libris

rum libris ad Purgatorij defensionem? Certè non minor est tibi data respondendi occasio argumentis, ex aliis Scripturarum libris depromptis, quibus Catholici scriptores ignem Purgatorij confirmarunt, quàm fuit & Machabæorum libros, & præclarum Iudæ Machabæi factum calumniandi. Vt autem scias alia complura ex. Scripturis argumenta, æquè neruosa nobis suppetere, non grauabor, & aliis quibusdam, certissimam de Purgatorio fidem confirmare. Accipe igitur primùm hanc Christi Domini sententiam: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Concedere ex his cogeris, aut Christum Dominum propriè locutum non esse: Aut in futuro seculo peccata aliqua à Deo hominibus condonari. Atque hoc testimonio confirmari fidem de Purgatorio, quam Christiana tuetur Ecclesia, locupletissimus testis est D. August. sic scribens: *Neque de quibusdam, veraciter diceretur, quòd non eis remittatur, neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi essent, quibus et si non in isto, tamen remittetur in futuro.* Et alio loco: *Peccata quidem nulla remittuntur in regno, sed si nulla remitterentur in Iudicio illo nouissimo, puto quòd Dominus non dixisset de quodam peccato, non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro, quando sibi remitti sperabat Latro ille, qui dicebat, Memento mei cùm veneris in regnum tuum.* Eodem modo & D. Gregorius argumentatur: *Qualis*, inquiens, *hinc quisque egreditur, talis in iudicio apparebit, sed tamen de quibusdam culpis leuibus esse ante iudicium, purgatorius ignis credendus est, pro eo quòd veritas dicit: Quia si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro: In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse relaxari: quia quod de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.* Beda, & D. Bernardus eodem modo orationem Domini sunt interpretati: At ne mihi contra grauissimã horum Doctorum auctoritatem Caluini nugas obiicias, paucis ipsum hac in re hallucinatũ esse conuincam. Hanc enim Domini sententiam explicans ait[b]: *Quod inde colligunt Papistæ, remitti post mortem hominibus peccata, nullo negotio eorum calumnia refutatur. Primùm insulsi sunt verbum futuri seculi ad medium tempus torquendo, cùm extremum diem notari cuiuis pateat.* Insulsus est ipsemet Caluinus, qui insulsitatem, fine omni ratione Ecclesiæ Christi affingit: Cupimus, vt tu Caluini discipulus, certo aliquo Scripturæ testimonio nomine *futuri seculi*, non medium tempus, sed extremum diem significari probes. Pergit deinde Caluinus: *Improbitas*, inquiens, *deprehenditur, quia cum ipsorum doctrina pugnat, quod obtendunt cauillum, nota est eorum distinctio, gratis remitti peccata quoad culpam: sed pœnam, ac satisfactionem exigi: iam fatentur nullam esse spem salutis, nisi ante mortem remissio*

Matth.12.32. Purgatoriũ probatur ex scripturis.

Aug.lib.21. de ciuit. Dei cap.24. Idem contra Iulianum Pelagianũ lib. 6. cap.5.

Luc.23.42. Gregor. PP. lib.4. dialog. cap.39.

Beda in ca. 3. Marci. Bernard. sermon. 66. in Cantica.

b Caluin. in harm. ad cap. 12. c. Matth. § 32.

remissa fuerit culpa: Mortuis ergo nulla remissio superest, nisi pœnæ, atqui negare non audebunt sermonem de culpa hi. haberi. Fatemur quidem nullam esse salutis spem, nisi ante mortem remissa fuerit culpa peccati mortiferi. (De peccatorum venialium culpis ex Magistro Sententiarum, longè aliam esse rationem facilè discere potuit Caluinus, qui ea vos docuit, quæ in Christi Ecclesia nô didicit:) Et quamuis sermo sit de culpa, non tamen de ea sola, itá vt pœna non intelligatur: Nam ad perfectam peccatorum expiationem necessaria est condonatio pœnæ: vnum hoc supererat Caluino subterfugium: *Quid hæc verba sibi velint, Marcus breuiter exprimit, æterno iudicio obnoxios fore dicens, qui aduersus spiritum loquuti fuerint.* Cùm magis sit perspicua Matthæi, quàm Marci oratio, potius ex Matthæo Marci sententiam deprehendemus, quàm contrà. Quod enim hic scripsit, *non habet remissionem in æternum*, ille pluribus verbis expressit: *Non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* A nobis expectabas neruosiora argumenta: En habes vt suspicor vnum, in quo ingenij tui neruos omnes exerceas. Euolue Lutheranorum scripta, vt quod ex tuis cisternis haurire non poteris, à Caluini nominis iuratis hostibus precariò subsidium accipias: Interim te Minister monebo, ne nimium Lutheranorum scriptis fidas. Nam Lutherus ipse in disputatione Lipsica, Purgatorium ex hoc Matthæi loco confirmari asseruit. *Ego*, inquit, *credo fortiter, imò ausim dicere, scio Purgatorium esse, facilè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem. Quemadmodum illud Matthæi inducit Gregorius in Dialog. lib. non remittetur in hoc seculo, neque in futuro, volens quædam peccata remitti in Purgatorio.* Noli irritare Lutheranos, quorum tela Caluinus & Beza, magna cum existimationis suæ diminutione declinare hactenus non potuerunt, quamuis conuitiis, & maledictis (cùm argumenta non suppeterent) se tueri pro virili nô destiterint.

Mag. sent. lib. 4 dist. 21.
Quæ peccata remittantur in futuro seculo.
Caluin. in harm. ad 12. c. Matt. § 32.
Marc. c. 3 29.
Matth. cap. 12. 32.
Luther. in disputatione Lipsica.
Lutherus Purgatoriũ agnoscit.
Greg. lib. 4. dialog. c. 39.

Venio ad alterum Scripturæ pro Purgatorio testimonium: *Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te Ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem.* Caluinus cùm videret se hac Domini sententia premi, confugit ad suas artes, nam calumnia Catholicis silentium imponere conatus est, asserens Catholicos per Aduersarium hoc loco Diabolum intelligere. Nullum enim is nominat, nec poterit nominare qui vocem hanc ita declararit. Certè vox Græca ἀντίδικος non propriè hostem, sed eum qui iudicio nobiscum contendit, significat. Et D. Chrysostomus, Aduersarij nomine Proximum quem verbo, vel facto læsimus, intelligit. Tu igitur, qui fortè nosti illud Socratis dictum apud Platonem ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη, tuo Caluino laboranti succurrito, si potes, ac qui fuerint isti Catholici Scriptores sigillatim nomina. Fuisse enim aliquos alios qui aduersarium hoc

Matth. 5. 25. 26.
Secundum testimoniũ scripturæ, quo purgatorium probatur.
Caluin. in harm. ad c. 5. Matth. § 25.
Chrysost. in Matt. hom. 11.
Plat. lib. 2. de repub.

Hieron. in comment. in c.5. Matth.

loco Diabolum esse dixerint, testis est B. Hieronymus. At cùm nequè ipse, nequè quòd sciam, alius vllus Catholicus Scriptor istos nominet, Amabo te, vt quod Catholici neglexerunt, tua sedulitate, & in voluendis Catholicorum scriptis singulari diligentia, in lucem proferas: Nos interim Veterum sententiis locum hunc de Purgatorio intelligendum confirmabimus. Ac primum ita sensit Cyprianus his verbis: *Non quia adultero pœnitentia, ac venia laxatur, continentiæ vigor frangitur: aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire: aliud missum in carcerem non exire inde donec soluat nouissimum quadrantem, aliud fidei statim, & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diu igne, aliud omnia passione purgasse.* Comparat hoc loco Cyprianus adulteros (quos peccasse pœnitet,) cum mente & corpore Virginibus: Talésque Virgines ait statim, atque ex viuis excesserint, æterna beatitudine perfrui: illos verò pœnitentes adulteros non antè beandos, quàm pœnam peccatis debitam in carcere subierint, & *igne diu purgati fuerint.* Eusebius etiam Emissenus de igne Purgatorio hunc Matthæi locum non obscurè explicat his verbis: *Hæc pœna infernalis illos manebit, qui amisso & non seruato Baptismo, in æternum peribunt, ad quos dicetur, vt eant in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Hi verò qui temporalibus pœnis digna gesserunt, ad quos sermo Dei dirigitur, quòd non exeunt inde, donec reddant nouissimum quadrantem, per fluuium igneum, de quo propheticus sermo commemorat, & fluuius rapidus qui currebat ante ipsum, per vada horrentibus globis horrenda transibunt: quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeunti mora.* Distinguit hoc loco Eusebius æternis damnatorum cruciatibus addictos, ab iis qui *pœnas temporales*, vt ipse loquitur, sustinent. Lege quæ à DD. Ambrosio, Hieronymo, & Bernardo, ad illustrandum hunc locum scripta sunt, ac planè insanies, si magis Caluini inani dicacitate, quàm tot grauissimorum virorum auctoritate, mouearis.

Cyprian. lib. 4. epist 2.

Euseb. Emiss. homil. 3 de Epiphania.

Matt. 25. 41.

Dan. 7. 10.

a Ambros. in c. 12. Lu. a. in c. 5. Matth.

c Hieron. in c. 5. Matth.

Bernar. serm. de obitu Humber.

CAPVT LXI.

VEnio ad locum Apostoli, quem Caluinus cùm contra se facere animaduerteret suo more nihil intentatum reliquit, vt germanam ipsius sententiam corrumperet, *Secundum gratiam quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat: vnusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detri*

1. Cor. 3 10. 11. 12.

rit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Ecclesiæ Patribus, qui Ignis nomine hoc loco tribulationẽ, seu crucem intelligi existimarunt, repugnare se profitetur Caluinus. *Alium,* inquiẽs, *esse senserunt ignem, Veterum plerique, nempe tribulationem, seu crucem per quam Dominus suos examinat, ne in carnis sordibus acquiescant. Quanquam nec illis assentior, quia mihi videor certiorem multò, & lucidiorem eius loci intelligentiam assequutus.* Vides Minister, quantum sibi Caluinus arroget. Qui somnia sua Ecclesiæ Patrum sententiis audet anteponere? *Ignem,* inquit, *appellauit Apostolus examen Spiritus sancti:* At hoc nullo Scripturæ testimonio probabit. Nos verò Paulum in extremis saltem huius sententiæ suæ verbis de Igne purgatorio locutum esse contendimus. Commentum porrò illud Caluini, hoc loco nequit consistere. Primùm enim ex te quæro, quando fiat hoc doctrinæ examen à Spiritu sancto? Iam anteà negaueras homines posse de rebus fidei in controuersiam vocatis, iudiciũ ferre, cùm solus Deus, te auctore, eiusmodi rerum sit iudex: solus ergo Deus de doctrina iudicabit. Quando ergo dabit Spiritus sanctus de doctrina iudicium? Respõdebis, opinor, iampridem dedisse, cũ oracula cœlestia Spiritus sancti afflatu fuêre literis consignata. At multa sunt, quæ ex solis Scripturis definiri non possunt, & Hæretici omnes, in Scripturis errorũ suorum subsidium ponunt: Neque est, cur ad Ecclesiæ auctoritatem (quam planè contemnis) confugias: Nam qui Ecclesiam in vno fidei dogmate errare posse asseuerat (vt tu facis) non video qua ratione in cæteris rebus eiusdem auctoritatem sartam tectam conseruabit. *Ipse autem saluus fiet* cùm explicaret, odium plusquàm Vatinianum quo Ecclesiæ Doctores prosequitur, summa cum inscitia coniunctum omnibus patefecit: Ait enim, *in fide errasse multos ex Sanctis, Cyprianũ, Ambrosium, Augustinum, & similes: quibus & Gregorium, & Bernardum, alios que eius nota adiungit, eosque saluos fieri posse hac lege, si Dominus eorum ignorantiam absterserit, & repurgauerit eos ab omni sorde.* Non negamus aliquos ex Veteribus (non tamen eos omnes, quos hîc impudenter nominat) hallucinatos interdum fuisse, at errores huiusmodi non ij fuerunt, qui eos regno cœlorum arcerent, cùm Ecclesiæ vnitatem semper seruarint, & nihil adhuc his de rebus ab ipsa Ecclesia definitum haberetur. Qua de re multa ex Veterum monumentis disputari possent, sed propter breuitatis rationem hac vna Augustini sententia contentus ero, *Illa, quæ ad Quintum scribit Cyprianus, & illa quæ cum collegis suis, Liberali, Caldonio, Iunio, & cæteris ad Saturninum, & Maximum, & alios benè considerata, nullo modo præferenda sunt, aduersus totius Ecclesiæ Catholicæ consensionem, cuius se illi membra esse gaudebant, & vnde se neque ipsi præciderunt, neque diuersa sentientes præcidi passi sunt: donec aliquando in Domini voluntate per plenarium Concilium, licet post multos an-*

Caluin lib. 3. Inst. c. 5. §. 9.

Arrogantia Caluini.

Pag. 42.

Ignis nõ est examen Spiritus sancti, vt putat Caluinus.

Caluinus in comm. in 3. c. epi. 1. ad Cor. §. 15.

Caluini pro cacitas in SS. Patres.

August. lib. 5. contra Donat. c. 22.

Cypriani error excusatur.

Per Concilium quod rectius est eluxit.

nos, quid esset rectius elucerer, non aliqua nouitate instituta, sed antiquitate roborata. Si Caluinus, Beza, cæterique factionis vestræ architecti, de rebus nondum definitis ab Ecclesia quæstionem mouissent, ac tum demum Ecclesiæ sententiæ acquieuissent, pro Hæreticis non fuissent habiti: At cùm præcipua fidei dogmata omninò repudiarint, & Catholicæ Ecclesiæ impietatem affinxerint, meritò in fidei desertoribus numerantur. Certè quam sanctissimis illis Patribus Caluinus tribuit spem salutis, Turcis eam & Iudæis negare minimè potest. Responde pro tuo Præceptore, si potes, & perspicuis verbis nobis explica, quid de sanctissimorum Ecclesiæ Patrum salute Synagoga vestra sentiat.

CAPVT LXII.

QVòd de Purgatorio igne locutus sit Apostolus, Patrum testimoniis confirmabo: Ac in acie collocabo D. Augustinum, *Non sim (inquit) inter illos, quibus dicturus es, Ite in ignem æternũ, qui paratus est diabolo, & Angelis eius, neque in ira tua emendes me, vt in hac vita purges me, & talem me reddas: cui iam emendatorio igne non opus sit, propter illos qui salui erunt, sic tamen quasi per ignẽ. Quare? nisi quia hic ædificant suprà fundamentum, ligna fœnum, stipulam, si ædificarent autem aurum, argentum, lapides preciosos, & de vtroque igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt: Dicitur enim, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, & quia dicitur saluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quicquid potest homo pati in hac vita.* Cùm D. August. locum hunc Apostoli, de Purgatorio igne intellexisse tu ipse videas, dic oro, quo argumento grauissimum & sanctissimum hunc Ecclesiæ Doctorem, hallucinatum esse probabis? Ambrosius deinde August. præceptor, de eodem purgatorio igne Paulum verba fecisse testatur, scribens: *Cùm dicit Apostolus, sic quasi per ignem, ostendit saluum quidem illum futurum, sed pœnas ignis passurum, vt per ignem purgatus, fiat saluus: & non sicut perfidi, æterno igne in perpetuum torqueatur.* Comparat Ambrosius eos qui in Purgatorio igne expiantur, cum iis, qui perpetuis inferni cruciatibus torquentur. Tertius qui pro Catholica orationis Apostolicæ sententia testimonium dicit, erit Theodoretus Cyri Episcopus, quem sua ipsius lingua loquentẽ adducere placuit: Τοῦτο τὸ πῦρ πιστεύομεν καθαρτήριον, ἐν ᾧ καθαρίζονται αἱ ψυχαὶ, ὡς χρυσίον ἐν τῷ χωνευτηρίῳ. Quod (vt tuis ἀναλφαβήτοις consulam) sic interpretabor: *Hunc ipsum Ignem Purgatorium credimus, in quo purgantur animæ, sicut aurum in conflatorio.* Oecumenius item Græcus Auctor, in hunc ipsum locum sic scribit: σωθήσεται καὶ αὐτὸς, ἐπωδύνως δὲ πῶς ἱκνῶς· τῷ δὲ πυρὸς παρεισόντα τὸ ἐνόντα αὐτῷ βραχὺν ῥύπον: Quod & latinè ob eos ipsos reddere conabor, *Saluabitur & ipse quoque, non tamen*

citra

August. in Psal. 37 prope initium.

Ignis emendationis post mortem.

Ambros. in comment. in 3. c. epi. 1. ad Corinth.

Theodor. in comment. in cap. 3. epist. 1. ad Cor.

Oecum. in c. 3. epist. 1. ad Corinth.

citra dolorem, vt par est eum, qui transit per ignem, & à concretis lenioribus maculis expiatur. Atque hæc de Scripturę testimoniis, quibus Purgatorius ignis confirmatur, breuiter dicta sint. Nam ne omnia quæ ad hanc disputationem spectant cōplecti velle videar, compluribus aliis supersedere constitui, cùm Scripturis Ecclesiæ Christianæ summam fuisse, vt in cæteris rebus, ita in Purgatorio asserendo consensionem, in Veterum libris euoluendis planè erit hospes, qui negabit. Vtque illos, quos Caluinus nominauit, quinque Patres nostros esse intelligas, ipsorum sententias adscribam. Sit ergo primus Sanctissimus Christi Martyr Cyprianus. *Nunc ratio, inquit, & forma in Clero tenetur, vt qui in Ecclesia Domini ad ordinationem Clericalem promouentur, nullo modo ab administratione diuina auocentur, ne molestiis, & negotiis secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & Sacrificiis non recedant, & die ac nocte cœlestibus rebus, & spiritualibus seruiant: Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes censuerunt, Ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam, Clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione eius celebraretur, Neque enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes, & Ministros suos Leuitas auocare voluit. Et ideo Victor cùm contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterū ausus sit actorem constituere, non est quò pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur, vt Sacerdotum Decretum religiosè & necessariò factum seruetur à nobis.* Euolue hanc Cypriani orationem, vt veteres Christi Ecclesiæ Patres pro Christianis, qui ex hac vita excesserant, non orasse certo argumento probes; Quòd si orarūt, necessariò locum aliquem esse crediderunt in quo peccata expiarentur. Eiusmodi purgationi locum constitutum, appellamus Purgatorium. Ambrosij plura cogor afferre testimonia, vt eum ab impietatis, quam illi tribuit Caluinus, nota, vendicem. Aetate sua, testatur acerrimus hic Christianæ Religionis propugnator & defensor assiduus, Corporis & Sanguinis Domini sacrosanctum Sacrificium pro Christianis, qui vitam cum morte commutarunt, fuisse in Christi Ecclesia oblatum, & Christianorum fuisse morem pro eisdem orare. *Date*, inquit, *Manibus* (Valentiniani Imperatoris) *Sancta mysteria; pio requiem eius poscamus affectu; Date Sacramenta cœlestia mysteria. Animam piam Matris oblationibus prosequamur. Extollite populi mecum manus in sancta, vt eo saltem munere vicem eius meritis rependamus. Nec ego tumulum eius floribus aspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam.* & infrà, *Beati ambo si quid meæ orationes valebunt, nulla dies vos silentio præteribit; nulla inhonoratos vos mea transibit oratio; nulla*

Patrum sententiæ de Purgatorio. *Cyprian. lib. 1. epist. 9.*

Clericus tutor esse non poterat.

Oblatio pro quibus defunctis non fiat.

Ambros. in oratione funebri de obitu Valentiniani Imperatoris.

Oratio pro defunctis.

Idē Ambros. in oratione funebri de obitu fratris.

Item in oratione de exitu vita ac moribus Theodosij Imperatoris.

Honorius astitit altari dum Patri Theodosio iusta persolueret.

a Genes 50.3.
b Psal 14.6.

Perfectam requiem Theodosio precatur.

c Rom.6.10.

nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo. Et alio loco, *Tibi nunc*, inquit, *omnipotens Deus, innoxiam commendo animam*, Satyri, *tibi hostiam meam offero, cape propitius, ac serenus fraternum munus. Sacrificium Sacerdotis, hac mei iam liba præmitto* Et alibi, *Eius ergo principis* (Theodosij) *& proximè conclamauimus obitum, & nunc quadragesimam celebremus, assistente sacris altaribus Honorio principe: Quia sicut sanctus Ioseph patri suo Iacob quadraginta diebus*[a]*, humationis officia detulit, ita & hic Theodosio patri iusta persoluit.* Et post pauca. *Conteror corde, quia ereptus es vir, qualem vix possumus inuenire: sed tamen tu solus Domine inuocandus es: tu rogandus, vt eum in filiis*[b] *repræsentes. Tu Domine custodiens etiam paruulos in hac humilitate, saluos facis sperantes in te. Da requiem perfectam seruo tuo Theodosio, requiē quam præparasti Sanctis tuis. Illò conuertatur anima eius, vnde descendit, vbi mortis aculeum sentire non possit: vbi cognoscat mortem hanc non hominis finem esse, sed culpæ. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est*[c]*, vt iam peccato locus esse non possit, resurget autem, vt perfectior renouato munere vita reparetur. Dilexi & ideo prosequor eum vsque ad regionem viuorum, nec deseram donec fletu & precibus inducam virum, quò sua merita vocant, in montem Domini sanctum.* Caluinum Luculenta hæc Ambrosij testimonia deterrere nō potuerunt, quo minus ipsius orationem contra perspicuam, & in Ecclesia semper testatam veritatem, falsò vsurparet. *Alius*, inquit, *Pater consuluit, vt officia humanitatis erga mortuos in sepultura defuncti sineremus eos quiescere. Ambros. lib. de Abra. 1. cap. 7.* Videmus Caluino, hanc esse Ambrosij orationem, quam ipse illi affingit, nihil contra Christianos, qui suis ad Deum orationibus, fratribus in Domino mortuis opitulantur, faciet: Nos enim mortuos quiescere sinimus, nec eos ad vitam reuocare conamur: verba verò D. Ambrosij (quorum sententiam peruertit Caluinus) hæc sunt: *Locus qui sequitur habet mortem vxoris, fletum mariti, sepulturæ officium, quibus maritalis affectus probabatur. Surrexit*, inquit, *scriptura*[d] *Abraham à mortuo, docemur vt non diutius inhæreamus mortuis, sed quantum satis officij deferamus.* Loquitur hoc loco sanctissimus Ecclesiæ Doctor, de immoderato luctu & fletu, non autem de orationibus, pro eorum qui ex hac vita migrarunt salute, ad Dominum fusis. Explica tu nobis Minister, quid sit apud eundem *Inhærere mortuis?* Si pro mortuis orare dixeris, ex Ambrosij ergo sententia pro mortuis erit orandum. Non enim Abrahami exemplum induxit, vt negaret esse inhærendum mortuis, sed *Ne diutius inhæreamus.* Si verò non id significat, cur quæso Caluinus ad tollendas pro defunctis preces, hoc testimonio vsus est? *Verte omnes te te in facies*, vt ait Poëta, *et contrahe quicquid, Siue animis, siue arte vales*, vt Caluini insignem, quam sanctissimo viro affinxit, cōtumeliam excuses. Tertius

Calvin. in præf. Inst. ad Regem Gall.

Ambros. lib. de Abraham. 1. cap. 7.

Mortui fletu nimio nō prosequēdi.

d Gen. 23.3.

Aeneid. 12.

Ecclesiæ

Ecclesiæ Doctor à Caluino nominatus, fuit Augustinus, cuius tot & tam præclara extant testimonia, pro Christiana de Purgatorio sententia, vt Caluinus in corrumpendis sanctorum Patrum lucubrationibus τὰ ἀπεσφόκαλος cum sibi aduersari non negarit, acerrimúmque Hæresum oppugnatorem (cuius doctrinam posteritas omnis suspexit) vt suas tueatur delirationes, planè contemnit, & superstitionis condemnat. Tecum agam tabulis obsignatis, & si eius *Autographa* penes te habes, perpende diligenter, an fideliter ipsius verba transcripserim. *Monicam matrem suam in libris Confessionum, Augustinus narrat vehementer rogasse, vt sui memoria in peragendis mysteriis fieret ad Altare, Anile scilicet votum, quod filius non exegit ad normam Scripturæ, sed pro naturæ affectu probari aliis voluit. Liber autem de Cura pro mortuis agend., ab eo compositus, tot hæsitationes continet, vt suo frigore meritò debeat stulti zeli calorem extinguere, si quis mortuorum patronus esse appetat.* Cùm Synagogæ vestræ parens, in Sanctissimum Ecclesiæ Doctorem petulanter sit inuectus, quid mirum si tu in Caluini ludo ad maledicendum edoctus, eorum existimationi detrahere coneris, qui Augustinum colunt & obseruant, ac Augustinianam doctrinam vestris næniis obiiciunt. Si ipsius contra vestram impietatem testimonia scire cupis, lege Confessionem Augustinianam à Hieronymo Torrensi Societatis nostræ Theologo editam, vnum tantùm breuitatis caussa afferam, vt Christiano Lectori faciam satis. *Neque, inquit, negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis Sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt.* Perspicuam D. Gregorij sententiam pro Purgatorio suprà adduximus, Quare reliquum est, vt D. Bernardum pro fide Catholica dimicare demonstremus.[f] *Habet, inquit, & semper habebit integram Christus hæreditatē suam, & possessionem suam terminos terræ, se potius subtrahunt huic magnæ hæreditati, qui Christo illa conantur detrahere, Videte detractores, videte canes, irrident nos quia baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis, quòd Sanctorum suffragia postulamus,* Et infrà, *Non credunt Ignem Purgatorium restare post mortem: sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remitteretur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatioue peccati?* Habes perspicua & dilucida quinque illorum Patrum, quos Caluinus nominauit pro Purgatorio testimonia: Adeò enim inter se sunt hæc duo fidei dogmata de Purgatorio, & defunctorum suffragiis copulata, vt qui alterutrum concesserit, vtrunque concedere cogatur. Plura verò Ecclesiæ Doctorum in eandem sententiam præclarè scripta, multi Catholici Scriptores recensuerunt, quæ vbi hæc pauca vestræ τῇ δυσδαιμονίᾳ non aduersari docueris proferam. Aërij certè multis ab hinc seculis damnatam hæresim,

Calu. lib. 3. Inst. c. 5. § 10 Caluinus temerè D. Augustinum & matrē eius perstringit. Cal. irridet procaciter lib. de cura pro mortuis.

Augustin. in enchirid. ca. 110. Sacrificium & eleemosinæ defūctis prosunt.

Bernard. sermon. 66. in Cantica Cantic.

f Psal. 2. 8. Hæretici D. Bernardi temporis Caluinistæ similes. *Matt. 12. 32.*

hærefim [a], vos Caluiniani reuocaſtis, cùm Purgarorium & orationes pro mortuis, tollitis. Ac cùm homines peccare omnibus in rebus Caluinus [b] profiteatur: & ſcriptum ſit [c], *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, Poſt hanc vitam, aut peccatorum ſordes eluentur, ac ita Purgatorium admittes: aut contra Scripturam, cælum eſſe hominum ſceleribus inquinatorum domicilium concedere cogeris. Quid Synagoga veſtra de animorum à corporibus ſeiunctorum ſedibus ſentiat, à te doceri cupio. Claudius Sainctesius Epiſcopus Ebroicenſis, vir in ſtudiis Theologicis exercitatiſsimus, ſcribit vos ſentire piorum omnium animos etiam antequam Dei filius carnem humanam ſuſcepiſſet, æternam in cœlis beatitudinem fuiſſe conſecutos. Quæ Caluinianorum dementia multùm à Caluini [e] placitis diſcrepat: Variis enim in locis negat eos immortalitatis gloria antę vltimum iudicij diem donari.

a *Epiphan. contra hæreſ. 75. Auguſt. de hæreſibus, hæreſi. 53.*
b *Caluin. lib. 3 Inſt. c. 14. §. 9 & 11.*
c *Apocal. 21. 27.*
d *Claud. de Sainctes. 4 repetit. de veritate Eucharistiæ cap. 11.*
e *Caluin. in har. Euangelica ad 16. c. Lucæ § 22. & in c. 14 Ioan. §. 2 in Pſychopannychia lib. 4. inſtit. c. 7. §. 28. item lib. 3. inſt. ca. 25. §. 6. in epiſt. Iudæ. §. 6.*

MINISTER. pag. 46.

Etiam veni Domine IESV.

CATHOLICVS.

Exurge Deus, iudica cauſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum quæ ab inſipiente ſunt tota die. Pſal. 73. 22.

DISPV

DISPVTATIONVM LIBER SECVNDVS,

IN QVO PRIMVM DE IMAGINIBVS, tum de Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, postremò de rebus cæteris in Theses Turnonias, à Ministro perperam allatis agitur.

Assertio IIII. ex iis quæ disputatæ sunt in Academia Turnonia anno 1582.

Tanto prætereà pietatis hostes in Christi Domini, Sanctorúmque Imaginibus confringendis furore fuisse inflammatos scimus, vt omnem exuisse humanitatem viderentur, cùm tamen nullo Dei mandato Imaginum vsum Christianis esse interdictum docere possint: Et Beza nunc eorum Antesignanus nuper Hussitarum, Lutheranorum, & ex aliis Sectis sicariorum Imagines typis Geneuæ excudendas curarit: Qua in re hoc vnum se in votis habere professus est, vt Domini nostri Iesu Christi, Discipulorúmque ipsius memoria, sempiterna obliuione deleretur, perditorum verò hominũ, qui heresean portentis Ecclesiam perturbarunt, recordatio perpetuò vigeret, atquè in omnium non modò animis, sed etiam oculis defixa resideret.

CAPVT PRIMVM.

MINISTER. pag. 47.

Distincta quæstionis notatio, è Iesuitarum inuolucris explicata.

CATHOLICVS.

Tibi opus est, Minister, Δηλίου κολυμβητοῦ ne quis in distinctis tuis notationibus suffocetur, cùm eodē planè modo Quæstionē de Imaginibus explicēs, quo primam Quæstionem euoluisti. Nam perspicuis, & claris rebus ineptiæ tuæ, eā afferunt obscuritatē, vt vix intelligi queāt. Et cùm Theses nostras argu-

mẽtis improbare nõ posſis diuerticula,quibus inſcitiam tuam tegas, diligenter quæris,vt Lector in tuis nugis perlegẽdis occupatus,Chriſtianã de fidei dogmate veritatem, non ſatis conſideratè perpendat.

MINISTER. pag. 47.

Principale crimen generis humani (vt Tertulliani verbis vtamur) defendendum,Ieſuitæ,ſuſcepiſtis. Periculoſum ſanè patrocinium, eòque etiam magis,quòd non Verbo illo veſtro non ſcripto, ſed Veritatis ſcripta luce, & Deo quidem indice, non Romano Pontifice, tota ſit controuerſia dirimenda.

CATHOLICVS.

Nos nullum crimen,vt calumniaris , ſed Chriſtianam Veritatem defendendam ſuſcepimus:Turcæ verò , aut impij cuiuſdam Apellæ perſonam tu planè induiſti,cùm Chriſti Domini,& Sanctorum Imagines effrænata,& præcipiti linguæ tuæ procacitate inſectari auſus es.Quòd autem Romani Pontificis,Chriſti Domini in terris Vicarij iudicium recuſas, ac Deo ſoli controuerſiam omnem reſeruas dirimendam,perditorum hominum more facis , qui ſceleribus ſuis debitas pœnas effugere cùm non valeant; diuinam implorant opem, Deúmque ſuæ innocentiæ teſtem faciunt,vt hac ratione, falſam ſibi probitatis apud populum exiſtimationem, concilient. Iudicabit ergo Deus , & ſententiam quam Eccleſia, de Imaginum vſu abhinc multis ſeculis tulit, veſtro magno malo , in mortalium omniũ conſpectu,per decretum ſuum τὸ ἀκυρωτόν, tandem aliquando firmabit.

Miniſter perditos imitatur.

MINISTER. pag. 47.

Iam & quorſum veſtra hæc phalerata loquacitas? Ita enim omnia inuoluitis, vt non Theologicæ diſputationes,ſed tyronum veſtrorum declamationes eſſe videantur.

CATHOLICVS.

Præclarè ſanè euoluis noſtra inuolucra Miniſter.Nemo tibi phaleratam loquacitatem vitio dabit:Quid enim ſermone tuo exilius reperiri poteſt ? Conuitia pro argumentorum telis arroganter iactas:& cùm orationis noſtræ puritati detrahis, tuum in nos odium commiſeratione certè dignũm, apertè prodis. Tu ex Aſſertionibus noſtris,neſcio quas diſputatiunculas,pro ea,quam tibi finxiſti interpretandi facultate,noua dicendi arte feciſti. Sed qua ratione declamationibus omnia inuoluantur, ſi aliquando Rhetorum præcepta deguſtaſti,nobis expedi,vt te in vtroque & euoluendi,& inuoluendi artificio in primis excellere,omnes intelligamus.

MINISTER. pag. 47.

Mentem igitur veſtram ita euoluemus,Nefas eſt Chriſti Domini,& Sanctorum imagines euertere.

CATHOLICVS.

Miniſter eordium ſenſa videt.

Lynceo perſpicacior es Miniſter , qui ad humanæ mentis receſſus tam facilè penetraſti. Si in mentes noſtras imperium habes, facilè

cilè de oratione nostra (quę mentis est nuntius) triumphabis. Mens ergo nostra, vt tu suspicaris, his paucis verbis continetur, *Nefas est, &c.* Quare perinde est tibi Imagines euertere, & (vt Theses nostræ habent) Imagines confringere. Certè passim confractas aliquas Imagines videmus, quas euertere non potuit impietas. Imagines fractæ non euersæ.

MINISTER. pag. 47.

Id autem his rationibus probare conamini, vt doctrina nostra, quæ Idola ex Verbo Dei abominatur, odium, inuidiamque confletis.

CATHOLICVS.

Disce orationis tuæ partes inter se copulare, ne Tyrones nostri, quorum declamationes irrides, garrulam tuam infantiam, ad Rhetorum & Grammaticorum præcepta excutere si cœperint, te hominem planè rudem, & indignum, qui cum tyrunculis vel mediocriter eruditis congrediatur, conuincant. *Idola vestra doctrina*, vt dicis, *abominatur:* Nos etiam Idola cane peius & angue odimus: & Societatis nostræ opera, Idola & confracta, & euersa esse, qui de rebus in Indiis ad Orientem & Occidentem Solem gestis scripserunt, locupletissimi testes sunt. Sacrosancta itaque Scripturarum oracula quæ τῶν εἰδώλων cultum detestantur, non minore quàm vos veneratione prosequimur: atque vt Simulacra deleantur, vitam ipsam vnà cũ sanguine effundere omnes parati sumus. At doctrinam vestram, *ex Verbo Dei, Idola abominari* scribis. Accipio libenter iudicium tuum de vestra Doctrina, quam sic à Dei Verbo distinguis: nam aliter *ex Dei Verbo abominari*, non posset, *Idola*; Responde si potes, quocunque te vertes, laqueis irretitus teneberis.

MINISTER. pag. 44.

Vestra autem argumentatio grauissimorum incommodorum demonstrationem complectitur, crudelitatis, impiæ sceleratæque aduersus Deum audaciæ: Et ἀντιπαγωγὴν ab aduersarij exemplo petitam, vt illum proprio telo iuguletis. quo genere argumentationis nihil efficacius, aut vehementius excogitari potest.

CATHOLICVS.

Nescio planè quid agas. Mentem nostram euoluendam suscepisti: quàm rectè tuo munere functus sis, æquus Lector iudicabit: Nam tu τὰ σαφέστερα καὶ γνωριμώτερα, διὰ τῶν ἀσαφεστέρων καὶ ὕστερον γνωρίμων, contra quàm præcepit Aristoteles, explicas. Sed apud quem Auctorem Classicum ἀντιπαγωγὴν legisti ? ἀντιγγλημα forte ?, vel ἀντικαθηγορία vsitata apud Græcos vocabula, tibi non arriserunt. Minister obscurat quæ clara sunt.

MINISTER. pag. 47, & 48.

Generalis responsio ad hanc quæstionem. Argumenta igitur illa vestra expendamus, vt perspicuum sit an ex mala causa bonam facere possitis, primaria Quæstione prius hunc in modum constituta.

CATHOLICVS.

Si primariam nondum instituisti Quæstionem, quid opus fuit Le-

ctorem illa tua inscriptione fallere? Generalem certè responsionem hîc nullam reperio, quam hoc loco afferre debebas, si vel minimos in bonarum artium studiis progressus fecisses.

CAPVT II.

MINISTER. pag. 48.

Falsne sit Idola, siue Imagines confringere.

CATHOLICVS.

Pro generali responsione ad hanc Quæstionem, nouam nobis inscriptionẽ proponis. Sed cur tot nouis Lemmatis, & titulis, subinde tuum ipse librum prænotas? Puto equidem te (qui Lectorem ad tuum opus Sophocleum euoluendum, nec verborum lenocinio, nec sententiarum, rerúmque grauitate posse allicere diffidebas) voluisse saltem, vt is tuas inscriptiones obiter percurreret: Debuisses itaque lepidum illud ἐπιγραμματίου hîc etiam apponere:

Mart. lib. 5. Epig.

Lemmata si quaeris, cur sint inscripta, docebo,
Vt si malueris, Lemmata sola legas.

Hactenus ferè singulis libelli tui verbis respondi Minister, vt de tuis ineptiis Christianus Lector, qui tuum scriptum non vidit, iudicium ferat. In posterum ea excerpam, quæ aut Christianæ veritati repugnare, aut tuam inscitiam testari iudicauero: Nam tuam inanem loquacitatem insectari si vellem; Lectori fastidium parerem. Eadem enim plerunque repetis, & verborũ portentis à linguæ Latinæ puritate abhorrentibus, animi tui sensa pessimè explicas.

MINISTER. pag. 48.

Ephesina Synodus iubet eum esse anathema, qui priuata autoritate ethnicorum Deorum statuas, seu imagines, aut perfregerit, aut profligarit, & rectè.

CATHOLICVS.

Minister Synodos malè citat, & earum decreta peruertit.
Eliberit. Synod. cap. 60.

In Ephesina Synodo nullum eiusmodi decretum reperio. Atq; vt mox dicam, historiæ te rudẽ profiteris. De iis autẽ qui idola confringunt, quid in Elibertina Synodo statutum sit, disce nunc primùm, qui Conciliorum tomos (quantum coniicere licet) nunquàm euoluisti; imò fortasse ne oculis quidem aspexisti: *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quia in Euangelio non est scriptum, neque inuenitur ab Apostolis vnquam factum: placuit in numerum eum non recipi martyrum.* Vbi est tuum *Anathema* Minister?

MINISTER. pag. 48.

Religionis constitutio, aut destitutio, id est, antiquatio, atque abrogatio (quod ad externos quidem ritus attinet) ius est Magistratus: Priuato nihil licet in Repub. iniussu magistratus.

CATHOLICVS.

Ministri πλάνησις.

Diuinare cogor quid velis, Asiane disputator, adeò es in disserendo πλανάζων. Quid? *constitutio religionis* tibi est *antiquatio*? sicut

ſicut *& deſtitutio*, eſt *abrogatio?* At fortaſsis deſtituere religionem, tuo iudicio,eſt eam antiquare & abrogare. Certè ante Conſtantinũ Magnũ, nullus Romanorum Imperator Superſtitiones in Vrbe publicè antiquauit. Sed prudenter excipis, *quod ad externos quidem ritus attinet*, Chriſtiano ergo homini externo ritu Idola colere permittis, vbi Magiſtratus Idolorum cultum non abrogauit. Næ hoc tuo teſtimonio Miniſter, factionem Caluinianam nefandi ſceleris condemnas:Nam,vt de Galliarum regno nihil dicam,in Scotia noſtra contra ſummi Magiſtratus imperium, Caluinianus furor omnia occupauit. Atque vnà cum Chriſtiana religione,ita regiam Maieſtatem depreſsit,vt ſi Dei immenſa clementia Iacobum Principem Serenisſimæ Reginæ noſtræ Mariæ filium non conſeruaſſet, non tantùm de auctoritate regia, ſed & de Regni Scotorum nomine planè actum fuiſſet. Miniſtri in Scotia Regiam Maieſtatem depreſſerunt.

MINISTER. pag. 48.

Magni illius Conſtantini pietatem,& conſtantiam veneramur, qui non modò ethnicorum Deorum templa occludi iuſsit, ſed & eorumdem idola perfringi. Priuati hominis ardorem improuidum, è quantumlibet pio cõſilio naſcentẽ improbaremus,qui idem faceret,aut aggrederetur.

CATHOLICVS.

Cùm magnus Conſtantinus Idola confringi iuſſerit,cur *Epheſina Synodus*, (vt paulò antè dixiſti) poſt Conſtantini mortem coacta, *eum iubet eſſe anathema,qui priuata auctoritate, Deorum ſtatuas, aut perfregerit,aut profligàrit?* Euolue aliquantulum diligentius Chronographorum tabulas,ne quis ita facilè, te deinceps ἀνιστορησίας redarguat. Reſponde interim, vtrum ante Conſtantinum licuerit priuato homini (qui anteà Idola coluit) Penates ex ædibus ſuis deturbare? Caue ne Idolorum patrocinium ſuſcepiſſe conuincaris,qui Epheſino Concilio contra Conſtantini edictum, Idolorum defenſionem affingis. Lege hiſtorias Eccleſiaſticas, & diſces Theodoſium magnum (quo imperante Synodus illa habita eſt) Idolorum cultum in Imperio Romano extirpaſſe, & cauſam tunc fuiſſe nullam, cur Patres tam ſeueram legem promulgarent, comperies. Miniſter in hiſtoriis nihil verſatus.

MINISTER. pag. 48.

Quamobrem (ne in re perſpicua diutius immoremur) hoc dicimus, Ieſuita: Vt idola variis in locis confracta eſſe, non modò lætamur, ſed & in vniuerſo terrarum orbe id fieri peroptaremus: ita intemperiem in hoc Regno temerè peruagatam nunquam probauimus, etiam ſi pio zelo à nonnullis id factum fuiſſe arbitremur.

CATHOLICVS.

Non auderes, Miniſter, in Concione ad populum, quod in hoc tuo ſcripto poſuiſti, proferre: Auditores tui te lapidibus obruerent, ſi Imagines (quas tu impiè Idola appellas) Miniſtrorum Caluini iniuſſu confractas negares: Ac iuſtis de cauſis ſuperſedebo

Caluinistarum zelus neque pius fuit, neque secundum scientiam.

certissimis argumentis, quibus te apertè nugari, possem conuincere. Quære à Sodalibus tuis, qui Christianæ religioni in Scotia bellum indixerunt, quid significet præclara illa perditorum hominum vox, *puil doun*, quam dum miseram plebem ad pietatis vestigia omnia delenda commilitones illi tui inflammarent, frequenter vsurparunt. Zeli tui pij funesta in omnibus regionibus (quæ Caluinianæ doctrinæ locum dederũt) sunt impressa vestigia, quæ sine incredibili piorum omnium horrore videri non possunt.

MINISTER. pag. 48.

Iehu rapidum, aut fucatum Zelum, neque probauimus vnquam, neque probabimus.

CATHOLICVS.

4. Reg. 10. 30. Minister historiæ sacræ ignarus.

Quid tu aut probes, aut improbes non moramur: Audi quid Dominus ad Iehu dixerit: *Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Ad hæc non iam priuatus (vt tu Historiæ sacræ imperitus somnias) sed iam in Regem, Dei mandato, inunctus, & Principum acclamatione Rex salutatus, quæ Scriptura commemorat, molitus est.

MINISTER. pag. 49.

Fucata Ministri simplicitas.

De vobis, Iesuita, qui viuos sempiternis odiis ita prosequimini, vt in mortuis odia non conquiescant, quid statuendum sit, viderint boni, & cordati viri, ex his quæ huius orationis primordio à nobis sunt verè, & simpliciter annotata.

CATHOLICVS.

Quos viuos, Caluini Minister, odio prosequimur? Hæreses radicitus extirpare omni studio conamur: Hæretici vt abiectis erroribus resipiscant, pro virili contendimus: Si hoc est odio prosequi viuos, iudicet tuus cordatus Lector. Quid verò de orationis tuæ primordio sentiendum sit, non erat, cur Lectori in memoriam reuocares: nam præter Linguæ petulantiam, tuas ψευδολογίας multas, *verè & simpliciter* obseruauimus, vt cuiuis hanc nostram Responsionem legenti licet perspicere. Quàm autem rectè orationis tuæ pars illa, *vt in mortuis odia non conquiescant*, cum antegressis verbis cohæreat, viderint Collegij Nemausensis Grammatici.

MINISTER. pag. 49.

Imaginem Christi, & Iouis statuã eodem honore dignã dicit impius.

Hoc volumus, Iesuita, hoc optamus, hoc ad pios Magistratus pertinere contẽdimus, vt Idola, id est, imagines Iouis, Iunonis, Mineruæ, Christi, Mariæ, Petri, Pauli, (eodem enim furore, & Christi Domini, & Sanctorum nominibus abutimini) deturbent, confringant, conterant: Ezechiæ & Iosiæ laudatissimorum Regum exemplo, Idolorũ furores in suis ditionibus obtinere ne patiantur, priuatis nefas esse, iniussu Magistra-

tus

tus Idola Iouis, Iunonis, Petri, Pauli confringere affirmamus. Rem denique probamus: legitimum modum in ea desideramus.

CATHOLICVS.

Hæc tua, Minister, apud me consideranti, cum Satyrico exclamare libet, *Iuuenal. Satyr. 2.*

Quis cælum terræ non misceat, & mare cælo,
Si fur accuset Verrem, Catilina Cethegum.

Vel potius his Diui Pauli verbis te percellere, ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν, μοιχεύεις; ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, ἱεροσυλεῖς; Quis enim nescit, non quidem fortè te, qui adhuc ἐν τῷ σῷ φροντιστηρίῳ nouitius es, sed illos vestros ciuilis incendii πρωτοστασιαρίους sacrarum Imaginum euertendarum auctores, hortatores, impulsorésque extitisse? Sed bone Iesu, quid addis? Non te pudet, Minister, in eundem ordinem Iouis, Iunonis, & Mineruæ Idola, & Christi Seruatoris nostri, eiúsque sanctissimæ Genitricis Mariæ, necnon Petri, & Pauli sacras Imagines reponere? An Constantinus Romanorum Imperator (cuius anteà pietatem, & constantiam non immeritò prædicasti) Imagines horum Apostolorum à B. Syluestro Pontifice sibi oblatas, cum Iouis cæterorumque Dæmonum simulachris contriuit, effregit, euertit? An ille Labarum vexillorum Imperatoris Romani præstantissimum ablata ex eo sua imagine, sacrosancto Christi Crucis signo non insigniuit: quo vexillo tutus, acerbissimos Christi hostes profligauit? De quo audi quid Christianus Poëta scribat Prudentius, *Ad Rom. 2. 22.*

Constant. Magnus Apostolorum Imagines veneratur. Labarum insignit cruce. Prudent. lib. 2. aduers. Symmachum.

Christus purpureo gemmato textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.

Et ne fortè existimes nouum esse sacrosanctum Crucis vexillum venerari, audi quid paulò post ibidem sequatur,

Tunc ille Senatus
Militiæ vltricis titulum, Christique verendum
Numen adorauit, quod collucebat in armis.

Pius igitur, tuo iudicio, Magistratus, Christi Domini, Diuorúmque Imagines non sustulit, sed eas vel iam antè receptas seruauit, vel de nouo, magno cum honore, & gloria erexit. Atque vt omnes intelligant te bonum malum, & malum bonum dicere, quod, tu pios Magistratus præstare debere contendis, id Iulianus Apostata (cui, credo, nullam pietatis laudem tribues) in Christi Imagines præstitit. Nam, vt omittam celebrem illam Christi εἰκόνα quam mulier Hemorroussa à Christo curata erexerat, quámque Iulianus vt suá eò loci referret, euerterat, hoc ipsum Labarum à Constantino Christi Domini Cruce insignitum, ipse Iulianus sublata Cruce in antiquam formam reuocauit. Qua de re sic Gregorius Nazianzenus conquestus est, τολμᾷ δὲ ἤδη καὶ κατὰ τοῦ μεγάλου συνθήματος, ὃ μετὰ τοῦ σταυροῦ πομπεύει, καὶ ἄγει τὸ στρατὸν εἰς ὕψος αἰρόμενον. Sed vt tecum comminus con

Iul Apostat. ex Labaro crucem aufert.

nus conferam, qua fronte nefandum Iouis idolum Christi sacræ Imagini conferre audes? Non vereris, ne si hæc duo æqualia, tuo iudicio, sint, Iouem etiam Christo parem facias? Cùm Imago rei non ex se, sed ex suo prototypo, & exemplari sit æstimanda.

CAPVT III.

NOS deinde in alio Libelli tui titulo, cum omnibus Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus, Idolorum patronos pro tua singulari modestia nuncupas.

MINISTER. pag. 49. & 50.

Minister apertè calumniatur.

Pudet nos sanè vestræ impudentiæ: quo enim alio nomine vestram illam incredibiliter præfractam in obruenda veritate audaciam appellaremus; qui millies expressam in Verbo Dei Idolorum detestationem negetis?

CATHOLICVS.

Pudet & nos tuæ ἀδολεσχίας, Minister, (leuius enim nomen temeritati quod imponam tuæ, non occurrit) qui nobis sciens, prudens, tam immane scelus (quòd nemini nostrûm vnquam in mentem venit) impudenter affingis? Vbi enim legisti, vel etiam audiuisti nos expressam in Dei Verbo Idolorum detestationem negare? Certè nos omnes, Idola omnia prorsus, & toto animo execramur, & detestabiles esse omnes Idolorum cultores certò nobis persuademus, atquè maximè expresso Dei Verbo quàm sæpissimè inculcatā esse Idololatriæ abominationem, clara vbique voce profitemur.

MINISTER. pag. 50.

Atqui parata erit vobis responsio, non illo iure vtimur.

CATHOLICVS.

Tu sanè te dignas, per egregiam Rhetorū ἀμβλυψιν, responsiones subiicis à nobis μηδὲ κατ' ὄναρ cogitatas. Nos amplectimur ius diuinū, cui vos Caluiniani Ministri detrahitis, cùm Deum huius iuris Auctorem, impium tyrannum facitis. Nam inter alia vestra errorum portenta, quæ Synagoga Caluini pro Christi oraculis substituit, non extremum est, mortalium posse neminem iuri diuino parêre, [a] cùm tamen ex Scripturis constet, legem ab iis, qui salutem consequi volunt, necessariò esse seruandam [b].

a Caluin. in Antidot. Concil. Trident. in Can. 18.
b Matt. 19. 17.

MINISTER. pag. 50.

Ecclesia Catholica Romana autoritate, & sententia factum est Senatusconsultum, vt hoc de Idolis interdictum, è legis Dei tabulis deleretur: ac proinde nouo hoc decreto vetus antiquatum fuit, & in illius locum Missæ audiendæ mandatum introductum est.

CATHOLICVS.

Insigne Ministri mendacium.

Præclarè à Marco Tullio scriptum est, *Qui verecundiæ fines semel transierit, eum benè, & nauiter oportere esse impudentem.* Tibi ludus est, Minister, de Christi Ecclesia apertè mentiri: Nam Dei Tabulas

las Ecclesiam Catholicã Romanam corrupisse impudentissimè fingis. *Nouo hoc decreto* (quod nunquam factum est) *Vetus antiquatum fuisse* somnias: At lex Dei nullis hominum decretis antiquari potest. Neque Ecclesia Catholica Romana, quæ omnibus Hæresibus semper restitit, & pro diuinis Tabulis, semper constantissimè pugnauit, vel minimùm ex literis Sacris verbum detrahi vnquam passa est.

MINISTER. pag. 50.

Et quoniam erubescimus sine lege loqui, ex præscriptis verbis agemus. Nã in Catholica Romana Decalogo ita disertè apud vos habetur.

Les Dimanches Messe orras,
Et festes de commandement:
Et ton Createur receuras
A tout le moins vne fois l'an.

Minister singularis Cauillator.

CATHOLICVS.

Non erubescis mentiri, qui ad Legis à te cõfictæ præscriptum loqueris? Nihil huiusmodi in Catholicæ Romanæ Decalogo legisti: Accipe Decalogum, versibus quidem rudibus, sed facillimis tamen, iam olim comprehensum, & in libello (cui titulus est, *Le sommaire de la doctrine Chrestienne*) descriptum.

Vnum cole Deum: Nec iures vana per ipsum:
Sabbatha sanctifices: Habeas in honore parentes:
Non sis occisor: Fur: Mœchus: Testis iniquus:
Alterius nuptam: Nec rem cupias alienam.

Gallicis item rithmis, vt facilius plebs ea memoriæ mandare possit, eadem Præcepta iam pridem à Maioribus nostris edita sunt.

1. *Vn seul Dieu tu adoreras,*
   Et aimeras parfaictement.
2. *Dieu en vain ne iureras,*
   N'autre chose pareillement.
3. *Les Dimanches tu garderas,*
   En seruant Dieu deuotement.
4. *Pere, & Mere honnoreras,*
   A fin que viues longuement.
5. *Homicide point ne feras,*
   De faict, ne volontairement.
6. *Luxurieux point ne feras,*
   De corps, ne de consentement.
7. *L'auoir d'autruy tu n'embleras,*
   Ne retiendras à ton escient.
8. *Faux tesmoignage ne diras,*

Ne mentiras aucunement.
9. *L'œuure de chair ne desireras,*
Qu'en Mariage seulement.
10. *Biens d'autruy ne conuoiteras,*
Pour les auoir iniustement.

Quod, obsecro, Dei præceptum hîc antiquatum vides? Decē profectò reperies, si numerare noueris. In eodem etiam libello Ecclesię Præcepta noua inscriptione prænotata, rithmicè extant composita. Inscriptio est huiusmodi:

Les commandemens de nostre Mere Saincte Eglise.

I. *Les Dimenches Messe oyras,*
Et festes de commandement.
II. *Tous tes pechez confesseras,*
A tout le moins vne fois l'an.
III. *Et ton Createur receuras,*
Au moins à Pasques humblement.
IIII. *Les festes tu sanctifieras,*
Qui te sont de commandement.
V. *Quatre temps, veilles iusneras,*
Et le Caresme entierement.
VI. *Vendredy chair ne mangeras,*
Ne Samedy semblablement.
VII. *Hors le temps nopces ne feras,*
Payant les Dixmes iustement.

Tu verò non tantùm ordinem Præceptorum Ecclesiæ, sed & sententiam peruertere conatus es, vt qui Scriptum hoc legerit, facilè (ne minima consecter) iudicabit.

MINISTER. pag. 50.

Et vester Catechismus ex eodem illo Verbo non scripto, id est, Concil. Agath. & Lateran. decretis, Sacrum Missæ officium diebus festis reuerenter audito, & Sacrosanctam Eucharistiam, vt minimum semel in anno, idq́ circa festum Paschæ sumito. De Idolorum siue Imaginum interdicto merum ibi silentium.

Mera Ministri impostura.

CATHOLICVS.

Nescimus quem Catechismum intelligas: vbi sit de Idololatria merum silentium. Certè Petrus Canisius de religione Christiana, & docendo, & scribendo optimè meritus, cùm in paruo, tum in magno quem edidit Catechismo, huius interdicti de Idolis meminit. Verba ipsius ex maiore Catechismo fideliter describam: *Decem Dei verba, primùm per Mosen Iudæis tradita, & deinde per Christū & Apostolos*

Exod. 20. Matth. 19.

& Apostolos Christianis omnibus commendata, quæ & Decalogi nomen obtinuerunt, atque ita recensentur: Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, vt adores illud. Et in minore Catechismo iisdem planè verbis primum Decalogi præceptum tradidit, quod quidem in vtroque sic explicat: *Prohibet ac damnat Idololatriam, seu cultum falsorum Deorum, artem Magicam &c.* Tu tamen singularis fingendi artifex *de Idolorum interdicto merum esse in Catechismo nostro silentium* scribere nō erubuisti. Si verò de Catechismo Edmundi Augerij, viri singularis eruditionis (cuius conspectum vniuersus Caluinianus cœtus ferre nunquam potuit) te loquutum dixeris, nihilo felicius tuum commentum tibi succedet, cùm primo Decalogi præcepto Idola esse vetita perspicuis verbis profiteatur, vt tu, si fortè elegantissimum summi Theologi librum hactenus non vidisti, nunc primùm discere poteris.

DOCTOR.

Cedo primum prioris Tabulæ præceptum.

ADOLESCENS.

Audi Israel: Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, aut omnem similitudinem vt ea adores, & colas. In Catechismo verò Græco sic exponit, αὐτίκα δὴ τὸν θεὸν ἕνα καὶ μόνον εἰς τὸ πρῶτον προσκυνεῖν, ἅμα δὲ καὶ πᾶν εἰδωλολατρείας καὶ δαιμονίας βδέλυγμα φεύγειν κελεύει. Quam nunc, Minister, excusationē calumniæ tuæ dabis, qua nos diuinæ Legis tabulas imperitæ plebi corrupisse, persuadere voluisti?

MINISTER. pag. 50,

Si ita est, vt est Iesuita, quid moramur? non modo ad παράδοξα, sed ad falsi quoque metam peruenistis. Sacrosanctam Dei legem immutare, ecquidnam est aliud, nisi blasphemiæ scelus? Mendacij indicatio, veritatis victoria est, ait Tertullianus. Minister planus, & veterator.

CATHOLICVS.

Tu pudoris omnis metas, cùm à nobis sacrosanctam Dei legem, immutatam esse fingis, Minister, planè transiuisti, & veteratoris Vafri ob insignia mendacia tua, tibi meritò nomen conuenire iam potest. Cúmque *Mendacij indicatio, veritatis victoria sit*, victus sanè es: mendaciorum enim crimine te iam sic constrictum teneri vides, vt nulla tibi relicta sit potestas elabendi.

CAPVT IIII.

MINISTER. pag. 50. & 51.

SED audimus quid excipiatis, Hæ sunt igitur fere exceptiones vestræ. Alind est, dicitis, Idolum, aliud Imago, magnum est inter duo illa vocabula discrimen. Si nobis res esset cum tenebricosi illius sæculi scriptoribus, quibus fas erat dicere, Græcum est, non legitur, præiudi- Græculus Veteres ignorantiæ arguit.

cata opinioni veniam tribuendã esse existimaremus. At vos qui è mediis Athenis profecti, tã exquisita linguæ Græcæ cognitione polletis, vt publicas etiam declamationes in Academia vestra habeatis, quò ad nouũ illud spectaculum omnes confluamus, hanccine distinctionem admittetis?

CATHOLICVS.

Tu in maximis ignorantiæ tenebris versaris, Minister. Nam seculum illud, quod tu tenebricosum appellas, viris eruditis abundauit. Quòd si eruditio omnis in linguæ Græcæ cognitione ponitur, plerosque ex Prophetis ineruditos fatearis necesse est, quos Græcarum literarum cognitionem habuisse, nullo Scripturæ testimonio probari potest. Quod de Academiæ nostræ declamationibus subiicis, animi erga nos tui, testimonium esse voluisti: Quales verò illæ sint, tu (qui ὡς φίλον πλατωνίζεις) si spectator esse voles, iudicabis. Quamuis autem plerique Scriptores *Idoli* vocem, Latinè *Imaginem* reddiderint, Ecclesiæ tamen, imò etiam Scripturæ sacræ vsus obtinuit, vt plurimùm inter Idola, & Imagines intersit; Quod ipsum si Christianus haberi vis, te fateri cogam: De Christo enim Domino scriprum est ὅς ἐστι εἰκὼν τοῦ Θεοῦ, *qui est Imago Dei*: Responde, si audes: cùm *Imago*, tuo iudicio, sit prorsus idem quod *Idolum*, & Christus, auctore Apostolo, sit Imago Dei, ergo erit Idolum Dei, ergo qui Christum colunt, Idololatræ erunt: Vos igitur Caluiniani aut Idololatræ estis, aut certè Christum, Dei filium non colitis. Dissolue hoc δίλημμα, si potes, & intende omnes ingenij tui neruos, vt eius τὰ κέρατα retundas, & nota diligenter, quantum sit inter *Imaginem*, & *Idolum* in sacra Scriptura discriminis.

Idolum & Imago differunt.

2. Cor. 4. 4.

Caluinistæ vel sunt Idololatræ, vel Christũ non colunt.

MINISTER. pag. 51.

Quòd in his vocum decipulis lusurum hominis ingenium sapientissimus Deus prauidebat, in interdicto de Idolis cauere voluit propriis nominibus: Non facies tibi pessel sculptile, τὸ ξόανον, quamlibet statuam, τὸ ἵδρυμα adiungit; Neque Temuna, id est, vllam imaginem: quo vocabulo εἰδώλου siue εἰκόνος nomina designaret; ne humanum ingenium auderet vlla forma Deum sibi representare.

CATHOLICVS.

Non existimo te vnquam vocem פסל Pesel à 70. Interpretibus verbo Græco ξοανὸν expositam reperisse: Nam illi modò eã γλυπτὸν, modò εἴδωλον, modò χειροποίητον solent reddere: Tu verò quod in Latina Græcorum interpretatione ausus es facere, vt Græca verbis Latinis à vulgata editione distantibus exponeres: Idem in Hæbraicis Græcè reddendis voluisti perficere, vt tibi omnia sacræ Scripturæ vocabula, ab aliis vsitata, sordêre demonstrares, Vox etiã תמונה temunah non εἰδώλου, καὶ εἰκόνος nominibus ab iisdẽ lxx. designatur, sed ὁμοιώματος, καὶ δόξας. Quare, quid dices ad hęc Dauidis verba תמונתך אשבעה בהקיץ esbegna behakits temunateca, que lxx. imterpretati sunt χορτασθήσομαι ἐν τῷ ὀφθῆναί μοι τῆς δόξαν σου: Et noster Hier. *Implebor*

Minister Hebræam vocẽ malè Græcè reddit.

Psal. 16. 10.

Implebor cùm euigilauero similitudine tua. An ibi תמונה dices Idolum significare, vt Deus ipse sui Idolum habeat? Sed cùm tu nobis millies dissolutum argumentum obiicias, paucis te verbis expediemus. Primo legis Præcepto hoc solum prohibetur, ne quis Deum alium præter verum colat, quod Leuitici verba non obscurè docent: *Ego Dominus Deus vester, non facietis vobis Idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra vt adoretis eum: Ego enim sum Dominus Deus vester.* Prohibuit Deus filiis Israel, qui ad Idololatriam valde procliues erant, ne vllum diuinæ Maiestatis simulachrum formarent. Cùm enim immensa sit Dei natura, & infinita, illiúsque formam qualis sit, ne cogitatione quidem mortalium vllus consequi valeat, detestabilis planè est amentiæ, sempiterni numinis vim, & naturam velle artificio imitari, vt præclarè docuit his verbis Isaias, *Cui similem fecistis Deum? aut, quam Imaginem ponetis ei? nunquid sculptile conflauit faber? aut artifex auro figurauit illud, & laminis argenteis argentarius?* Vetuit ergo Deus, ne quis sempiternam Maiestatem simulachro vllo exprimere tentaret, quod ipsa Scriptura non obscurè testatur cùm caussam Præcepti adiungit. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua loquutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti, faciatis vobis sculptam similitudinem, aut Imaginem masculi, vel fœminæ.* Si vidisset Israeliticus populus, ad Idolorum cultum propensus, alicuius rei similitudinem, cùm Deus eum alloqueretur, eam existimasset Dei esse Imaginem, cœlestéque numen eiusmodi forma præditum falsò credidisset. Neminé nostrûm latet quid ab Apostolo de Idolorum cultoribus scriptum sit. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Idololatræ, vt Auctor est Iustinus Martyr, diuinitatis se formam exprimere, talíque Deum effigie præditum esse arbitrabantur, qualem simulachra præ se ferebant. *Negamus*, inquit, *hanc esse Dei formam, quam quidam aiunt se expressisse, sed ista sunt effigies & nomina dæmonum, quos malos esse ostendimus.* Ab hac impietate cùm Christi Ecclesiam quàm longissimè abesse tu non ignores, primum Decalogi Præceptum Imaginum cultui plane nihil aduersari, nisi planè insanias, facile intelliges.

Leuit 26.1. *Isa 40.18 19.* *Deut.4 15. 16.* *Rom.1.23.* *Iustinus Martyr. in Apolog. 2. pro Christianis.*

MINISTER. pag. 52.

Ne ingenium humanum, vanorum commentorum ferax, aliquid haberet, quod ad excusationem prætexeret: & Cœlum ex cuius contemplatione prima superstitionis origo promanauit, & Terram & Mare permeauit Dei sapientia: ne quis in rerum Vniuerso esset angulus, ad quem Interdicti huius vox non personaret.

Minister falsò superstitionis originem ad cælum refert.

CATHOLICVS.

Vbinam scriptum est, *Ex Cæli contemplatione primam superstitionis originem promanasse?* Nescio an huius commenti tu ipse primus

ſis auctor. Reuocabo tibi in memoriam Marci Tullij præclaram ac Philoſopho dignam ſententiam: *Quid poteſt eſſe tã apertum, támque perſpicuum, cum cælum ſuſpeximus: cæleſtiáque contemplati ſumus, quam eſſe aliquod numen præſtantiſsimæ mentis, quo hæc regantur?* Caluini iudicio, nouum hoc tuum paradoxum repugnat communi hominum conſenſioni, dum ait: *De Idolorum origine publico fere conſenſu receptum eſt, quod in libro Sapientiæ habetur, primos ſcilicet extitiſſe eorum cultores, qui hunc honorem detulerũt mortuis, vt ipſorum memoriam ſuperſtitioſè colerent.* Licet ipſe poſteà ſe Scripturis repugnare profiteatur, dum ait: *Non concedo hunc fuiſſe primum mali fontẽ, Idola enim iam fuiſſe prius in vſu, quàm in conſecrandis moruorũ imaginibus ambitio inualuiſſet (cuius apud profanos Scriptores crebra fit mentio) cõſtat ex Moſe cùm Rachelem narrat furatam eſſe patris ſui idola, non ſecus ac de communi vitio loquitur.* Acutè ſcilicet argumentatur: Moſes narrat Rachelem [a] furatam eſſe Patris ſui idola, quare falſum eſt, quod in libro Sapientiæ legimus, [b] primos idolorũ auctores fuiſſe eos, qui hunc honorem detulerunt mortuis; aut ſi mauis, Superſtitionis malum, cùm Rachel Patris ſui idola furaretur, longè latéque patebat. Non ergo primi idololatriæ fuere auctores, qui diuinis honoribus mortuos ſunt proſecuti. Acumen eſt Caluino dignum, quod Tyrones noſtri, meritò irridebunt. Sed cupio à te diſcere, an qui *ex cæli contemplatione* omnium primi ſuperſtitionibus ſe implicarunt, idololatræ fuerint? Nam, vt tu arbitraris, *ex vocis Idoli notione, rei vis & natura intelligitur*: fuiſſe autem plurimos, qui ſydera pro Diis coluerunt, teſtantur non modò Sacræ literæ, ſed & profani Scriptores: *Aut ignem* (inquit Scriptura) *aut Spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt.* Si illi homines, qui Soli, & Lunæ diuinos honores exhibuerunt, fuerunt Idololatræ, quodnam Idolum coluerunt? Perſpice diligenter, an vocis *Idoli* notio, quam, vt tibi perſuades, ex reconditis Grammaticorum myſteriis, id eſt, eorum qui Lexica Græco-latina ſcripſerũt obſeruationibus, hauſiſti, in Solem, Lunam, & alias res à Deo creatas, quibus hominum impietas abutebatur, conueniat? Noli tuæ Grammaticæ nimium fidere, ne dum verba conſectaris, impietatis nouus patronus exiſtas.

Cicero lib. 1. de natura Deor.

Caluin. lib. 1. Inſt. c. 11 §. 8. Idololatria ex mortuis cœpit. Caluinus Scripturis contradicit.

a Gen. 31. 19. *b Sap. 14. 15.* D Thom. 2. 2. q. 174. art. 6. ſcribit Idololatriam cœpiſſe Abrahami ætate.

Sapien. 13. 2.

MINISTER. pag. 52.

Nónne vos igitur pudet, Ieſuitæ, his nugaciſsimis mendaciis, idolorum furores in miſerorum populorum animis fouere: & ita abuti ſimplicium imperitia, vt vocularum iſtarum falſa diſtinctione, portentoſiſſimi erroris inſaniam adaugeatis?

CATHOLICVS.

Nihil habet hæc tua oratio Miniſter, præter maledictorum farraginem: Tantùm certè abeſt, vt Idolorũ furores foueamus, vt eos in

primis

primis deteſtemur:& (quod anteà monui) vt multi Idolorum cultores Chriſtianæ religioni nomina dederint, Societatis noſtræ homines (Dei gratia) perfecerunt. Neque falſas vocum diſtinctiones vſurpamus, ſed Chriſtiana dogmata, iis, quas Chriſti Eccleſia probauit, vocibus, explicamus: Errores verò portentoſiſsimos in Caluiniana officina fabricatos, non minus quàm Idolorum inſaniam, execramur.

CAPVT V.

MINISTER. pag. 52.

Atqui excipietis, Idola ea, quæ tantopere vetat Deus, erant idola Ethnicorum: ſtatuæ videlicet Iouis, Iunonis, Palladis, & caterorum Deorum, qui planè ſunt nihil. Nos autem & Chriſti, & ſanctæ ipſius matris Mariæ Virginis, Petri, Pauli, & cæterorum Sanctorum, quorum memoriam feliciſsimam vigere, & oculis noſtris quotidie obuerſari intereſt Eccleſiæ, imagines habemus. Quaſi verò non eadem prorſus ſit Idolatria? Commutata quidem ſunt nomina, at res vna, atque eadem omninò manſit. Miniſtri impietas.

CATHOLICVS.

Tu ex Idololatria nouo more *idolatriã* facis. Cæterùm ſi Maiores noſtri Deorum, quos impiè colebant, nomina mutarunt, & res eaſdem reſeruarunt, eadem ergo res tibi ſunt, Chriſtus, & Iupiter: Dei Genitrix, & Iuno &c. Quòd ſi orationis tuæ ſententiam non ſum aſſecutus, mihi ſi placet, eam clarius exponito.

MINISTER. pag. 52.

Imò grauius peccatis, qui Chriſti Domini noſtri ſacro auguſtóque nomine, Sanctorúmque virorum nominibus, ad fœdiſsimam ſuperſtitionem abutimini &c.

CATHOLICVS.

Tu ſemper Caluiniano more argumentaris, mera enim conuitia loqueris: Abſit quod noſtrum vllus Chriſti Domini nomine abutatur. Tu fœdiſsimam ſuperſtitionem nobis obiicis, cùm tamen nihil à nobis ſuperſtitiosè fieri probare valeas.

MINISTER. pag. 52.

Non ita iuſsit Apoſtolus, vt vos, Ieſuitæ, (quibus id vnicè penſi eſt, vt collapſa mendacij rudera inſtauretis) Chriſtum depingi, ſed voce Euangelij: non picturatis illis imaginibus, quas veſtrarum præſtigiarùm inſignia eſſe vultis. Galat. 3.1. Modeſtia digna Caluini Miniſtro.

CATHOLICVS.

Argumentum Caluini Miniſtro dignum profers, *Non ita iuſsit Apoſtolus*, ergo nõ eſt faciẽdũ? Atque vt tuũ, quod Apoſtolo tribuis Galat. 3. 1. iuſſum excutiamus. Eius verba in medium afferam. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Ieſus Chriſtus proſcriptus eſt in vobis crucifixus.* De Chriſto Miniſter Scripturam corrumpit.

Domino

Domino voce Euangelij depingendo, nullum his verbis Paulus præceptum dedit, cur ergo Scripturis abuteris? Cur sententiã corrumpis? Accipe igitur huius orationis luculentam ex D. Athanasio explicationem, *Constat sanè Hierosolymis fuisse Iesum cruci affixũ, cur ergo ante horum oculos ait, & in vobis in patibulum hunc fuisse sublatum? quia fidei oculis longè acrius hi conspexere, quam qui præsentes fuere, & conspicati sunt. Illorum namque plerique ex eo corporali aspectu, nihil retulere vtilitatis: hi verò qui nequaquam oculis crucem prospexerunt, per fidem longè melius sunt contemplati. Proscriptus itaque Christus est, prædicatione depictus est, & designatus: vt verò prædicationi fidem præbentes, perinde ac præsentem vidistis.* Disce, in quo vis Præcepti posita sit, ne impietatem nimio studio tueri dum conaris, oraculorum cœlestium intelligentiam peruertas. Non negamus Christum Euangelij voce esse depingendum, sed hoc tantùm inficiamur, in versu 1. cap. 3. ad Galatas, Apostolum, Præceptum illud de pingendo Christo Domino hoc modo, quo tu somnias, dedisse.

D. Athanas. in c.3. epistol. ad Galat.

MINISTER. pag. 52.

Quòd si respondetis honorum religiosorum varia apud vos esse genera: λατρείαν, vos Deo, δουλείαν, Sanctis: & ὑπερδουλείαν sanctæ virgini Mariæ, & Crucis ligno tribuere: quæ vestri illi purulenti & veteris carcinomatis fœda est egestio: iterum profitebimur, vos verborum strophis miseras hominum conscientias impudenter circumuenire.

CATHOLICVS.

Receptam iampridem, vel Augustini tempore in Christi Ecclesia distinctionem, sermonis tui impuritate fœdare contendis, cùm ad eam improbandam nulla ratio tibi suppetat. Siccine Catholicorum argumentis in Caluini schola respondere didicisti? *Carcinomata* tua Minister, vt & alia cancrorum genera tibi, tuisque reseruato Symmystis.

MINISTER. pag. 52. & 53.

Vt, ut enim λατρεία de Deo (sicuti & δουλεία) dicatur: est tamen verum, & vobis vel mediocriter in lingua Græca versatis cognitum, δουλεύειν plus esse quàm λατρεύειν. De amico obsequio dixit Plato, Atticorum scriptorum ἀττικώτατος, fas esse λατρεύειν μὲν τοῖς φίλοις θωπεύειν δ' οὔ. Id est, obsequio colendos amicos, non verò illis esse assentandum. Et Plutarchus τὴν τῶν φίλων θυμήρη λατρείαν dixit. i. iucundum amicorum esse obsequium. Phocylideũ nemo nescit καιρῷ λατρεύειν. At τὸ δουλεύειν magis est, & maioris obsequij vocabulum. Ita vel sanctis plus quàm Deo tribuitis, vel sanctos æquatis Deo: vt si quis Gallicè dicat, Qu'il faict plaisir à Dieu, & seruice aux Saincts.

CATHOLICVS.

Tu quidem, quasi Æsopi cornicula, ἀλλοτρίοις πτεροῖσιν ἠμφιεσμένη argumentum hoc, sicut & alia permulta, à Caluino magistro tuo furatus es, Minister, auctoris tacito nomine, vt tuum esse videretur.

Caluin lib. 1. Inst. c. 11. §. 11. & c. 12 §. 2.

Cùm

Cùm verò multa sint quæ te Græcis literis leuiter tinctum esse prodant, tum quæ hoc loco de nomine λατρείας profers, apertè declarant. Nam quomodo audes dicere δουλεύειν plus esse, quàm λατρεύειν, cùm apud Auctores prophanos vtriusque verbi eadem plerunque sit significatio? Vide quid Xenophon dicat lib. 3. κύρου παιδείας: ἐγὼ μὲν ὦ κῦρε, κἂν τῆς ψυχῆς πριαίμην, ὥστε μήποτε λατρεῦσαι ταύτην. Et Plut. κατέχειν παρ' ἑαυτοῦ λατρεύοντας. Certè Eust. in Iliad. 2. λάτριν ὡς ὁ τοῖς τῆς γεωμετρίας Αριστοφάνους κεῖται, ἡ ἐπιμίσθιον interpretatur. Idē in Od. scribit καὶ λατρὶς κατὰ τινὰς μὲν ὁ ἀπλῶς θεράπων καὶ δ' ἐπέρῳ: ὁ καὶ πολεμικὴν περίστασιν ἁλοὺς εἰς δουλείαν ἀπαχθείς. Hæc quidem est maximè vsitata huius verbi significatio. Sed non recordaris apud Platonem (Atticorum ἀττικώτατον) λατρείαν pro cultu, & honore diuino accipi? Audi quid dicat Socrates in Apologia: καὶ ὑπὸ ταύτης τῆς ἀσχολίας οὔτε τι τῶν τῆς πόλεως πρᾶξαί μοι σχολὴ γέγονεν ἄξιον λόγου, οὔτε τῶν οἰκείων, ἀλλ' ἐν πενίᾳ μυρίᾳ εἰμὶ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ λατρείαν. A quo postea factum puto, vt primi nostræ religionis Scriptores, hanc vocem pro cultu, & honore diuino vsurparint. Vtriusque, id est, & Caluini, & tuam arguit inscitiam, quod præclarè à D. August. scriptum legimus. *Maximè illo loco satis claret, quòd Spiritus Sanctus non sit creatura, vbi iubemur non seruire creaturæ, sed Creatori, non eo modo quo iubemur per charitatem seruire inuicem, quod est Græcè δουλεύειν, sed eo modo, quo tantum Deo seruitur, quod est Græcè λατρεύειν, vnde idololatra dicũtur, qui simulachris eam seruitutem exhibent quæ debetur Deo, secundum hanc enim seruitutem dictum est, Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies. Nam & hoc distinctius in Græca Scriptura inuenitur, λατρεύσεις enim habet. Porrò si tali seruitute, creaturæ seruire prohibemur, quandoquidem dictum est Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Vnde & Apostolus detestatur eos qui coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm Creatori: Non est vtique creatura Spiritus Sanctus, cui ab omnibus Sanctis talis seruitus exhibetur, dicente Apostolo, Non enim sumus circumcisio Spiritui Dei seruientes, quod est in Græcis λατρεύοντες.* Et paucis interiectis: *Cui corpus nostrum templum exhibemus, necesse est vt huic eam seruitutem debeamus, quæ Græcè appellatur λατρεία.* Tuum *plus* in *minus*, si tanto Doctori credis, conuertes, ne seruitutem illam, quam homines soli Deo exhibent, præ seruitute, qua alter alteri seruit, contemnere conuincaris. D. Augustini testimoniis te obruam, vt omnes intelligant, quàm sis parum in Ecclesiæ Doctorum scriptis perscrutandis exercitatus. Respondens itaque Fausto Manichæo, qui Christianis Sanctorum cultum, Idololatriæ loco obiiciebat, vt tu nunc facis, inter alia quibus eum coarguit, hāc præclaram sententiam habet, *Illo cultu quæ Græcè λατρεία dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, vnde idololatria dicitur.*

Minister in Græcis parū versatus.

D. August. li. 1. de Trini. cap. 6.

Rom. 1. 25.

Galat. 5. 13.

Matt. 4. 10.

Rom. 1. 25.

Philip. 3. 3.

D. August. lib. 20. contra Faust. c. 21.

Dd

eorum, qui hoc etiam Idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum precipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sancta animæ, vel cuiquam Angelo, & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, siue vt corrigatur, siue vt caueatur. Tu linguam Latinam valde inopem facis, cum Gallicè Latriæ significationem reddidisse te existimas, quam D. Augustinus Latinè vno verbo explicari negauit. Et si, vt tu fingis, λατρεύειν tantùm significat *faire plaisir*, qui vobis rem gratam facit, καὶ λατρεύει vobis tribuit, Idololatra ergo erit: Atquè vos Idola eritis. Suadete igitur vestris mensarum Assedis ne in posterum vobis vlla in re gratificentur. Aduerte præterea quid alio in loco, contra tuam opinionem idem dicat: *Si seruieris Diis eorum, erunt tibi offendiculum, hic Græcus δουλεύσης habet, non λατρεύσης: vnde intelligitur, quia & δουλεία debetur Deo, tanquam Domino, λατρεία verò, non nisi Deo tanquam Deo.* Insanus planè haberetur qui *plus esse* diceret, Dominum esse, quàm Deum[a]. Ad extremum hanc vnam, ex Augustino sententiam, adiungo, ex qua, nominum λατρείας & δουλείας à Theologis sumpta est distinctio[b]: *Diuinitati (vel si expressius dicendum est) deitati debitus cultus, propter quem vno verbo significandum, quoniam satis idoneum non occurrit Latinum, Græco, vbi necesse est, insinuo quid velim dicere. Latriam quippe nostri vbicunque sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt seruitutem, sed ea seruitus quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, Seruos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Græcè nuncupari solet. Latria verò secundum consuetudinē qua locuti sunt, qui nobis eloquia diuina cōdiderunt, aut semper, aut tam frequenter, vt penè semper ea dicitur seruitus, quæ pertinet ad colendū Deū.* Nega nunc cū Caluino λατρείαν significare seruitutē & Augustinum esse vehementer hallucinatum, si audes, conuince.

Minister ex suis dictis Idolum esse conuincitur.

Aug. q. 94. super Exod.

a Aug. lib. 5 de Trinit. c. 16. & magister sent. lib. 1. dist. 30.

b August. lib. 10. de ciuit. Dei cap. 1.

Ephes. 6. 5. λατρεία seruitutem significat.

Existimo equidem lxx. Interpretes perfectiorem habuisse linguæ Græcè cognitionem, quàm omnes Caluini sectatores. Disce ergo, qui Theologi personam tibi arrogasti, ex Sacris literis, quid valeat Græca vox λατρεύειν πᾶν ἔργον λατρευτὸν οὐ ποιήσετε, Omne opus seruile non facietis; Et Hebraicum vocabulum, vt taceam orationis Græcè perspicuitatem, quam à Caluino didicisti inscitiam redarguit בּוֹלֶאכֶת עֲבוֹדָה לֹא תַעֲשׂוּ melecet gnauoda lo tangaschu. Consule thesaurum tuum, quid propriè significet verbum עָבַד: Sed in re perspicua diutiùs quàm par est, immoror. Rectè igitur ex sacris literis Theologi λατρείαν ἀπὸ τῆς δουλείας distinxerunt, vt cultum soli Deo tribuendum, non re solùm, sed & nomine ab honore quo Diuos prosequimur, differre ostenderent.

Leuit. 23. 28.

CAPVT VI.

MINISTER. pag. 53.

Minister in Patres iniuriosus.

Ectius Apostolus, servum Christi vocat: & bonus ille Angelus (non malus ille vester ἐθελοθρησκείας Genius huius distinctionis autor)

autor) Ioanni ad ipsius pedes adorandi causa procidenti edixit, vide ne hoc feceris: σύνδουλος enim sum tuus. Apocal.22.9.

CATHOLICVS.

Apostolus se seruum hominum vocat.

Idem Apostolus qui se δοῦλον Christi vocat, vnum hominem alterius hominis esse δοῦλον id est, seruū aliis in locis testatur [a], δοῦλος ἐκλήθης *seruus vocatus es*: ὁ γὰρ ἐν κυρίῳ κληθεὶς δοῦλος, *qui in Dominō vocatus est seruus*. Et de seipso idem scripsit, [b] πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα, *Omnibus meipsum seruum feci*. Et si vnum hominem alterius δοῦλον esse negaueris, caue ne contra Apostoli præceptum seruis ansam nō obtemperandi dominis suis dare conuincaris. Δούλους [c] (inquit) ἰδίοις δεσπόταις ὑποτάσσεσθαι, *seruos propriis dominis subiici*. [d] Ac ne mihi obiicias illud Apostoli, *Nolite fieri serui hominum*, Accipe præclaram huius loci, quam tradidit B. Athanasius, explicationem: *Nec solùm ad seruos istiusmodi differit, sed ad liberos homines habet hæc verba, vel vniuersos instituit, vel Christianum hominem, vt nihil ad humanā gratiam factitet, neque illorum iussa, qui praua iniunxerint exequatur, hoc enim esset hominibus seruitum iri, & per eos præsertim qui redempti pretio sint: neque id eò intulit, vt à dominis desciscant mancipia, neque enim id iubet, quod liquidò patet ex eo quod dixerat, vnusquisque in qua vocatione vocatus est maneat: hoc est, vel si fuerit in seruitute vocatus, in ea hic perstet. Apud Deum autē adiecit, ne fortè improbis Dominis obsequendo, deficiamus à Deo. Vtrisque itaque in rebus prouidit; videlicet ne sub Dei prætextu, discedant à Dominis, quorum in potestate, eorum sunt corpora, & rursum ne à Deo deficiant, qui Dominis obsequi vltra quàm deceat, volunt.*

a 1.Cor.7.21 22.
b 1.Cor. 9.19.
c Tit.2 9.
d 1.Cor.7.23.
D. Athanasius in commentarin.
Quomodo serui hominum esse debeamus.

Ad hæc, Genium tuum malum nos prorsus ignoramus, quem Caluino familiarem fuisse ipsemet non obscurè profitetur: A Bucero enim Præceptore suo monitus, vt à linguæ petulantia, & maledictis se abstineret, respondit: *Non sui esse ingenÿ morbum, sed sui Genÿ*. Et Lutherus primus Sectæ vestræ pares, sic de Genio suo gloriatur. *Aliqui gloriatur de spiritu, sed spiritus huc, spiritus illuc, ego quoque fui in spiritu, atque etiam ego vidi Spiritus, fortè plusquàm illi ipsi adhuc intra annum videbunt*. Et alio loco ait: *Diabolum & se inter sese mutuum familiariter nosse, & quòd plus vno salis modio simul comederint, illúmque dulci alloquio se frequenter conuenisse, & nocte excitasse, atque stimulasse: vt contra Missam scriberet, & ad eam rem argumenta suppeditasse*.

Caluinus in epist. ad Bucerum.
Caluini genius maledicus.
Luther. libro pro scho.is origendis.
Lutheri cū dæmone familiaritas.
Idem lib. de Missa angulari.

Quod autē ad locū Apocalypseos attinet, accipe Augustini expositionem, ex qua facilè intelliges, nihil inde contra nos effici. *Exsurgens autem Abraham, adorauit populum terræ*, [a] *quæritur quomodo scriptum sit*, [b] *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, cùm Abraham sic honorauerit populum quendam gentium, vt etiam adoraret? Sed animaduertendum est in eodem Præcepto non dictum: Dominum Deum tuum solum adorabis? sicut dictum est, & illi soli seruies, quod & Græcè λατρεύσεις: Talis enim seruitus non nisi Deo de-*

Augustin. in Genes.q. 61.
a Gen. 23.7.
b Deut.6.13. Matth.4.10

betur: vnde dānantur idololatræ, id est, eiusmodi seruitutē ex hibētes Idolis, quæ debetur Deo, nec moueat quod alio loco in quadā scriptura, prohibet Angelus hominē adorare se, & admonet vt Dominus potius adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator. Quod si D. Ioannem ab errore omni fuisse immunē quispiā dixerit nō contendā. Scio quidem Hesseliū virū preclara erudirione, & in Augustini scriptis optimè versatū, probabiliter admodū contēdere D. Ioannē eorū induisse personā, qui Angelis diuinos honores tribuebāt, vt ab Angelo monitus, nō tantū verbis, sed & reipsa impietatem hanc omnino spernendam doceret.

Apoc. 22. 9. Ioan. Hesselius de inuocatione sanctorum, contra Monhemium.

MINISTER. pag. 53.

Hæc δουλεία de Deo dicitur.

CATHOLICVS.

Deus ergo est δοῦλος, id est, seruus. Repete ex Aristotelicis categoriis, quid sit *dici de re aliqua*, ac Dei Dominum (cum seruus sine Domino esse non possit) si commonstrare nequeas, saltem vbi reperiri possit, indica.

MINISTER. pag. 53.

At vestra illius cōmentitiæ δουλείας iugum, vt fugiamus luculenter monet Apostolus Galat. 5. 1. ne contrariæ implicamini, δουλείας, id est, *seruitutis iugo.*

CATHOLICVS.

Galat. 5. 1.

Parum est tibi augere Scripturam, nisi & eius sententiam corrumpas: verba Apostoli sunt, μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε. *Nolite iterum iugo seruitutis contineri.* vbi est tua vox *Contrario*, quam Pauli sententiæ agglutinasti? De quo autem iugo loquatur, quamuis perspicuum sit, vt tamen tuam impudentiam redarguam D. Athanasij verbis explicabo. *Cum iugum, inquit, grauem legis seruitutem designat: cùm verò iterum dementia illos accusat, quandoquidem & intolerabile illud Legis onus experti, volentes rursum ad eam se conferunt.* Nósne Auctores sumus iugi illius, quod ij ferre cogebantur, qui Legem veterem obseruabant? Noli quæso impudenter Scripturas ad tua somnia confirmanda detorquere.

Athan. in c. 5. epist. ad Galat.

MINISTER. pag. 53.

Horat. in arte poët.

Totum autem illud vestrum ὑπερδουλείας commentum ὑπερβλάσφημον esse intelligamus.

CATHOLICVS.

Non ὑπερβλάσφημον est, vt tu Minister ὑπερβλασφημῶν, ἀλλ᾽ ὑπεραίνετον est τὸ ὑπερδουλείας vocabulum: Nam si vt ait ille,

— Licuit sempérque licebit
Signatum præsente nota procudere nomen,

Quid est, quòd Theologos nostros huius verbi Auctores arguas? quod quidem tantùm abest, vt βλασφημίαν vllam in Deum contineat, vt peculiarem, propriúmque honorem illi soli debitum conseruans,

seruans, alium Virgini Deiparæ singularé denotet. Nam si δουλείας honos est (vt iam toties diximus) qui Diuis cœlitibus debetur, nónne æquum est, vt singularem Virginem honore singulari prosequamur, & eam, quæ reliquis Diuis excellit, cultu etiam excellente quem ὑπερδουλείαν vocamus, veneremur? Prætereà si hypostatica coniunctio efficit, vt caro humana Christo vnita, adorationem singularé mereatur, cur illa communicatio, qua Mariæ caro, est quodammodo Christi caro, non efficiet, vt Maria Virgo Dei Mater honoré quendam, qui carni Christi à diuinitate separatę debetur, non assequatur? sed ne diutius de hoc nomine disputem, lege quę D. Canisius lib. 5. de Maria Virgine cap. 15. differit.

MINISTER. pag. 53.

Ex eo nata sunt suauissima: illa carmina ad summa Diuæ Virginis laudem à vobis excātari solita, Roga Patrē, iube natū, iure Matris impera. Minister improprié carmina excantari dicit.

CATHOLICVS.

Quis ineptiis nos excātare studes, Minister, qui impudentissimè hoc nobis imponis: Nullus enim nostrum est, qui hoc carmen vnquam cecinerit. Illud autem tuum, *excantari* si à Grammaticis excutiatur, exsibilabitur, cùm Venefici res carminibus (vt vulgò fertur) excantent: An verò carmina à Veneficis excantentur, tibi inquirendum relinquo. Tu tuo deinde more nobiscum agis, insciè enim ratiocinaris (si tamé loquacitatem tuam, ratiocinationem appellare licet) cùm ais, *Diua Virga se Domini famulam, non cœli Reginam, vocat:* Quid inde? An propterea concludes eam nō esse cœli Reginam? In Scripturę nusquam legimus ipsam se appellasse Dei Matrem, num ideo non est Dei Mater? Nam cùm *Regem Regum*, & *Dominum dominantium* pepererit, quid incommodi si eam cœli Reginam appellemus? Nihil sanè honorificentius de ea dici aut affirmari iure potest, quàm eam Dei Matrem appellare, tu tamen Reginam cœli nuncupandam inficiaberis? Si, vt scriptum est, *Serui Dei regnabunt in secula seculorum*, regnabit & Dei mater, Regina ergo est. Ac ne Reginę nomen nunc primùm Dei genitrici tributū esse existimes, Athanasij antiquissimi auctoris præclaram orationē audi: *Quandoquidem* (inquit) *ipse Rex est, qui natus est ex Virgine, idemq; Dominus & Deus, ea propter & Mater, quæ eū genuit propriè, & verè censetur, ista noua Eua mater vitæ appellatur. Intercede Hera, & Domina & Regina, & mater Dei pro nobis.* Audi etiam quomodo eximius Theologus & Poëta præclarus Gregorius Nazian. eam ante annos 1200. salutauerit:

Ridiculum Ministri argumentum.

Apoc. 19. 16. Maria est Regina.

Apoc. 22. 5.

Athanas. in Euang. de Sancta nostra Dei para.

Greg. Nazid. in fine tragœd. Christi patientis.

Χαῖρε σὺ κόρη πάγχαρις, μήτηρ παρθένε,
Οὐρανίων ταγμάτων ὑπερτέρα
Δέσποινα παντάνασσα, χάρμα τοῦ γένους.

Huic adiunge D. Damasceni testimoniū: *Reuera Domina facta est Maria omnium creaturarum cùm Cōditoris omniū effecta est Mater.*

Damascenus Orthodoxæ fidei. lib. 5. c. 15.

Et infra, *Quomodo non est Deipara quæ Deum incarnatum ex se genuit? sic propriè & verè Dei genitrix & domina, quæ omnium creaturarum dominatrix, ancilla & mater omnium conditoris effecta.* Si Domina est omnium *creaturarum*, cur non est Cæli Regina? Denique Augustinus Serm. 2. de Assump. B. Virg. & 35. de Sanctis. Hildephon. Serm. 7. de Assumpt. eiusdem. Bernard. serm. 1. de Assumpt. item B. Mariæ Virginis, B. Mariam *Reginam cælorum* appellant.

MINISTER. pag. 53.

Vos sanctam Triadem in Catechismo etiam vestro, vt hoc veneno iuuentutem imbuatis, auderis immanissimo commento depingere.

CATHOLICVS.

Trinitatis personæ pingi possunt. Quid ais bone vir? Certè tot mendacij tui testes proferre possumus, quot Catechismorum millia, in hoc Galliæ regno, nostrorum opera, in lucem ab annis 30. prodierunt. In nullo enim illorum, quod sciam, sanctissimam Trinitatem depinximus. At quamuis ita esset, quid quæso incommodi inde sequeretur? Nonne Pater, ac Spiritussanctus sub spectabilibus formis ab hominibus cognosci voluerunt? Ille quidem sub venerandi senis specie Danieli apparens, hic autem sub[a] columbæ, &[b] linguarum ignearum forma visus[c] est. Postquā verò Dei Filius hominis naturā sibi copulauit, nullam penitus impietatis speciem habet, Christum Dominum Imaginibus repræsentare. Vos estis Caluiniani qui sanctā Triadem immanissimo comento ex hominum animis delere præsumitis, cùm Filium à Patre æterno, & Spiritumsanctum à Patre & Filio diuinam essentiam accipere negatis.

a Daniel. 7. 9. b Matt. 3. 16. c Act. 2. 3. Caluin. lib. 1. Instit. cap. 13. §. 2. 23.

Caluin. lib. 1. Insti. c. 13. §. 2. & 23.

CAPVT VII.

MINISTER. pag. 53.

PAratam tamen vobis esse exceptionem audimus. Vos nihil minus cogitare quàm vt Deum, quem incomprehensibilem, & infinitum Spiritum esse agnoscitis, & Diuos, quos in Cælo esse sempiterna fælicitate quiete fruentes agnoscitis, in his imaginibus includatis: sed ista esse inuisibilis Dei, aut Christi, aut Sanctorum absentium monumenta, quibus hominum animi efficacius permoueantur, vt de officio suo vtilius cogitent. Disertum est Verbi illius vestri non scripti Edictum. Venerabiles imagines Christiani, non Deos appellant, neque seruiunt eis vt Diis, neque spem salutis ponunt in iis, neque ab iis expectant futurum iudicium: sed ad memoriam & recordationem primitiuorum, venerantur eas & adorant, sed non seruiunt iis cultu diuino, neque alicui creaturæ. Et Gregorius ille nominatissimus, Quod legentibus scriptura, hoc & idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa ignorantes vident quid sequi debeant, in ipsa legunt qui literas nesciunt. Vnde & præcipuè gentibus pro lectione Pictura est, &c.

CATHOLICVS.

Agnoscimus iam, Minister, te nihil melius toto hoc opere dixisse: Alterum enim testimonium ex 2. Synodo Nicæna, & de Consecra.

dist.

dist. 3. cap. *Venerabiles imagines*: Alterum ex D. Gregorio lib. 9. epist. 9. & ibidem cap. *Perlatum*, desumpsisti. Quæ omnia concilium Tridentinum approbauit, tale de Imaginibus Decretum condens. *Credimus imagines Christi, Deiparæ virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse in iis diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant. Sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant: ita vt per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus Christum adoremus: Et Sanctos (quorum illæ similitudinem gerunt) veneremur.* Hæc est Christiana de Imaginibus fides, quam tu nullo argumento confutas, sed tantum (pro tua Caluiniana modestia) inaniter & nugatoriè, *Has olim exceptiones Ethnicos* vsurpasse scribis. Quod etiam si tibi daremus, probare tamen inde non poteris, nos eodem cum Ethnicis Idololatriæ crimine teneri. Negamus enim planè nostras Imagines esse Idola, cùm illæ aliquid, quod verè existit, nobis repræsentẽt: hæc verò non itẽ, quia (vt scribit Apostolus) *nihil est idolum in mundo.* Quam sententiam Caluinus præceptor tuus sic explicat. *Ideo nihil est Idolum, quia à re figurata æstimari debet. Porro in hunc finem destinatur vt repræsentet falsos Deos, cùm vnus sit Deus inuisibilis, & incomprehensus.* Cùm igitur Idolum à re figurata æstimari debeat, cur non & nos Christi Domini, Deiparæ virginis, ac Sanctorum Imagines ex prototypis æstimabimus? Tu ne hoc nobis, quod Caluinus Ethnicis cõcessit, negabis? Si Ethnicorũ statuæ proptereà nihil sunt ab Apostolo appellatæ, quòd falsos Deos repræsentent: certè Imagines Christianorũ, quæ Christũ Dominũ & Sanctos referunt non erunt Idola, nisi probaueris mundi Seruatorem, & Diuos esse nihil, aut D. Paulum non omnia Idola oratione sua esse complexum. Sed vt tibi respondeamus: Non omnes Ethnici his vtebantur exceptionibus, sed sapientiores solùm, & qui se reconditiora dicere existimabant, vt scribit D. Athanasius in lib. de pio Dei cultu (vulgus enim indoctum sua Idola. Deos veros putabat) quos ille postea falso hoc prætextu suam texisse impietatem apertè conuincit dicens: *Si ista instar literarum sunt nobis ad contemplandum, & cognoscendum Deum, vt metimini, non oportet significatò significantia præferre. Neque enim si quis nomen Regis scribat, & Regi præferat, impunè erit ei, quin potius morte afficietur: Sic vos si sana mente essetis, nunquam insigne proprium diuinitatis cognoscendæ, quod tantæ dignitatis est in materiam deiiceretis.* Non ne audis Minister, istos sapientiores inter Ethnicos *significatò significantia* prætulisse? Regisque nomen Regi præposuisse, ex quo illi magno se crimine alligarunt? Quis nostrum est ita demens, qui Imagines non solùm prototypis præferat,

sed

Conc. Tridēt. Sess. 25.
Imagines quo modo habendæ.

1. Cor. 8. 4.
Caluin. in c. 8 epist. 1. ad Corinth. § 4.

Imagines aliquid veri repræsentantes idola esse non possunt, cũ Idolum nihil sit.

Athan. lib. de pio Dei cultu

ſed eas aliqua in re exæquet? Et (quod caput eſt) quis noſtrũ m(vt dicit D. Atha.) τηλικῦτο τῆς θειότητος γνώρισμα εἰς ὕλην καταφέρῃ; cùm non in materiam ipſam diuinitatis cognitionem deiicere, ſed ad diuinitatem per Imagines, noſtros oculos attollere conetur. Alienum quippe eſt à natura litterarum, vt in eis naturalis vis ac proprietas rei per ipſas litteras ſignificatæ exiſtat. Quod illi ſapientes Gentiliũ Idolorum cultores, planè faciebant, qui pro lapidibus Deos nominabant, & vt Deos colebant, quod erat exiſtimare Deum, vt Apoſto-
a Act. 17. 29. lus ait [a] ſimilem auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogi-
b Deut. 4. 28. tationis hominis. Hinc eſt illud Moſis [b] *Seruietis Diis, qui hominum manu fabricati ſunt, ligno, & lapidi, qui non vident, nec audiunt, nec comedunt nec odorãtur.* Quære ab Idololatris (quos Chriſtianis æquas)
Ierem. 2. 26. 27. an Numina illa quæ colebant, hominum manibus non fierent? Quod ſi Moſis ſummi Prophetæ ſententia non facit tibi ſatis, Ieremias omnem dubitandi anſam eripiet. *Quomodo,* inquit, *confunditur fur quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſrael, ipſi & Reges eorum principes & Sacerdotes, & Propheta eorum: dicentes ligno, Pater meus es tu, & lapidi, Tu me genuiſti.* Expecto à te, Miniſter, noua quædam pro Idololatris (quorum patrocinium videris ſuſcepiſſe) argumenta.

CAPVT VIII.

MINISTER. pag. 53. & 54.

Plato, poſtquam faſſus eſt neque neceſſariis, neque probabilibus argumentis intelligi poſſe plures eſſe Deos, id tamen credendum eſſe ait propter Legum ſeueritatem. Idcirco minus idololatras eos (Porphyrium & Platonem) *fuiſſe arbitremur?*

CATHOLICVS.

Vtrum Plato, & Porphyrius Idololatræ fuerint, tu videris. Nos in præclara (quam Auguſtinus cõtra Senecam diſputans ſcripto re-
Aug. lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 10. liquit) ſententia conquieſcimus. *Iſte,* Seneca, *quem Philoſophi quaſi liberum fecerunt, tamen quia illuſtris populi Romani Senator erat, colebat, quod reprehendebat: agebat, quod arguebat: quod culpabat, adorabat: quia videlicet magnum aliquid eum Philoſophia docuerat, ne ſuperſtitioſus eſſet in mundo: Sed propter leges ciuium, moreſque hominum non quidem ageret fingentem ſcenicum in Theatro, ſed imitaretur in templo, eo damnabilius quòd illa quæ mendaciter agebat, ſic ageret vt eũ populus veraciter agere exiſtimaret.* Certè grauiſsimo ſe omnes ſcelere obſtringunt, qui vnum credentes eſſe Deum, Idola tamen colunt.

MINISTER. pag. 54.

Verbúmne illud veſtrum non ſcriptum Verbo Dei ſapientius eſt? Cauete ab idolis, inquit Ioannes. Non dixit ab idololatria, à qua omnes alienos ſe eſſe profitentur: ſed ab idolis, quæ caſtos alioqui animos ſolent corrumpere.

CATHOLICVS.

Acuta nos admodum interrogatione premere cogitas, Miniſter, at cùm

t cùm Verbum non scriptum sit Dei Verbum, quomodo esse poterit Dei Verbo sapientius? Quod verò affers argumentum, non tuum est Minister, sed Caluini, cuius verba immutasti, ne alienum esse deprehenderetur. Sic enim ille: *Ioannes non tantum à simulachrorum cultu, sed ab ipsis quoque simulachris cauere nos voluit.* Repete itaque paulò altius quæ ibidē scripta sunt, & veram sententiæ illius, quam nobis obiicis, intelligētiam assequeris: *Scimus quoniã filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna. Filioli custodite vos à simulachris.* De simulachris ergo loquutus est Apostolus Christo Domino charissimus, quæ pro Diis colebantur: nam aliter ipsius oratio non cohæreret, quod affirmare impium est. Caluin lib. 1. Inst. c. 11. § 13. 1. Ioan. 5. 19. 20 21.

MINISTER. pag. 54.

Hac de causa Lex Dei non modò vetat ne quis idola colat, sed ne se eis incuruet: vt ex externo illo gestu, animum ab impietate planè alienum esse aliquis causetur. quod certè fieri nullo modo potest.

CATHOLICVS.

Christiani nullum planè honorem Idolis habent, cùm ea maximè detestentur, vt aliàs diximus. Doce ex Grammaticorum præceptis qua ratione hoc loco cohæreat quod scribis, *vt ex externo illo gestu, animum ab impietate planè alienũ esse aliquis causetur:* atque vbi hác orationem tuam ἀσύςατον coagmentaris, nos, an vera sit nécne iudicabimus. Oratio Ministri malè cohærens.

MINISTER. pag. 54.

Casta matrona lupanar ingredietur? Hoc enim genere dicendi Propheta, Gregorio longè sapientiores, Idolorum fœditatem repræsentant.

CATHOLICVS.

Solus, si me non fallit memoria, Ezechiel, ex omnibus Prophetis, Lupanaris voce vsus est, idque ter vno in capite, *Aedificasti tibi* [a] *lupanar: Quia* [b] *fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ:* [c] *Dabo te in manus eorum, & destruent lupanar tuum:* Ac lupanaris, siue גב Gau nomine, non Idolum, sed locus in quo Idola coluntur significatur: Euolue itaque *dicendi genus, quo Prophetæ idolorũ fœditatem repræsentarunt:* & nomina hos Prophetas, nihil enim tale apud illos me legere memini. Si Fornicationis vocabulo Idololatrię crimē in Scripturis notari dixisses, nulla fuisset nobis hac de re tecum decertandi occasio. Imitati enim sunt Prophetæ Mosem, qui hac Fornicandi voce Idololatriæ fœditatem expressit: *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cum fornicati fuerint cum Diis suis, & adorauerint simulachra eorum &c.* Ad id verò quod quæris, *an casta matrona lupanar ingredietur?* Perpende quid Naaman Syrus ab Eliseo petierit, & quid ei Propheta responderit. *Dixitq; Naaman vt vis, sed obsecrò concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorũ burdonum de terra: Non enim faciet vltrà seruus tuus holocaustum,* Ezech 6. a 24 b. 31. c 39. Minister malè per lupanar Idololatriæ fœditatem intelligit. Exod. 14. 15. 4. Reg. 5. 17. 18.

Ee

Eliſeus permittit Naaman Syro templũ Idolorum ingredi.

Caluin lib. de vitãdis ſuperſtitionibus.

aut victimam Diis alienis,niſi Domino, hoc autem ſolùm eſt, de quo depreceris Dominũ pro ſeruo tuo,Quando ingredietur Dominus meus templum Remmon vt adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adorauero in templo Remmon adorante eo in eodem loco, vt ignoſcat mihi Dominus ſeruo tuo pro hac re. Qui dixit ei,vade in pace. Quære ab Elizeo,cur Naaman qui ſoli Deo ſe facturum deinceps ſacrificia promiſerat,lupanar ingredi permiſerit? Caluinus, vt fuit homo arrogans, dubitationem tuam tollere conatur,ſicque concludit: *Quicunque ergo exemplo Naaman tueri ſe volet,primum ſe purget omni ſuſpicione idololatriæ.& palam oſtendat à ſuperſtitionibus ſe eſſe alienum,poſtquam id teſtatum fecerit, ego nullam illi controuerſiam, aut litem mouebo.* Conclude & tu, ſi vis, ex hac Magiſtri tui oratione, ad propoſitam à te Quæſtionem, optimè poſſe reſponderi: *Caſtam matronam poſtquam caſtimoniam ſuam teſtatã fecerit, lupanar ingredi liberè poſſe:Caluinus enim nullã illi controuerſiã,aut litẽ mouebit:*Quod porrò ais:*Prophetas fuiſſe Gregorio longè ſapientiores:*Ne à propoſita diſputatione ad diſcrimen inter veterẽ Legem & Euangelium explicandum digrediar:cupio tantùm,vt mihi illam Apoſtoli orationem explices: *Secundum reuelationem notum mihi factum eſt Sacramentum,& ſicut ſuprà ſcripſi in breui,prout poteſtis legẽtes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti, quod aliis generationibus non eſt agnitum: filiis hominum ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & Prophetis in Spiritu.* Cuius orationis explanationem ex Athanaſij commentariis accipe, *Primùm id Paulus ſentit,non cunctis fuiſſe hominibus reuelatum myſterium: deinde neque alienigenis illud innotuiſſe filiis hominum:demum haud æquè Prophetis fuiſſe hoc cognitum Sacramentum,vt in præſenti Apoſtolis apertum eſt,& qui in nouo ſunt teſtamento Prophetis per Spiritum ſanctum notiora ſunt facta: Nam ſi Petrum Spiritus minimè inſtruxiſſet,nec Cornelium ipſe, nec qui cum Cornelio erant vnà excepiſſet. Attende etiam quemadmodum nihil de Circunciſis,ſed de Gentibus ſpiritus cuncta reuelet: Erat ſanè permagnum vt Gentiles,genus hominum abominandum, & idolis deditum,ad fidem ſuſciperentur. Accedit etiã quòd Petrus qui tanti erat, à ſpiritu eſſet inſtituendus,neque veteribus illis credi poſſit,tam acriter Dei myſteria innotuiſſe.* Hæc vbi legeris, de ſapientia Gregorij detrahe,& Chriſtianam fidem,quam vnicè ſanctiſsimus ille Eccleſiæ Epiſcopus,ſemper coluit,ad veteris Legis vmbras reuoca, vt ex Chriſtiano Iudæus fias.

Epheſ.3.3.4.5.

Athan.in c.3. epiſtol. ad Epheſ. Commentaria hæc, aliqui Theophylacto tribuunt.

CAPVT IX.

MINISTER. pag.54.

Miniſtri impoſtura & blaſphemia in B.Virgin.

SI homines veſtri in illis imaginibus nihil diuini eſſe arbitrantur, cur eas nihil exaudituras inuocant? Cur inter Diuum & Diuã differentiam ſtatuunt?cur Bona illa Dea veſtra(quam vocatis.i. La bonne Dame)

Dame) in Velannijs quàm in Rhutenis maiorem allicit amatorum multitudinem?

CATHOLICVS.

Non te pudet Minister B. Virginem Bonã Deam βλασφημῶς appellare? & vana illa, stultáque Deorum, Dearúmque, id est Dęmoniorum (*omnes quippe Dij Gentium Demonia*) nomina ad nostram transferre pietatem? Planè tibi placet impietas vestrorum, de qua vos magnus nostræ ætatis Theologus postulauit, cùm nomen Dei יהוה Iehoua שם המפורש Scem hâmephoras, & ἀνεκφώνητον in Iouis nomen fœdissimum, & teterrimum conuertistis. Quid hac tua δυσδαιμονία potest esse δυσδαιμονέστερον? Dices non tuum, sed nostrum esse vocabulum. Te planè ipse redarguis, cùm (quasi tibi cũ imperitis mulierculis res esset) Latina sic Gallicè reddidisti, *Quam vocatis La bonne Dame.* Vbi te eam appellasse Deam apertè demonstras, nos verò Dominam: nisi ita desipias, vt *Deam* idem esse quod Gallis *Dame* profitearis. Quod si ita est, quot honestas matronas Gallia habet, quibus nomẽ *Dame*, vulgò attribuitur, tot etiã Deas eam habere necessariò confiteberis. Quod verò quæris, *cur inter Diuum & Diuum differentiam statuamus.* Si Diuorum nomine eos intelligis, qui nunc in cælis æterno fruuntur æuo, miror tuam rerum diuinarum inscitiam. Lege quæ hac de re Apostolus ad Corinthios scripsit, & inanium tuarum Quæstionum fac aliquem modum, ne Christianæ doctrinæ contemptor ab omnibus etiam sodalibus tuis iudiceris. Si *differentiam tuam inter Diuum, & Diuum*, Sanctorum Imaginibus te accomadasse dixeris, cùm Imago propter prototypum colatur: Quid mirum est si maiore cultu vnius Sancti, quàm alterius Imaginem colamus? At Caluinum imitari voluisti qui Simulachra, & Idola nos colere fingit: Cur autem vnam Dei genitricis Imaginem maiore cultu prosequamur, quàm alteram: Si Christiani homini spectes animum, eũdem cultum omnibus ipsius Imaginibus tribuimus: si externi gestus, ardorísque humanæ mentis rationem habeas, scito mortales, diuinis beneficiis excitari, vt vnam eiusdem diuæ Virginis Imaginem magis honorent, quàm aliam. Noli curiosè nimis, cur Deus certis in locis, vim numénque suum multis prodigiis declaret perscrutari, ne rei magnitudo animum tuum, Caluinianis tenebris obcæcatum, planè opprimat. Tempera igitur tibi hac in re, & si errare non vis, D. Augustinum imitare, qui sententiam suam hac præclara oratione posteritati reliquit. *Vbique quidem Deus est, & nullo continetur, vel includitur loco qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiẽs, in occulto etiam iustificet, & coronet. Verumtamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci vbi beati Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui vt pergerent*

Psal. 95. 6.
Psal. 95. 5.
Geneb. lib. 1. de Trinit.
Minister vocem Gallicam *Dame* imperitè, simúlque malitiosè, latinè *Deam* vertit.
1. Cor. 15.
Caluin. lib. 1. Inst. c. 11. §. 10
August. epist. 137. ad Clerũ & populum Hippon.
Cur vno in loco fiát miracula, non item in alio non est curiosè scrutandum.

(Bonifacius presbyter,& iuuenis quidam) *quia inde nobis facilius fideliúsque scribi potest quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum: Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter, & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat reddere. Nunquid non & Africa sanctorum martyrum corporibus plena est? & tamen nusquam hîc scimus talia fieri. Sicut enim quod Apostolus dicit, Non omnes sancti habent dona curationum, nec omnes habēt diiudicationem spirituum, ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille qui diuidit propria vnicuique prout vult.* Plurima esse in hac D. Augustini oratione, quæ Caluinianis placitis repugnant, negare non potes. Sed proposita breuitas me aliò vocat. Si Deo vis leges præscribere, vt omnibus in locis vim suam, & maiestatem iisdem miraculis declaret, facile efficies vt tam pauci D. Virginis Imaginem inuisant apud Anicienses (quos Velauniorum nomine noras) quàm apud Rhutenos: At Peregrinationem Christianis, quamuis miracula nulla essent, dissuadere omninò non poteris.

Fur coactus est furtum in æde sacra confiteri.

1. Cor. 12.

MINISTER. pag. 54.

Nulla est legitima obedientia, nisi mandatum fuerit antegressum. Quis enim hoc requisiuit è manibus vestris? Imo cur supra id quod scriptum est, vultis sapere, & disertis Dei mandatis repugnatis?

CATHOLICVS.

Vos estis Caluiniani qui Dei præceptis repugnatis ad solius scripti Verbi speciem contra ipsius scripti Verbi testimonium adhærentes. Cæterum vbi legisti Abelem mandatum accepisse vt Deo sacrificium faceret? eius-ne propterea Obedientiam esse legitimam negabis? Quæ Scriptura Iacobo iussit, vt bonorum suorum decumas, Deo voti sponsione consecraret?[a] Quod Dei mandatum Rechabitas coegit, vt vino abstinerent, ac parcè, & duriter vitam agerent?[b] Ac ne te multis detineam, Quæ Scriptura D. Ioanni Baptistæ recessum in solitudinem[c] ab hominum consortio præcepit? Quo mandato, Apostoli super Asinam vestimenta sua[d] imposuerunt? Ac Mariæ Magdalenæ gratissimum illud in pedibus vngendis[e] officium, aduersus calumniatorem Iudam quî defendisset Christus, si non fuisset legitimum? Quid sit *sapere supra id quod scriptum est*, superiore lib. cap. 41. satis explicauimus.

Genes. 4. 4.

Legitima obedientia sine mandato esse potest.

a Gen. 28. 22.
b Ierem. 35. 6. 8 14.
c Marc. 11. 4.
d Matt. 21 7.
e Ioan. 12. 3.

Sic Pueros defēdit cantantes *Benedictus qui venit &c.*

CAPVT X.

MINISTER. pag. 54.

SI Idiota qui litteras nesciunt, hoc indigent remedio ad memoriam leuandam, cur vos Magistri in Israele, imaginum manipulos agglomeratis: Academiam vestrā picturatis Catechismis, imaginibus, puppis, quas Agnos Dei appellatis, omnibus imagunculárum denique generibus repletis?*

* pupis.

CATHO

CATHOLICVS.

Antequam tibi respondeam, hoc vnum à te vicissim peto, Minister, cur tu, qui linguam Græcam, & Latinam callere præ te fers, vulgari idiomate in Collegio tuo, Deum orare soleas, vt plebs imperita facit? Nos autem non minus quàm Idiotæ Christiani sumus, quare non tantùm memoriæ nostræ fidimus, quin & Imaginum subsidio egeamus, vt maximo nostro bono in Christi Domini, & Sanctorum, (quos imitandos nobis proposuimus,) Imagines oculi nostri semper incurrant. Certè tu ipse negare non potes homines Imaginum aspectu magis quàm Scripturæ lectione moueri, cùm *Pictura*, vt tu scribis, sit *iucunda Naturæ imitatio, quæ hominis animum potentiùs aliquando afficit, quàm ipsa Natura*. Eritne tibi Gregorius Nyssenus *Idiota*, qui dum Imaginem quandam aspiceret, lacrymas tenere non potuit? *Vidi* inquiés, *sæpius inscriptionis Imaginem, & sine lachrymis transire non potui, cùm tam efficaciter pictura ob oculos poneret historiam: Procumbit enim ante aram Isaac genibus innixus, circunductas ferens in tergo manus. Ille verò à tergo pueri innixus pedum curuamini, sinistra comam pueri apprehendit ad se trahens, declinat autem faciem ad puerum, miserabiliter intuens, dextram autem gladio obarmatam gestat, quam etiam ad cædem dirigit, iámque gladij acies ipsum corpus propemodum attingit, cùm illum diuina vox à facto deterret.* D. Chrysostomum, ex doctrinæ Theologicæ cognitione propterea, si audes, deturba, quòd Imaginem pietatis plenam amarit. *Ego, inquit, & ex cera fusilem picturam pietate plenã amaui. Vidi enim Angelum in Imagine barbarorum nubes propulsantem: Vidi barbarorum cohortes conculcatas, & Dauidem verè dicentem, Domine in ciuitate tua Imaginem eorum ad nihilum redige.* Quod ad cereas Agni Imagines attinet (quas tu insigni contumelia cum impietate coniuncta, *Puppas* dicis) nescis inter alios legis antiquæ ritus, Agno maximè Christum, sicut & in nouo Testamento fuisse, repræsentatum? *Hunc Agnum ex auro purissimo aquam fundentem, ad cuius dexteram Saluatorem argenteum, in sinistra verò B. Ioan. Baptistam ex argento tenentem titulum scriptum, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Constantinum magnum fieri curasse, Damasus lib. Pontific. in vita Syluestri testatur: Quid magis pietati Christianæ cõsentaneum est, quàm sacram Agni effigiem ἐν τοῖς κειμηλίοις habere, qua purus ille Agnus, *qui tollit peccata mundi*, nobis ob oculos versari quotidie possit? Quod amuletum præsentius esse potest, quàm sancti illius Agni figura, cuius sanguine illiti animæ nostræ postes, Angelo percutienti, & τῷ ἀνδροφόνῳ peruij non sint? Certè si meminisses illius Apostoli sententiæ: *Pietas ad omnia vtilis est*, nostrum in erudienda Iuuentute studium non condemnares, qui in eius animis pietatem, quantum in nobis est, inserere desiderantes, inter alia ad id faciendum προτρεπτήρια, has sacras Agni Dei effigies

Minister in collegio vulgari lingua tanquã ignarus orat.

Pag.59.

Greg. Nyssen. in oration. de Deitate Filij, & Spiritus, & in Abraham.

Greg. Nyss. ad lachrimas ex pictura mouetur.

Chrysost. in oration. quòd v. t. & noui Testam. vnus sit legislator.

Psal. 72. 20.

Genes. 4. 4.
1. Pet. 1. 19.
Apoc. 5. 6.

Ioan. 1. 29.

Exod. 12. 22.

1. Tim. 4. 8.

exhibemus. Quę quidem nō nostra primùm ætate cum veneratione & honore circumferri solent: Nam Onuphrium Panninum in suis in Ecclesiasticam historiam Commentariis me aliâs legere memini, qui huius rei inuentionem ad ipsa penè Apostolorum tempora refert, Quibus nouis Christianis (qui vestibus albis induti in festo Paschatis, sacro Baptismatis lauacro tingebantur) quasi nouis Agnis recenter ex Ecclesię Matris vtero prodeuntibus, hæ cereę Agnorum Imagines porrigebantur. Ad quam quidem priscam consuetudinem spectare puto antiquum hoc ἀντίφωνον, quod nos quotannis eo die Sabbati, quod in Albis propterea dicitur, decantamus: *Isti sunt Agni nouelli, qui annunciauerunt nobis Alleluia, modò veniunt ad fontes, repleti sunt claritate.* Cui Cantico (vt tibi fortè hæc subsannanti fastidium leuem) respondet Lactantius Auctor vetustissimus, sic scribēs:

> * Cyrill. Catech. 3. Clem. Alex. in Pedag. Ambros. c 7. lib. de iis qui sacris initiantur.
>
> Lact. in car. de Resurrect. versi. 89.

Rex sacer ecce tui radiat pars magna trophæi,
Cùm puras animas, sacra lauacra beant.
Candidus egreditur, nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium, purgat in amne nouo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat
Et grege de niueo gaudia pastor habet.

Si verò tu hæc præfractè negare audeas, memineris quæso, Iurisconsultum dixisse, *Non omnium quæ à maioribus constituta sunt, rationem reddi posse:* & Diuus Augustinus. *Illa quæ non scripta sed tradita custodimus: quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, atque statuta retineri.* Hæc & multa alia perelleganter And. Frusius Societatis nostræ Theologus, πολυΐστωρ, & Poëta eximius poëmate est complexus, ex quo nonnulla describenda duxi.

> D. de legibus. L. non omnibus.
>
> August. epist. 118. ad Ianuarium.

Quid sibi vult Agni, quæ circunfertur, Imago
Cerea, mirificis nobilitate modis? &c.
Idolum vocat Hæreticus, ridétque fidelem:
Nec de hoc duntaxat n unere turba fremit, &c.
Abdita nonnullos primùm quò l tur at origo,
Propterea & magnum pondus habere negant.
Ponder s indicium maioris maius idipsum est,
Sanctorum ad trutinam si reuocare velis.
Quicquid enim seruat ritus Ecc'esia constans,
Principium cuius nemo referre queat,
Id magis antiquum, certum, ac au dabile censent,
Tanquam à prima ua relligione satum.
Agni huius profert auctorem nemo recentem:

> Origo Agnorū Dei antiquissima.

Prisca

Priscus enim priscis Patribus vsus erat.
Ante octingentos fermè Leo tertius annos:
Optimus exhibito munere testis adest.
Carolus hoc Magnus magna pietate recepit
Thesaurum, vt reputans cælitus esse datum. Historia.
Vrbanus quintus similem post consecrat Agnum,
Quem Byzantinus ferre Monarcha cupit, &c.
Prima quidem ratio sacrandi antiquitus Agni
Extitit, vt signum grande, potènsque foret.
Quippe vt in Hebraicis omnis quondam Hostia sacris
Christi aduentantis schema salubre fuit, Genes.4. Exod.12.
Vtque Redemptoris mores, mortémque notabat 1.Pet 1.
Agnus, præcipui creber honore typi. Apoc.5.6.
Non secus (vmbrosum claro componere signum
Si licet) hic nobis debitus Agnus erat, &c.
Subsidiis nec se externis negat vllus egere
Christigena, aut hominem se simul esse negat, &c.
Cera refert hominem intacta de Virgine cretum, Materia, & forma
Et quo purius est, candidiúsque nihil. quid signi-
Sed purum ne fortè hominem tantummodo credas, ficent.
Aeterni integritas numinis orbe patet.
Chrismatis est oleum, quæ totum immensa perunxit,
Gratia, & hinc aliis participata fluit.
Balsama significant sanctæ beneolentia vitæ
Munia, & effusam vulneris omnis opem, &c.
Sabbatha, quæ Paschæ vicina vocantur in Albis,
Dant proprium, vt sacret, distribuát-ue, diem.
Tempus id est, quòd Christigenas à fonte recentes, Quando fiant.
Matris ad arcanas excipiebat opes.
Iure repræsentant Agni pura agmina, plures
Res quod ibi gestæ, notáque verba docent.
Baptizantur enim solenni hæc signa lauacro,
Inclytus & magna voce Minister ait:
Ad fontes isti veniunt Agni ecce nouelli,
Quos lux clara replet, gratia, laúsque Deo, &c.
Nonne Petro Dominus quos credit nominat Agnos?
Inter & immanes quos iubet ire lupos? Ioan.21.15. Matth. 10.
Atque hæc breuiter de Agno Dei dicta sint. 16. Luc.10.3.

MINISTER. pag. 54.

Eas ne crassæ cuiusdam & plumbeæ inscitiæ primitias esse vultis ei iuuentuti, quam docendam suscepistis: vt mutam, & vecordem, sicuti vestras mutas illas imagines efficiatis?

CATHOLICVS.

a Psa.134.16. b Thom. Vualden. tomo 3. de Sacrament. tit. 19. c. 151.

Iuuentus nostræ curæ commissa, neque muta, neque vecors est Minister: neque Imagines nostræ mutæ sunt, cùm nemo nostrûm eis loquẽdi vim & facultatem tribuat. Quis Philosophorum dicet lignũ esse mutum, aut lapidem cœcum, quamuis loquendi & aspiciendi facultates non habeant? [a] Idola quidem muta, & cœca dici non inficiamur, cùm eorum cultores sensum eis tribuant: Lege [b] Thomam V.valden. qui VViclefum, ex quo Lutherus, & Caluinus errorũ portenta hauserunt, luculenter confutauit, & in memoriam reuocabis, quæ à Physicis de Priuatione accuratè disputantur.

Imagines mutæ dici non possunt cùm eis sensum tribuat nemo.

MINISTER. pag. 54.

Etiam ita vobis indulgetis, vt in vestro illo paruo, quem vocatis, Catechismo, Paradisum (quem oculus non vidit, auris non audiuit, imo ne cogitauit quidem animus) depingere audeatis. Ecquid est in re maximè seria non nugari modò, sed & insanire, & fascinis præstigiisque illudere, si hoc non est?

Ministri ψευδολογία.

CATHOLICVS.

Falsum est Minister, in Catechismis nostris in Gallia editis vllam esse Paradisi Imaginem (sicut neque S. Trinitatis, vti antè diximus.) Et quamuis ita esset, non ideo tamen vel essentiam Dei, vel Beatorum gloriam à nobis exprimi sentiremus, sed rudi quodam carbone Cælites ipsos conaremur adumbrare: sicut in aliquot Euãgelij locis Regnum cœlorum Christus ipse Magister omniũ παραβολικῶς nobis repræsentauit. Perfice porrò sodes, Apostoli orationem, ac tum demum nobis audaciam exprobra: *Quod oculus*, inquit, *non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum*. Plurima igitur sunt Christiano homini cognita, ad quæ humana intelligentia, sine singulari Dei subsidio aspirare non potest, quæ tamen cogitare animum sine impietatis nota, non inficiaberis: atque vt germanam orationis Apostoli sententiam intelligas, ascribam D. Athanasij interpretationem. *Quid ille se colentibus præparauit? Christi scilicet notionem, & salutem quæ nobis est per eius incarnationem quæsita: hæc quidem neque oculus humanus inspexit, nec auris auditu percepit, nec cor aliquod meditando complexum est: nam & Propheta, neque mortalibus oculis ista spectabant, nec auribus hauriebant humanis, nec mente ac mortali intelligebant, quæ ipsimet de Christo prædicerent. sed diuinitus cuncta per eos enunciabantur. Dominus enim, inquit, adiunxit mihi aurem, spiritalem videlicet, & alia huiusmodi pleraque. Quonam pacto, dicet aliquis, quæ in cor hominis non ascendunt,*

Paradisus pingi potest, sicut per similitudines explicatur.

1 Cor. 2. 9. Minister malitiosè reticet, *Nobis autem reuelauit, &c.* Hoc enim probatur Paradisum pingi posse.

Athanas. in t. 2. epist. 1. ad Corinth.

inscendunt vos didicistis? Quia Deus, inquit per Spiritum suum, non per humanam sapientiam, mysterium illud nobis aperuit: hanc enim nequaquam dignatus est Deus, vt eius arcana perspiciat. Lege Ecclesiæ Doctorum scripta, qui sacras literas sunt interpretati, vt discas pro veritate deinceps pugnare.

CAPVT XI.

MINISTER. pag. 54.

SI imaginibus est opus eloquentibus, quæ gloriam Dei annuntiantes, vel rerum imperitissimos ad Dei cognitionem erigant, Cælum ostendite, immensæ illius Maiestatis thronum: Terram verò paternæ ergà se liberalitatis penu, emicantia suo ministerio miracula Agricolæ vobis summonentibus, cōtemplantor: seipsos, liberos, vt pulcherrimas Dei imagines suspiciunto. Discant vobis docentibus pueri, vel ex sanioris Philosophi verbis, Parentes suos domi esse imagines Dei, vt illos maiore cum pietate, & reuerantia ament, & colant.

CATHOLICVS.

Satis pro imperio, quisquis es Minister. sed ad rem. Non memini me apud Theologum vllum legere Cœlum esse Imaginem Dei, siue mutam, siue eloquentem. Et quamuis Caluinus tuus asserat, *Imaginem Dei in Adamo sic fuisse per peccatum corruptam, vt quicquid superesset, horrenda sit deformitas &c.* Tu tamen ad Adami posteros, nos remittis, vt in iis tanquā Imaginibus Deum contemplemur. Vis etiam vt Cælum ostendamus imperitis. *Vt ad Dei cognitionē erigantur*, & tamen anteà, *ex Cæli contemplatione* scripsisti *primam superstitionis originem promanauisse.* Si Dei cultores ex Cæli contemplatione in Idololatriæ (vt tu vis) crimen sunt delapsi, nónne timendum erit, ne Christiani (quos tu Caluini Minister religiosissimè Idololatras esse somnias) in grauius aliquod crimen, si quod esse potest, ex eiusdem Cæli conspectu incurrant? Nos autem te monitore non egemus, vt ex rerum creatarum contemplatione, auditoribus nostris Dei præpotentis cognitionem, quò hauriant, persuadeamus, cùm Nostri hoc diligenter quotidie præstent. Sed ne Charitatis officio à te vincamur: te vicissim moneo, vt quæ Christus in terris gessit, ac pro nobis, à consceleratis hominibus est perpessus, ex Cæli, terræque consideratione Sectatores tuos doceas: quod si perficere nequis, cur Christi Ecclesiæ vertis crimini, quòd res tam salutares omnium, etiam idiotarum oculis, animísque per Imagines obiiciat? Tu denique sanioris illius Philosophi Platonis doctrinā, si videtur, sequitor: Nos Christi discipuli, atque in eius Schola, id est, Ecclesia edocti, longè saniorem, & diuiniorem philosophiam profitemur.

Caluin. lib. 1. Inst. c. 15. § 4.

Pagin. 52.

Christi mors ex cęli contemplatione perspici non potest.

MINISTER. pag. 55.

Imagines autem illa vestra quàm vtiles sint idiotarum libri, si e-

mnem Dei Verbo, quod Verbũ Dei esse agnoscitis, autoritatem non demitis, saltem ab illo Verbo accipitote clamat Hieremias, lignum esse doctrinam veritatis: Habacucus, conflatile esse doctorem mendacij, concionatur. Eccui potius fides adhibenda est, Prophetisne an Gregorio: vt ex ipsius ore lex perferatur, Imagines esse idiotarum libros: illique libri omnibus palam explicentur.

CATHOLICVS.

Caluin. lib. 1. Inst. c. 11. §. 5. Ne furtum tuum deprehenderetur, Caluini tui orationem interiecisti, quæ totidem fere verbis extat in primo eius Institutionum libro. Quòd si ex ipsemet Caluino Prophetas Ieremiam, & Habacucum de eo, quem Christiani Imaginibus tribuunt, cultu locutos non esse docuero, insignem planum te ipse fateberis, vtpote qui Caluini argumento proposito, eius dissolutionem tacitus prætereris. Fatetur enim ille à Prophetis (quorum sententiis contra Christianam veritatem abuteris) eos reprehendi qui simulachris ad impiam superstitionem abutebantur. Si quis est eiusmodi inter Christianos abusus, benignè ac (vt Christianum decet) fraternè magistratus Ecclesiasticos mone, & mihi crede, non deerunt qui populi errata pro iniuncto sibi Ecclesiam gubernandi munere corrigent. Certè Caluinus ipse sui oblitus, concedit formas, & imagines, quæ cum aliqua rerũ gestarum notatione fiunt *in docendo vel admonendo, aliquem habere vsum: alias verò præter oblectationem nihil afferre.* Ex quo quidem sequitur Gregorium verè scripsisse, *Imagines* (eas saltem, quæ aliquid gestum referunt) *libros esse idiotarum.* Quid igitur (vt de aliis taceam) de Imagine Christi Domini cruci affixi senties? Nam, credo, eam rei gestæ notationem habere fateberis, sicque vel ad docendum, vel ad monendum in Ecclesia retinenda erit. Quod si negaueris, cur non te eius conspectu (ex Magistri tui doctrina) oblectare poteris, si ex illa ad commiserationem cum Catholicis non moueatis? Quod deindè subiungit ibidem Caluinus, *Ea sola pingi ac sculpi, quorum sunt capaces oculi,* Deum arguere videtur, qui Cherubinorum Imagines fieri præcepit. Et quamuis diceres Angelos corpora habere; ea tamen eiusmodi esse non probabis, quæ oculis possint conspici. At-enim ab hominibus visi sunt, ergo etiam pingi possunt. Eodem planè modo dicemus Deum Patrem in augusta senis specie, & Spiritumsanctum in columbæ forma depingi posse. Imò & Christum Dei Filium etiam antè quàm humanam naturam assumeret figurari potuisse vel Caluino teste, contendemus, qui sibi non displicere affirmat, *Quòd veteres Scriptores vbi Scriptura Angelum Dei Abrahæ, Iacob, Mosi, & aliis apparuisse commemorat, Christum fuisse Angelum illum interpretati sint.*

Superstitio in Imaginibus (si quæ sit) fugieda.

Caluin. lib. 1. Inst. c. 11 §. 12

Greg. lib. 9. epist. 9. & habetur de consecr. distin. 3. c. Perlatum.

Exod. 25. 18.

Caluin. lib. 1. Inst. c. 14 § 5.

CAP

CAPVT XII.

MINISTER. pag. 55.

AT vos mouet instituti huius antiquitas, Nicenæ Synodi, Irenes iussu & auspiciis ante annos octingentos habitæ autoritas, sexcentorum Episcoporum ex omnibus mundi partibus conuocatorum summa prudentia, summusq́ consensus: Romana cum primis Ecclesia ex cuius autoritate & sententia perlatum est hoc decretum, supremum in cæteras omnes Ecclesias ordinaria successione, & clauium potestate imperium. Quid non? vniuersi propemodum terrarum orbis consensus, longorum seculorum præscriptio, tot Conciliorum repetita decreta, tot tantorúmq́ virorum, qui post Carolum Magnum vixerunt, exquisita confirmationes, quantum habeant momenti ad plenam fidem huic decreto faciendam? Magna hæc sunt, Iesuitæ, in speciem, & vobis cum Ethnicis ita communia vt illi vos & multitudine, atque consensu populorum, & priscorum, continuatorúmque seculorum præscriptionibus, & imperiorum magnitudine & potentia longissimè superarint.

CATHOLICVS.

Voluisti amplificare quod paucis verbis scripsit Caluinus: *Iam satis multa*, inquiēs, *opinor de hac re dicta forent, nisi manum quodam modo mihi iniiceret Synodus Nicena, non illa celeberrima, quam coegit Constantinus magnus: Sed quæ Irenes imperatricis iussu & auspiciis ante annos octingentos habita est.* Te satis demirari non possum Minister, quòd in argumento contra vestras ineptias firmissimo λογικῇ ῥομφαίᾳ tuam declamandi exercueris, cuius postea firmitatem, Caluiniana calumnia minuere es conatus: *Magna*, dicens, *sunt hæc in speciem, & vobis cum Ethnicis ita communia, &c.* Itáne verò hunc validissimum ictum tam fortiter in vos vibratum bonus videlicet gladiator modica declinatione, &, vt aiunt, corpore effugis? An Gentium populum, vt Apostolo [a] teste, ὁ Θεὸς ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς εἴασε πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, cum Dei Ecclesia (cui se perpetuò affuturum [b] promisit) comparabis, vt non minus hanc quàm illum errare potuisse credas? Vbi quæso fuit illa Spiritussancti præsentia [c] quam Ecclesiæ suæ nunquam defuturam Christus est pollicitus, si ab octingentis annis tam tetro idololatriæ errori Ecclesia succubuit, quo ante Christi ortum pleræque mundi plagæ tenebantur? Siccine celeberrimum illud Concilium Nicenum secundum (cui vt tu ais, 600. Episcopi ex omnibus mundi partibus conuocati interfuerunt) tam turpiter est hallucinatum, vt non modo Christum præsentem iuxta [d] suum ipsius verbum non habuerit: Sed, vt tuis verbis vtar, ἰδωλομανίας Genium ducem, & consiliorum auctorem sit secutum? Nonne vides teipsum (qui tam callidè ictum hunc eludere tibi visus es) gladio tuo ita transuerberatum, vt saluus euadere non possis, nisi velis Deum mendacem, Christum proditorem, & Spiritumsan-

Caluin. lib. 1. Inst. c. 11. § 14

a Act. 14. 15.

b Mat. 28. 20

c Ioan. 14. 15.

d Matt. 18. 20.

ctum deceptorem comminisci? Sed quid ais? *illos & populorum multitudine, & consensu nos superasse?* Quasi verò non omnes ferè hi populi, qui olim Idola coluerunt, in nostro saltem orbe, ea, iuxta Prophetarum oracula non neglexerint, & his præsertim octingentis annis non fuerint ad Christi fidem conuersi! Lege historias, & videbis nullas propè Gentes Idololatriæ superstitioni fuisse implicatas, quæ non Christi Domini religionem receperint. Quomodo etiam consensu nos superarunt, cùm non solùm publicè alij populi alios Deos colerent, sed singulæ pæne vrbes, singulæque familiæ proprios & peculiares Deos venerarentur? Certè si M. Tull. in lib. de Nat. Deorũ & Iuuenal. legisses, vel si historiam sacram veteris Testamenti animo cõprehenderes (vbi Deus Ammonitarum, Sidoniorũ. Philistinorũ, & aliorum commemorantur) facilè, profectò, tibi fuisset cognoscere, illarum Gentium consensu nos non fuisse superatos, cùm pęne de omnibus populis hoc dici posit, quod de Israele à propheta dictum est, *Secundum numerum enim ciuitatum tuarum erant Dij tui, Iuda.*

Iuuen. sat. 15. v. 36.

Ierem. 11. 13.

MINISTER. pag. 55.

Magna quidem sunt hæc, nisi maior & efficacior esset veritas. Quid nobis Antiquitatem opponitis?

CATHOLICVS.

Probare te oportuit Minister, hæc esse falsa quæ tu magna iam concedis, vt veritatem summæ Christianorum consensioni opponeres. Nouitate porrò valde delectaris qui Antiquitatis vocem ferre non potes: Nos sanè in Domini sententia conquiescimus, & Caluiniana nouitatem omninò execramur. *Hæc dicit Dominus,* inquit Ieremias, *State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona & ambulate in ea.* Quod verò subiungis *Antiquitatem non esse nostram,* falsum esse facilè iudicabit is qui hanc nostram ad tuas nugas responsionem legerit. Egregius autem Iurisconsultus videris, obiiciens, *Vetus error non facit ius,* cùm, si Iurisconsultorum stemus arbitrio, *Communem errorem ius facere sit receptum. D. de legibus L. Quodnon. & D. de supell. leg. L. Supellectili.* vbi sunt hæc verba: *Hodie propter vsum imperitorum, si in argento relatum sit candelabrum argenteum argenti esse videtur; & error ius facit.* Vbi etiam citatur hoc ex 44. Eccl. 13. c. 1 in fine, καὶ ἡ πλάνη τῶ χρωμένων νόμον ποιεῖ. *Et D. de Prætor. potest. L. Barbarius.* Quæ quidem non ideo protuli vt errori vlli patrocinarer, sed vt ostenderem etiam in Iure ciuili Caluini Ministrum hallucinari.

Minister amator nouitatis.

Ierem. 6. 16.

Minister, in iure ciuili parũ versatus.

MINISTER. pag. 55.

Id verius quod prius: id prius quod & ab initio: ab initio quod à Prophetis & Apostolis est.

CATHOLICVS.

Denuo Tertulliani, suppresso nomine sententiam repetis, vt Scripti tui magnitudo tandem satis creuisse tuis videatur, Si tu antiquissimi huius

huius Scriptoris acquiescetes sententiæ, Caluini placitis multam salutem diceres.

CAPVT XIII.

MINISTER. pag. 55.

POst annos sexcẽtos à redemptione humana per Christum abita, vetus Ecclesia Verbo Dei contenta, illos idiotarum libros ignorabat.

CATHOLICVS.

Caluinus sanè minus centum annis quàm tu Minister à veritate aberrauit. *Meminerimus*, inquiens, *quingentis circiter annis quibus magis adhuc florebat religio, & syncerior doctrina vigebat, Christiana templa fuisse communiter ab Imaginibus vacua.* Tu nè Caluini verba descripsisse videreris, pro quingẽtis substituisti *sexcentos.* Sensus autem orationis tuæ est, vt suspicor, veterem Christi Ecclesiam sexcentis post Domini mortem annis, Imagines non habuisse. Atque vt tuo in primis te gladio iugulem, Certum est Elibertinam synodum (quam tu Imaginum cultoribus restitisse scribis) ante sexcentesimũ imò & ante trecentesimum Domini annum habitam fuisse: Epiphanium etiam (cuius testimonio profligatam tuam impietatem tueri conaris) ante sexcentesimum Domini annum è viuis excesisse. Causa nunc igitur, vel te iudice, cecidisti. Neque certè video cur mihi opus sit diutius hac in re probanda immorari. Verùm vt non solùm tibi, sed etiam Christiano Lectori faciam satis, aliquot grauissimorum virorum sententiis, te in graui errore versari probabo. Vtque à Crucis signo ordiar: Nascente Christi Ecclesia (nõ tantùm *Post* tuos *sexcentos annos*) in magno fuit honore, vt testatur Martialis Christi Domini discipulus. *Crucem*, inquiens, *Domini in quem credidistis, Deum verum, & Dei Filium semper in mente, in ore, in signo tenete Crux enim Domini armatura vestra inuicta cõtra Sathanã, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem, & Angelicas insidias peruersa potestatis sibi propinquare nullo modo sinens: hoc solo signo cælestis victoria data est nobis, & per Crucem baptisma sanctificatum est.* Clemens item Apostolorum discipulus, primos Religionis Christianæ doctores, in sacris mysteriis se Cruce obsignasse scribit his verbis, *Orans igitur per se Pontifex vnà cum sacerdotibus, induénsque vestem splendidam, & stans ad altare, trophæo Crucis se signans in fronte, dicat, Gratia omnipotentis Dei & charitas Domini nostri Iesu Christi, & communicatio Spiritussancti sit cum omnibus vobis.* Ignatius etiam, qui ante tuum sexcentesimum annum vixit (nam D. Ioannis Apostoli discipulus fuit) contra te præclarum hoc dedit testimonium: *Princeps huius mundi in hoc gaudet, quando quis Crucem negauerit, interitum enim sibi esse cognouit confessionem Crucis. Hoc enim est trophæum contra eius virtutem, quod videns expauescit, & audiens timet.* De cruce multa in libris

Maior Ministri quàm Caluini vanitas.

Caluin. lib. 1. Instit. cap. 11. §. 13.

Martialis epist. ad Burdigal. c. 8.

Signi Crucis vis & antiquitas.

Clemẽs Rom. lib. 8. Cõstit. Apost. ca. 16.

Crux in fronte Põtificis.

Ignat. epist. ad Philip.

Crucem dæmon timet.

B.Dionyſij Gallorum Apoſtoli,quæ ſe vt Crucem colas mouere, & meritò poſſent. *At Pontifex*, inquit, *trino Crucis ſanctæ ſignaculo vnctionem inchoans,inungendum iam Sacerdotibus toto corpore hominem tradit.* Et alio loco: *Cuilibet autem ipſorum à benedicente Pontifice Crucis imprimitur ſignum,& per ſingulos ſacra prædicatio nominis,conſummansq́ conſultatio fit cunctis ſacri ordinis viris.* Iuſtinus Martyr Crucis vim fuiſſe maximam multis antè ſeculis,quàm Dei filius naturam humanam ſibi copularet,conſtanter his verbis aſſerit: *Cùm populus inquam bellum cum Amalecho gerebat, Nauaq́ filius is, qui Ieſu nomine appellatus eſt, bello præerat, Moſes ipſe Deum,paſsis in cælum manibus precabatur, Aaronius autem eas tota die ſubleuabat,ne defeſſus eas deprimeret: Si enim aliqua ex parte ab ea figura quæ Crucem imitatur deflexerat, tum vt apud Moſem ſcriptum eſt: Populus vincebatur,ſi verò in eo ſtatu,,ac figura manebat, Amalechus tantùm vincebatur,& populus Cruce fortis reddebatur: Neque enim quòd ita Moſes precabatur,propterea ſuperior erat populus, ſed initio pugnæ cum nomen Ieſu eſſet,ipſe ſignũ crucis edebat.* Et Chriſtianos ſe Crucis ſigno muniuiſſe ſuo tempore apertè teſtatur: *Quia eorùm*, inquit, *quæ apud nos ſunt meliora, atque præſtantiora, ad Dei honorem fecerunus,hominum autem opinione,& ſententia ea pars in qua Sol oritur,cæteris creatæ naturæ partibus præſtantior eſt , Orientem cùm precamur omnes intuemur: Atque vt dextra manu Chriſti nomine,eos qui Crucis ſigno obſignandi ſunt,obſignamus quòd lænâ habita eſt præſtãtior,quanquam ſitu non natura ab ea differat.* Mitto illud Tertulliani (quem B. Cyprianus Magiſtrum appellabat) ex libro de Corona militis. quod antè à nobis citatum eſt c.42.pag. 127. Et alio loco: *Latebis ne tu, cùm lectulum , cùm corpuſculum tuum ſignas , & non Magiæ aliquid videberis operari?* Vos Caluiniani,Ethnicorum, imitatores eſtis : cùm receptum ab Apoſtolorum temporibus ſignandi ſe morem, Magiam eſſe impiè fingitis. Idem alibi , *Nobis fides præſidium,ſi non & ipſa percutitur diffidentia,ſignandi ſtatim , & adiurandi, & vngendi beſtiæ calcem, &c.* Origenes vetus , & eruditus Auctor , magnam ad Dæmones fugandos eſſe crucis vim apertis verbis teſtatur : *Filij Dei humilitas , noſtra ſublimitas eſt , illius Crux noſtra victoria eſt : illius patibulum , noſter triumphus. Gaudentes leuemus hoc ſignum , in humeris noſtris victoriarum vexilla portemus. Immortale lauacrum portemus in frontibus noſtris,cùm dæmones viderint,contremiſcent. Qui aurata capitolia non timent,Crucem timent : Qui contemnunt ſceptra regalia , & purpuras Cæſarum,& dapes, Chriſtiani ſordes,& ieiunia pertimeſcũt, &c. Exultemus itaque fratres chariſsimi,& ad Crucis ſimilitudinem, ſanctas in cælum leuemus manus:cùm ſic nos Dæmones armatos viderint, opprimẽtur. Quando Moſes erectas habebat manus,vincebatur Amalech,ſi paululum illæ conciderant,inualeſcebat. Antennæ nauium,velorum cornua, ſub figura noſtra Crucis volitant. Aues quoque ipſæ,quando in ſublimiora obuoluũtur, & pendent per aera, extenſis alis,imitantur Crucem:ſed & trophæa ipſa,&*

victoria

Dionyſ.lib.de Eccleſ. Hierar.c.2. par. 2.

Ibidem cap. 5.part.2.

Iuſtin.Mart. in dialogo cũ Thryph.aduerſus Iudæos.

Moſes ſigno crucis Amalechitas vincebat.

Idem Iuſtin. in explic. qq. à gẽte Chriſt. propoſit.explicat. q.118.

Verſus orientem mos orandi & ſe manu dextera ſignandi.

Idem Tertul. lib.2.ad vxorem.

Signare ſe cruce non eſt magia.

Idem tertul. in ſcorpiaco contra Gnoſticos.

Crucis ſignum morſus ſerpentium curat.

Origen. hom. 8.in diuerſos Euangelij locos.

Dæmones viſo ſigno crucis contremiſcunt.

Exod.17.11.

Moſe Crucis inſtar orante vincitur Amalechus.

victoria triumphorum ornata, Cruces sunt, quas non solum in frontibus, sed & in animabus quoque nostris habere debemus, vt cum sic fuerimus armati, calcemus super aspidem & basiliscum in Christo Iesu. Si Origeni asserenti Crucis signo Dæmones fugari, fidem non habueris: quid in se Iulianus Apostata expertus sit, Magnus ille Theologus Gregorius Nazianzenus te docebit: *Sane,* inquiens, *& ille (quemadmodum a multis refertur, nec à fide est alienum) in adytum quendam multis inaccessum, & horrendum descendit. Aderat & multis adytis dignus, in his peritus quidam, aut potius Sophista. Cùm autem generosum in progressione pauor inuasisset, ac assiduè augeretur, fieretque terribilior, sonitus quosdam iniucundos eum audiuisse aiunt, necnon odores sensisse immundos, ac ignea vidisse phantasmata, & nescio quas nugas, & deliria. Re igitur inexpectata perculsus (erat enim in talibus nondum valdè expertus) ad Crucem, & vetus confugit remedium, hácque ob timorem signatur, adiutorémque facit quem persequebatur. At reliqua terribiliora etiam praualuit signaculum, superantur Dæmones, soluuntur timores. Quid inde? respirat ma um, animatur rursus, iterum impetus & timores priores, denuóque signaculum, & compescuntur Dæmones. In dubio igitur mystes, iuxtà vero mystagogus, exponens veritatem, abominationis inquiens, illis fuin us, & nequaquam timoris vincit quod deterius. Hæc dixit simul & persuasit: persuadénsque discipulum ad perditionis deduxit barathrum.* Quare nunc à Gregorio Nazianzeno, *an post trecentos sexcentos annos à redemptione humana per Christum obita, vetus Ecclesia imagines ignorarit.*

Crux in trophæis, & in fronte pingitur.
Psal. 90.
Gregor. Nazianz. orat. 1. contra Iulianum Imperatorem.
Eandē historiam totidem pere verbis commemorat Theodor. hist. Eccles. li. 3 c. 3. & habetur hist. tripart. l. 6. c. 1.
Ad Crucis vetus remedium confugit Iulianus Dæmonum spectris territus.
Magi impostura.

CAPVT XIIII.

QVid etiam D. Hieronymus Nazianzeni discipulus, de eodem Crucis signo sentiat, eius scripta omnibus testantur. *Ad [a] omnem,* inquit, *actum, ad omnē incessum, manus pingat Crucem, &* [b] *Quod enim in Lamina monstrabatur, in signo ostenditur Crucis: Tunc signum iuxta Ezechielis vocem gementibus figebatur in fronte: nunc per tantos Crucem dicimus, Signatum est super nos &c.* Et alio loco, [c] *Antiquis Hebræorum litteris, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Thau litera Crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Chrysostomus, Dæmones asserit timere signum Crucis, plurimáque in Crucis laudem vir admirabilis eloquentiæ, literis consecrauit. *Sed veluti coronam,* inquit, *sic lato animo Crucem Christi circumferamus, Omnia enim quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur: Nam cùm regeneramur, Crux Domini adest, cùm sacratissimo alimur cibo, cùm in ordine consecrandi statuimur, vbique ac semper id victoriæ insigne nobis assistit, quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoque, ac mente, magno studio Crucem inseramus, &c.* Tum addit: *Nam si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cùm hastam videat, qua letthale vulnus suscepit, congredi tecum audebit: Nam si cùm*

a Hieron. ad Eustochium de custodia virginitatis epist. 22.
b Idē ad Fabiolam epist. 128.
Ezechiel. 9. 4.
Psal. 4. 7.
c Idē Hieron. in c. 9. Ezechielis.
De signo Tau vide Origenem hom. 8. in diuersos Euangelij locos.
Chrysost. homil. 55. in Matth.
Vsus Crucis in omnibus rebus.

si cùm solummodo loca, in quibus capite damnati pœnas persoluunt, videmus, ingenti horrore concutimur: quid passurum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires eius Christus dissoluit, & quo caput Draconis magno ictu rotauit? Noli ergo tanto tu bono verecundari, ne quando in maiestate sua veniet Christus, de te verecundetur, &c. Et alio loco quàm frequens fuerit apud Christianos Crucis signum, & simul quo sit Crux cultu digna, elegantissima est oratione complexus: *Veruntamen hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicij symbolum, Crux diadematibus, & coronis clarius factum est, neque enim sic regia corona ornatur caput, vt Cruce, qua omni cultu dignior, & quam omnes prius abhorrebant, eius figuram tantopere quærunt: atque adeò vbique ea inuenitur, apud Principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apud liberos, subindè omnes ea se signant, inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra, quasi in columna quotidiè figuratur, sic in sacra mensa, sic in Sacerdotum ordinationibus, sic iterum cùm corpore Christi in mysticis cœnis fulget. Hanc vbique celebrari* longa enumeratione docet. Et paucis interiectis: *Ipsum ergo hoc lignum, in quo positum sanctum corpus Domini, & crucifixum, quarénam habere totus orbis ita contendit, vt qui paruum quiddam ex illo habent, hoc auro includant, tam viri quàm mulieres, & ceruicibus suis aptent, hinc valde honestati & magnifici, & muniti, & protecti, licet condemnationis fuerit lignum.*

Chrysost. in demonst. aduersus gentiles quòd Christus sit Deus. Crux omni cultu digna.

Vsus Crucis apud omnes frequens.

Lignum Crucis auro includitur.

CAPVT XV.

STatueram hoc loco post aliquot D. Augustini sententias, iis, quæ de signo Crucis dicenda erant, finē imponere. Verùm ex Eusebio Cæsariensi, qui ante tuos *sexcentos annos* Constantino Magno familiaris fuit, ea breuiter perstringenda iudicaui, quæ, si quid habes iudicij, te planè mutum reddent. Imperatori enim precanti visionem quandam diuinam, & admirabilem refert apparuisse, quam se eundem narrantem, & iureiurando confirmantem audiuisse commemorat, qua sole iam in pomeridianum tempus inclinante (Crucis) signum ex lucis splendore figuratum aspexit, cum hac inscriptione, *IN HOC VINCES.* Cuius visi admiratione perculsus, cùm se superueniente nocte in lectum recepisset, sibi dormienti Christum cum signo in cælo monstratum astitisse retulit, & præcepisse, vt ad imitationem illius signi † quod in cælo viderat, vexillo fabricato, eo tanquam præsidio in præliis vteretur. Quid multa? Nobilissimū illud signum Labarum (cuius supra à nobis facta est mentio) affabrè sculpi iussit: ad cuius etiam expressam similitudinem fieri alia multa vexilla mandauit, quæ exercitum antecederent. Denique, cum huius signi virtute hostes fugati, inclinatæ iam acies confortatæ, & trophæa de hostibus nobilissima parta fuissent, illud in celeberrimo vrbis

Euse. lib. 1. de vita Constantini c. 22. 23. 24. 25. & 33.

Cap. 2. p. 199.

vrbis Loco collocatum fuisse cum hoc elogio Latinis literis inciso pluribus narrat Eusebius, *HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM, TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI, ET S. P. Q. R IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINAE AMPLITVDINI ET SPLENDORI RESTITVI. Atque adeò iam salutari Seruatoris vexillo exercitum suum antecedente, præclariora victoriæ trophæa consecutus est. Nam in qua parte istud Crucis vexillum fuit, hostes fugam capere, victores persequi. Qua re intellecta Imperator sicubi partem aliquam sui exercitus languentem cernebat, ibi salutare illud vexillum, tanquam quoddam subsidium, ad victoriam obtinendam locari mandauit. Cuius adiumentis extemplò parta est victoria: quippe dimicantium vires, diuina quadam potentia, fuére admodum confirmatæ.* Narrat idem Eusebius *cruciferum* (licebit per te, inauditæ eloquentiæ architectum, Christiana voce vti) *incolumem* inter hostium tela perstitisse, cùm verò qui timore perculsus, Crucem portare recusauit interiisse. Venio iam ad D. August. qui in Christi Ecclesia, motem se Cruce signandi non solùm vsitatum, sed etiam quotidianum fuisse, variis in locis testatur. *Signabar,* inquiens, *iam signo Crucis eius, & condiebar eius sale, iam inde ab vtero matris meæ, quæ multum sperauit in te.* Et alio loco, *Cùm sub antiquis scelerati crucifigerentur, modò nullus crucifigitur. Honorata est Crux, & finita est: finita est in pœna, manet in gloria, à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum.* Et alibi, *Vsque adeò de Cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam Crucem Christi, sed in fronte portem.* Atque vt plurima Augustini de signo Crucis testimonia præteream, Non negabis, (ni fallor) quod in religiosissima fœmina Innocentia virtute huius sacri signi scribit patratum esse miraculum. Cùm enim illa cancro in mammilla laboraret (morbo nullis medicamentis sanabili) vbi se ad Deum solum conuertisset, in somnis admonetur, vt mulieri, quæ ei prima è baptisterio egrediens occurrisset, signandũ morbi locũ traderet: Quod cùm illa fecisset, confestim sanitas secuta est.

Idem lib. 2. de vita Constantini. c. 7.

Idem cap. 9. eiusdem lib. 2.

August. lib. 1. confess. c. 11.

Idẽ in Psal. 36. cõcione. 2.

Idẽ in Psal. 141.

Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.

Mulier cancro laborãs signo crucis curatur.

CAPVT XVI.

QVanto autem in honore Theodosius Imperator Crucis signũ habuerit, lex qua vetuit ne humi Crux vlla fieret, dubitare permittit neminem. *Cùm sit,* inquit, *nobis cura diligens per omnia superni numinis religionem tueri, signum saluatoris Christi, nemini liceat vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere, sed quodcunque reperitur tolli, grauissima pœna multando eo qui contrarium statutis nostris tentauerit, specialiter imperamus.* Ac ne nobis legẽ hanc obiicias, quasi Theodosius vetuerit, σταυρὸν τιμᾶν omninò fieri: cum certum sit, eam propterea tãtùm esse latã, ne Crux Chri-

Cod. lib. 1. Tit. 8.

Crux humi non sculpenda.

ſti ab hominibus conculcaretur. Tiberius Imperator (qui ante ſexcenteſimum Chriſti Domini annum vixit) Iuſtini in Imperio ſucceſſor optimus erit Theodoſij interpres. Cùm enim in Imperatoriis ædibus obambulans (vt teſtatur Paulus Diaconus) marmoream tabulam videret in pauimento ſubſtratam, Crucis ſigno ornatam, tolli eam iuſsit. *Cruce*, inquiens, *Domini noſtri frontem noſtram & pectora munire debemus, & ecce eam ſub pedibus calcamus, Et hoc dicto citius iuſsit ipſam tabulam auferri, &c.* hactenus de Cruce.

Paulus Diaconus de geſtis Romanorum. lib. 17. & de geſt. longob. li. 3. cap. 6.

Ac ne eam ſolam & non alias Imagines, veterem Eccleſiam approbaſſe dicas, adiiciam & pro aliis Imaginibus alia Antiquitatis teſtimonia, quæ tuam inſcitiam penitus redarguent. D. Athanaſius in primis grauiſsimum contra te dicet teſtimonium, referens hiſtoriam de paſsione Imaginis Domini, quæ in vrbe Beritho accidit, quam Iudæi cùm in quadam Chriſticolæ cellula prope Synagogam reperiſſent, iiſdem tormentorum generibus affecerunt, quibus à patribus ipſorum Chriſtus Dominus fuerat excarnificatus, Denique cùm lateri Imaginis lanceam admouiſſent, repentè, dictu, viſuque mirabile, ſanguis & aqua abunde emanauit. Quo miraculo perterriti Iudæi perfidiam ſuam primò deteſtantur, & cùm ſanguine eo omnes Synagogæ ægros curaſſent, rem ad loci Epiſcopum deferunt, qui diligenti de illa inquiſitione facta, reperit Nicodemum eius Iconæ ſacræ ſculptorem, & artificem Gamalieli reliquiſſe, & fratri Domini Iacobo, & Simeoni, & reliquis Hieroſolymitanis Patriarchis ſibi ſuccedentibus, quaſi ſingulare pietatis pignus vſque ad Hieroſolymorum euerſionem derelictam, & cum reliquis rebus Eccleſiaſticis in Agrippæ regnum euerſionis tempore deportatam, tandem in manus cuiuſdam Chriſtiani (qui eam domum ante Iudæum poſſederat) quaſi iure hæreditario perueniſſe. Argue Athanaſium pro tua modeſtia, quòd hiſtoriam de Imagine Domini Poſteritati legendam tradiderit, aut omninò fatere te inſigniter eſſe hallucinatum cùm *Poſt annos ſexcentos à redemptione humana veterem Eccleſiam illos idiotarum libros ignoraſſe* ſcriberes. Euſebium præterea tibi obiiciam qui hanc Imaginem Chriſti Domini oculis ſuis ſe conſpexiſſe teſtatur, quam mulier ſanguinis profluuio laborans, pro foribus domus ſuæ ex fuſili ære conflari curauit: In baſi autem, qua Imago illa ſuſtentabatur, exortam herbam ſcribit, quæ cùm ad tactum fimbriæ Seruatoris excreuiſſet, exiguo hauſtu epota omnes infirmitates, langoreſque depelleret, vnde hoc caput his verbis concludit. *Et nihil mirum ſi hi qui ex Gentibus crediderant pro beneficiis, quæ à Saluatore fuerant conſecuti, huiuſmodi velut munus videbantur offerre, cùm videamus etiam nunc Apoſtolorum Petri & Pauli, & ipſius Saluatoris Imagines deſignari, tabulâſque depingi.* Quid nunc dices Caluini Miniſter? Audebiſne in tua hæreſi perſiſtere, & negare noſtram eſſe Antiquitatem? Conſtantinus Magnus rerum geſtarum magnitudine, &

Athanaſ. lib. de Paſsione Imaginis Domini.

Ex imaginis crucifixi latere ſanguis profluit.

Imago à Nicodemo facta.

Euſeb. lib. 7. hiſtor. Eccleſ. c. 14.

Herbæ fimbriam imaginis Chriſti tangentis virtus.

Chriſti Domini, Petri & Pauli imagines ætate Euſeb. Cæſ. depingebantur.

Chriſti anæ

Christianæ religionis amplificatione clarissimus Imperator, *Post tuos sexcentos annos*, Orbis gubernacula non tenuit, & tamen, Christianorum Templa Imaginibus exornari curauit, vt testis est grauissimus auctor Damasus Romanus Pontifex, D. Hieronymi æqualis, sic scribens, *Huius, Syluestri Papæ, temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicas, quas & ornauit, Basilicam Constantinianam, vbi posuit dona ista: fastigium argenteum, habens in fronte Saluatorem sedentem in sella quinque pedum, pensantem libras centum viginti, & duodecim Apostolos, cum coronis ex argento purissimo Et Angelos quatuor, ex argento cum gemmis.* Et ibidem. *Super corpus beati Petri, fecit Crucem auream purissimam, sicut & super locum beati Pauli.* Memineris te antea laudasse his verbis Constantinum Magnum.* *Magni illius Constantini pietatem & constantiam veneramur, qui non modo Ethnicorum Deorum templa occludi iussit, Sed & eorundem idola perfringi.* Et si tibi constas, quem antea laudaueras, Idololatrarum principem & antesignanum fuisse dices. Quę enim Damasus eum fecisse scribit, tu nullo argumēto improbare potes. Quid de Apostolis senties? Nū & ipsi Idololatræ fuêre, cùm Imagines Christi Domini & seruorum ipsius pro Idolis erigendas esse perspicuis verbis præceperint mandantes περὶ τοῦ μὴ πλανᾶσθαι τοὺς σωζομένους εἰς τὰ εἴδωλα, ἀλλὰ ἀντεικονίζειν τὴν θεανδρικὴν ἄχραντον χειροποίητον στήλην τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων ἀντικρὺ τῶν εἰδώλων καὶ Ἰουδαίων, & id est, *Non debere seruatos circa Idola errare, sed pro eis incontaminatam veri Dei simul & hominis, Saluatorisque nostri Iesu Christi, & seruorum ipsius manibus efformatam Imaginem contra Idola, & Iudæos erigere.* Huic Apostolorum præcepto paruisse Christianos, ex iis quæ scripsit D. Augustinus, de illis qui se Christi Domini libros ad Petrum & Paulum scriptos legisse, & in eis magicā artem descriptam inuenisse mentiebantur, facilè constat. *Cùm vellent* (inquit.) *tale aliquid fingere Christum scripsisse ad Discipulos suos, cogitauerunt, ad quos potissimum scribere potuisse facilè crederetur, tanquàm ad illos, qui ei familiarius adhæsissent: quibus illud quasi secretū dignè committeretur: & occurrit eis Petrus & Paulus. Credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt: quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem passionis diem, celebrius & solenniter Roma commendat.* Ante sexcentesimum ergo à *redemptione humana* annum, Christi Domini Petrique & Pauli Imagines, à Christianis depingebantur. Ac ne in re nota, & apud omnes, qui Veterum scripta euoluerunt manifesta, longius quàm instituta breuitas patitur progrediar, ad institutam disputationem redibo, vbi te Gregorij magni testimonio, in annorum numero impudenter docuero hallucinatum esse. Ac primùm hoc tuo te gladio iugulabo: *Eccumnam autem de Ecclesia Romana potius credendum est*, quàm ei Gregorio, *qui & Romana Ecclesia fuit Episcopus, & meliori etiam seculo vixit?*

Damasus lib. Pontific. in vita Sylvest.

Cōstantinus imagines Christi & Apostolorum in tēplo collocauit, & Cruces Aureas super Apostolorum corpora.

* *Pag. 48.*

Synod. Apost. Antioch.

Apostoli prǽceperunt erigi imagines.

Aug. lib. 1. de cōsensu Euangelistarum c. 10.

Imagines Petri & Pauli cum imagine Christi depingi solitæ.

Pag. 15.

exhibemus. Quę quidem nō noſtra primùm ætate cum veneratione & honore circumferri ſolent: Nam Onuphrium Panninum in ſuis in Eccleſiaſticam hiſtoriam Commentariis me aliâs legere memini, qui huius rei inuentionem ad ipſa penè Apoſtolorum tempora refert, Quibus nouis Chriſtianis (qui veſtibus albis induti in feſto Paſchatis, ſacro Baptiſmatis lauacro tingebantur) quaſi nouis Agnis recenter ex Eccleſię Matris vtero prodeuntibus, hæ cereę Agnorum Imagines porrigebantur. Ad quam quidem priſcam conſuetudinem ſpectare puto antiquum hoc ἀντίφωνον, quod nos quotannis eo die Sabbati, quod in Albis propterea dicitur, decantamus: *Iſti ſunt Agni nouelli, qui annunciauerunt nobis Allelnia, modò veniunt ad fontes, repleti ſunt claritate.* Cui Cantico (vt tibi fortè hæc ſubſannanti faſtidium leuem) reſpondet Lactantius Auctor vetuſtiſsimus, ſic ſcribēs:

Cyrill. Cateeh. 3. Clem. Alex. in Pædag. Ambroſ. c 7. lib. de iis qui ſacris initiantur.

Lact. in car. de Reſurrect. verſi. 89.

Rex ſacer ecce tui radiat pars magna trophæi,
Cùm puras animas, ſacra lauacra beant.
Candidus egreditur, nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium, purgat in amne nouo.
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat
Et grege de niueo, gaudia paſtor habet.

Si verò tu hæc præfractè negare audeas, memineris quæſo, Iuriſconſultum dixiſſe, *Non omnium quæ à maioribus conſtituta ſunt, rationem reddi poſſe:* & Diuus Auguſtinus. *Illa quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus: quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, atque ſtatuta retineri.* Hæc & multa alia perelegantet And. Fruſius Societatis noſtræ Theologus, πολυΐςωρ, & Poëta eximius poëmate eſt complexus, ex quo nonnulla deſcribenda duxi.

D. de legibus. L. non omnibus.

Auguſt. epiſt. 118. ad Ianuarium.

Quid ſib. vult Agni, quæ circunfertur, Imago
Cerea, mirificis nobilitate modis? &c.
Idolum vocat Hæreticus, ridétque fidelem:
Nec de hoc duntaxat munere turba fremit, &c.
Abdita nonnullos primùm quò latur at origo,
Propterea & magnum pondus habere negant.
Ponderis indicium maioris maius idipſum eſt,
Sanctorum ad trutinam ſi reuocare velis.
Quicquid enim ſeruat ritus Eccleſia conſtans,
Principium cuius nemo referre queat,
Id magis antiquum, certum, ac laudabile cenſent,
Tanquam à primæua relligione ſatum.
Agni huius profert auctorem nemo recentem:

Origo Agnorū Dei antiquiſsima.

Priſca

Priscus enim priscis Patribus vsus erat.
Ante octingentos fermè Leo tertius annos:
Optimus exhibito munere testis adest.
Carolus hoc Magnus magna pietate recepit
Thesaurum, vt reputans cælitus esse datum. Historiæ.
Vrbanus quintus similem post consecrat Agnum,
Quem Byzantinus ferre Monarcha cupit, &c.
Prima quidem ratio sacrandi antiquitus Agni
Extitit, vt signum grande, poténsque foret.
Quippe vt in Hebraicis omnis quondam Hostia sacris
Christi aduentantis schema salubre fuit, Genes. 4. Exod. 12.
Vtque Redemptoris mores, mortémque notabat 1. Pet. 1.
Agnus, præcipui creber honore typi. Apoc. 5. 6.
Non secus (vmbrosum claro componere signum
Si licet) hic nobis debitus Agnus erat, &c.
Subsidiis nec se externis negat vllus egere
Christigena, aut hominem se simul esse negat, &c.
Cera refert hominem intacta de Virgine cretum, Materia, & forma
Et quo purius est, candidiúsque nihil. quid signi-
Sed purum ne fortè hominem tantummodo credas, ficent.
Aeterni integritas numinis orbe patet.
Chrismatis est oleum, quæ totum immensa perunxit,
Gratia, & hinc aliis participata fluit.
Balsama significant sanctæ beneolentia vitæ
Munia, & effusam vulneris omnis opem, &c.
Sabbatha, quæ Paschæ vicina vocantur in Albis,
Dant proprium, vt sacret, distribuát-ue, diem.
Tempus id est, quòd Christigenas a fonte recentes, Quando fiant.
Matris ad arcanas excipiebat opes.
Iure repræsentant Agni pura agmina, plures
Res quod ibi gestæ, notáque verba docent.
Baptizantur enim solenni hæc signa lauacro,
Inclytus & magna voce Minister ait:
Ad fontes isti veniunt Agni ecce nouelli,
Quos lux clara replet, gratia, laúsque Deo, &c.
Nonne Petro Dominus quos credit nominat Agnos?
Inter & immanes quos iubet ire lupos? Ioan. 21. 15. Matth. 10.
Atque hæc breuiter de Agno Dei dicta sint. 16. Luc. 10. 3.

MINI

MINISTER. pag. 54.

Eas ne crassa cuiusdam & plumbea inscitia primitias esse vultis ei iuuentuti, quam docendam suscepistis: vt mutam, & vecordem, sicuti vestras mutas illas imagines efficiatis?

CATHOLICVS.

Iuuentus nostræ curæ commissa, neque muta, neque vecors est Minister: neque Imagines nostræ mutæ sunt, cùm nemo nostrûm eis loquêdi vim & facultatem tribuat. Quis Philosophorum dicet lignū esse mutum, aut lapidem cœcum, quamuis loquendi & aspiciendi facultates non habeant? [a] Idola quidem muta, & cœca dici non inficiamur, cùm eorum cultores sensum eis tribuant: Lege [b] Thomam V.valden. qui VViclefum, ex quo Lutherus, & Caluinus errorū portenta hauserunt, luculenter confutauit, & in memoriam reuocabis, quæ à Physicis de Priuatione accuratè disputantur.

[a] Psa. 134. 16.
[b] Thom. Vualden. tomo 3. de Sacrament. tit. 99. c. 151.

Imagines mutæ dici non possunt cùm eis sensum tribuat nemo.

MINISTER. pag. 54.

Etiam ita vobis indulgetis, vt in vestro illo paruo, quem vocatis, Catechismo, Paradisum (quem oculus non vidit, auris non audiuit, imo ne cogitauit quidem animus) depingere audeatis. Ecquid est in re maximè seria non nugari modò, sed & insanire, & fascinis præstigiisque illudere, si hoc non est?

Ministri ψευδολογία.

CATHOLICVS.

Falsum est Minister, in Catechismis nostris in Gallia editis vllam esse Paradisi Imaginem (sicut neque S. Trinitatis, vti antè diximus.) Et quamuis ita esset, non ideo tamen vel essentiam Dei, vel Beatorum gloriam à nobis exprimi sentiremus, sed rudi quodam carbone Cælites ipsos conaremur adumbrare: sicut in aliquot Euāgelij locis Regnum cœlorum Christus ipse Magister omniū ἀνθρωπίνως nobis repræsentauit. Perfice porrò sodes, Apostoli orationem, ac tum demum nobis audaciam exprobra: *Quod oculus*, inquit, *non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.* Plurima igitur sunt Christiano homini cognita, ad quæ humana intelligentia, sine singulari Dei subsidio aspirare non potest, quæ tamen cogitare animum sine impietatis nota, non inficiaberis: atque vt germanam orationis Apostoli sententiam intelligas, ascribam D. Athanasij interpretationem. *Quid ille se colentibus præparauit? Christi scilicet notionem, & salutem quæ nobis est per eius incarnationem quæsita: hac quidem neque oculus humanus inspexit, nec auris auditu percepit, nec cor aliquod meditando complexum est: nam & Prophetæ, neque mortalibus oculis ista spectabant, nec auribus hauriebant humanis, nec mente ac mortali intelligebant, quæ ipsimet de Christo prædicerent. sed diuinitus cuncta per eos enunciabantur. Dominus enim, inquit, adiunxit mihi aurem, spiritalem videlicet, & alia huiusmodi pleraque. Quonam pacto, dicet aliquis, quæ in cor hominis non inscendunt,*

Paradisus pingi potest, sicut per similitudines explicatur.

1 Cor. 2. 9.

Minister malitiosè reticet, *Nobis autem reuelauit, &c.*

Hoc enim probatur Paradisum pingi posse.

Athanas. in c. 2. epist. 1. ad Corinth.

inscendunt vos didicistis? Quia Deus, inquit per Spiritum suum, non per humanam sapientiam, mysterium illud nobis aperuit: hanc enim nequaquam dignatus est Deus, vt eius arcana perspiciat. Lege Ecclesiæ Doctorum scripta, qui sacras literas sunt interpretati, vt discas pro veritate deinceps pugnare.

CAPVT XI.

MINISTER. pag. 54.

SI imaginibus est opus eloquentibus, quæ gloriam Dei annuntiantes, vel rerum imperitissimos ad Dei cognitionem erigant, Cælum ostendite, immensa illius Maiestatis thronum: Terram verò paternæ erga se liberalitatis penu, emicantia suo ministerio miracula Agricolæ vobis summonentibus, cōtemplantor: seipsos, liberos, vt pulcherrimas Dei imagines suspiciunto. Discant vobis docentibus pueri, vel ex sanioris Philosophi verbis, Parentes suos domi esse imagines Dei, vt illos maiore cum pietate, & reuerantia ament, & colant.

CATHOLICVS.

Satis pro imperio, quisquis es Minister. sed ad rem. Non memini me apud Theologum vllum legere Cœlum esse Imaginem Dei, siue mutam, siue eloquentem. Et quamuis Caluinus tuus asserat, *Imaginem Dei in Adamo sic fuisse per peccatum corruptam, vt quicquid superesset, horrenda sit deformitas &c.* Tu tamen ad Adami posteros, nos remittis, vt in iis tanquā Imaginibus Deum contemplemur. Vis etiam vt Cælum ostendamus imperitis. *Vt ad Dei cognitionē erigantur,* & tamen anteà, *ex Cæli contemplatione* scripsisti *primam superstitionis originem promanauisse.* Si Dei cultores ex Cæli contemplatione in Idololatriæ (vt tu vis) crimen sunt delapsi, nónne timendum erit, ne Christiani (quos tu Caluini Minister religiosissimè Idololatras esse somnias) in grauius aliquod crimen, si quod esse potest, ex eiusdem Cæli conspectu incurrant? Nos autem te monitore non egemus, vt ex rerum creatarum contemplatione, auditoribus nostris Dei præpotentis cognitionem, quò hauriant, persuadeamus, cùm Nostri hoc diligenter quotidie præstent. Sed ne Charitatis officio à te vincamur: te vicissim moneo, vt quæ Christus in terris gessit, ac pro nobis, à consceleratis hominibus est perpessus, ex Cæli, terræque consideratione Sectatores tuos doceas: quod si perficere nequis, cur Christi Ecclesiæ vertis crimini, quòd res tam salutares omnium, etiam idiotarum oculis, animísque per Imagines obiiciat? Tu denique sanioris illius Philosophi Platonis doctrinā, si videtur, sequitor: Nos Christi discipuli, atque in eius Schola, id est, Ecclesia edocti, longè saniorem, & diuiniorem philosophiam profitemur.

Caluin. lib. 2. Inst. c. 15. §. 4.

Pagin. 52.

Christi mors ex cæli contemplatione perspici non potest.

MINISTER. pag. 55.

Imagines autem illa vestra quàm vtiles sint idiotarum libri, si o-

mnem Dei Verbo, quod Verbū Dei esse agnoscitis, autoritatem non demitis, saltem ab illo Verbo accipitote clamat Hieremias, lignum esse doctrinam veritatis: Habacucus, conflatile esse doctorem mendacij, concionatur. Eccui potius fides adhibenda est, Prophetisne an Gregorio: vt ex ipsius ore lex perferatur, Imagines esse idiotarum libros: illique libri omnibus palam explicentur.

CATHOLICVS.

Caluin. lib. 1. Inst. c. 11. §. 5. Ne furtum tuum deprehenderetur, Caluini tui orationem inseruisti, quæ totidem fere verbis extat in primo eius Institutionum libro. Quòd si ex ipsomet Caluino Prophetas Ieremiam, & Habacucum de eo, quem Christiani Imaginibus tribuunt, cultu locutos non esse docuero, insignem planum te ipse fateberis, vtpote qui Caluini argumento proposito, eius dissolutionem tacitus præterieris. Fatetur enim ille à Prophetis (quorum sententiis contra Christianam veritatem abuteris) eos reprehendi qui simulachris ad impiam superstitionem abutebantur. Si quis est eiusmodi inter Christianos abusus, benignè ac (vt Christianum decet) fraternè magistratus Ecclesiasticos mone, & mihi crede, non deerunt qui populi errata pro iniuncto sibi Ecclesiam gubernandi munere corrigent. Certè Caluinus ipse sui oblitus, concedit formas, & imagines, quæ cum aliqua rerū gestarum notatione fiunt *in docendo vel admonendo, aliquem habere vsum: alias verò præter oblectationem nihil afferre.* Ex quo quidem sequitur Gregorium verè scripsisse, *Imagines* (eas saltem, quæ aliquid gestum referunt) *libros esse idiotarum.* Quid igitur (vt de aliis taceam) de Imagine Christi Domini cruci affixi senties? Nam, credo, eam rei gestæ notationem habere fateberis, sicque vel ad docendum, vel ad monendum in Ecclesia retinenda erit. Quod si negaueris, cur non te eius conspectu (ex Magistri tui doctrina) oblectare poteris, si ex illa ad commiserationem cum Catholicis non mouearis? Quod deinde subiungit ibidem Caluinus, *Ea sola pingi ac sculpi, quorum sunt capaces oculi,* Deum arguere videtur, qui Cherubinorum Imagines fieri præcepit. Et quamuis diceres Angelos corpora habere, ea tamen eiusmodi esse non probabis, quæ oculis possint conspici. At enim ab hominibus visi sunt, ergo etiam pingi possunt. Eodem planè modo dicemus Deum Patrem in augusta senis specie, & Spiritumsanctum in columbæ forma depingi posse. Imò & Christum Dei Filium etiam antè quàm humanam naturam assumeret figurari potuisse vel Caluino teste, contendemus, qui sibi non displicere affirmat, *Quòd veteres Scriptores vbi Scriptura Angelum Dei Abrahæ, Iacob, Mosi, & aliis apparuisse commemorat, Christum fuisse Angelum illum interpretati sint.*

Marginalia: Superstitio in Imaginibus (si quæ sit) fugienda. — *Caluin. lib. 1. Inst. c. 11 §. 12* — *Greg. lib. 9. epist. 9. & habetur de consecr. distin. 3. c. Perlatum.* — *Exod. 25, 18.* — *Caluin. lib. 1. Inst. c. 14 § 5.*

CAP

CAPVT XII.

MINISTER. pag. 55.

AT vos monet instituti huius antiquitas, Nicenæ Synodi, Irenes iussu & auspiciis ante annos octingentos habita autoritas, sexcentorum Episcoporum ex omnibus mundi partibus conuocatorum summa prudentia, summusq; consensus: Romana cum primis Ecclesia ex cuius autoritate & sententia perlatum est hoc decretum, supremum in cæteras omnes Ecclesias ordinaria successione, & clauium potestate imperium. Quid non? vniuersi propemodum terrarum orbis consensus, longorum seculorum præscriptio, tot Conciliorum repetita decreta, tot tantorúmq; virorum, qui post Carolum Magnum vixerunt, exquisita confirmationes, quantum habeant momenti ad plenam fidem huic decreto faciendam? Magna hæc sunt, Iesuita, in speciem, & vobis cum Ethnicis ita communia vt illi vos & multitudine, atque consensu populorum, & priscorum, continuatorúmque sæculorum præscriptionibus, & imperiorum magnitudine & potentia longissimè superarint.

CATHOLICVS.

Voluisti amplificare quod paucis verbis scripsit Caluinus: *Iam* Caluin. lib. 1.
satis multa, inquiës, *opinor de hac re dicta forent, nisi manum quodam* Inst. c. 11. §. 14
modo mihi iniiceret Synodus Nicena, non illa celeberrima, quam coegit Constantinus magnus: Sed qua Irenes imperatricis iussu & auspiciis ante annos octingentos habita est. Te satis demirari non possum Minister, quòd in argumento contra vestras ineptias firmissimo λογεδιάῤῥοιαν tuam declamandi exercueris, cuius postea firmitatem, Caluiniana calumnia minuere es conatus: *Magna*, dicens, *sunt hæc in speciem, & vobis cum Ethnicis ita communia, &c.* Itáne verò hunc validissimum ictum tam fortiter in vos vibratum bonus videlicet gladiator modica declinatione, &, vt aiunt, corpore effugis? An Gentium populum, qui Apostolo [a] teste, ὁ Θεὸς ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς a Act. 14. 15.
εἴασε πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, cum Dei Ecclesia (cui se perpetuò affuturum [b] promisit) comparabis, vt non minus hanc quàm illum erra- b Mat. 28. 20
re potuisse credas? Vbi quæso fuit illa Spiritussancti præsentia [c] quam c Ioan. 14. 15.
Ecclesiæ suæ nunquam defuturam Christus est pollicitus, si ab octingentis annis tam tetro idololatriæ errori Ecclesia succubuit, quo ante Christi ortum pleræque mundi plagæ tenebantur? Siccine celeberrimum illud Concilium Nicenum secundum (cui vt tu ais, 600. Episcopi ex omnibus mundi partibus conuocati interfuerunt) tam turpiter est hallucinatum, vt non modo Christum præsentem iuxta [d] suum ipsius verbum non habuerit: Sed, vt tuis verbis vtar, d Matt. 18.
ἰδωλομανίας Genium ducem, & consiliorum auctorem sit secutum? 20.
Nonne vides teipsum (qui tam callidè ictum hunc eludere tibi visus es) gladio tuo ita transuerberatum, vt saluus euadere non possis, nisi velis Deum mendacem, Christum proditorem, & Spiritumsan-

huius Scriptoris acquiesceres sententiæ, Caluini placitis multam salutem diceres.

CAPVT XIII.

MINISTER. pag. 55.

Post annos sexcẽtos à redemptione humana per Christum abita, vetus Ecclesia Verbo Dei contenta, illos idiotarum libros ignorabat.

CATHOLICVS.

Caluinus sanè minus centum annis quàm tu Minister à veritate aberrauit. *Meminerimus*, inquiens, *quingentis circiter annis quibus magis adhuc florebat religio, & syncerior doctrina vigebat, Christiana templa fuisse communiter ab Imaginibus vacua.* Tu nè Caluini verba descripsisse videreris, pro quingẽtis substituisti *sexcentos*. Sensus autem orationis tuæ est, vt suspicor, veterem Christi Ecclesiam sexcentis post Domini mortem annis, Imagines non habuisse. Atque vt tuo in primis te gladio iugulem, Certum est Elibertinam synodum (quam tu Imaginum cultoribus restitisse scribis) ante sexcentesimũ imò & ante trecentesimum Domini annum habitam fuisse: Epiphanium etiam (cuius testimonio profligatam tuam impietatem tueri conaris) ante sexcentesimum Domini annum è viuis excessisse. Causa nunc igitur, vel te iudice, cecidisti. Neque certè video cur mihi opus sit diutius hac in re probanda immorari. Verùm vt non solùm tibi, sed etiam Christiano Lectori faciam satis, aliquot grauissimorum virorum sententiis, te in graui errore versari probabo. Vtque à Crucis signo ordiar: Nascente Christi Ecclesia (nõ tantùm *Post* tuos *sexcentos annos*) in magno fuit honore, vt testatur Martialis Christi Domini discipulus. *Crucem*, inquiens, *Domini in quem credidistis, Deum verum, & Dei Filium semper in mente, in ore, in signo tenete Crux enim Domini armatura vestra inuicta cõtra Sathanã galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem, & Angelicas insidias peruersæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens: hoc solo signo cælestis victoria data est nobis, & per Crucem baptisma sanctificatum est.* Clemens item Apostolorum discipulus, primos Religionis Christianæ doctores, in sacris mysteriis se Cruce obsignasse scribit his verbis, *Orans igitur per se Pontifex vnà cum sacerdotibus, induénsque vestem splendidam, & stans ad altare, trophæo Crucis se signans in fronte, dicat, Gratia omnipotentis Dei & charitas Domini nostri Iesu Christi, & communicatio Spiritus-sancti sit cum omnibus vobis.* Ignatius etiam, qui ante tuum sexcentesimum annum vixit (nam D. Ioannis Apostoli discipulus fuit) contra te præclarum hoc dedit testimonium: *Princeps huius mundi in hoc gaudet, quando quis Crucem negauerit, interitum enim sibi esse cognouit confessionem Crucis. Hoc enim est trophæum contra eius virtutem, quod videns expauescit, & audiens timet.* De cruce multa in libris

Maior Ministri quàm Caluini vanitas.

Caluin. lib. 1. Instit. cap. 11. §. 13.

Martialis epist. ad Burdigal. c. 8.

Signi Crucis vis & antiquitas.

Clemẽs Rom. lib. 8. Cõstit. Apost. ca. 16.

Crux in fronte Põtificis.

Ignat. epist. ad Philip.

Crucem dæmon timet.

B. Dionysij Gallorum Apostoli, quæ te vt Crucem colas mouere, & meritò possent. *At Pontifex*, inquit, *trino Crucis sacta signaculo vnctionem inchoans, inungendum iam Sacerdotibus toto corpore hominem tradit.* Et alio loco: *Cuilibet autem ipsorum à benedicente Pontifice Crucis imprimitur signum, & per singulos sacra prædicatio nominis, consummansq́ consultatio fit cunctis sacri ordinis viris.* Iustinus Martyr Crucis vim fuisse maximam multis antè seculis, quàm Dei filius naturam humanam sibi copularet, constanter his verbis asserit: *Cùm populus inquam bellum cum Amalecho gerebat, Nauæq́ filius is, qui Iesu nomine appellatus est, bello præerat, Moses ipse Deum, passis in cælum manibus precabatur, Aaronius autem eas tota die subleuabat, ne defessus eas deprimeret: Si enim aliqua ex parte ab ea figura quæ Crucem imitatur deflexerat, tum vt apud Mosem scriptum est: Populus vincebatur, si verò in eo statu, ac figura manebat, Amalechus tantùm vincebatur, & populus Cruce fortis reddebatur: Neque enim quòd ita Moses precabatur, propterea superior erat populus, sed initio pugnæ cum nomen Iesu esset, ipse signũ crucis edebat.* Et Christianos se Crucis signo muniuisse suo tempore apertè testatur: *Quia eorùm*, inquit, *quæ apud nos sunt meliora, atque præstantiora, ad Dei honorem fecerimus, hominum autem opinione, & sententia ea pars in qua Sol oritur, cæteris creata natura partibus præstantior est, Orientem cùm precamur omnes intuemur: Atque vt dextra manu Christi nomine, eos qui Crucis signo obsignandi sunt, obsignamus quòd læuâ habita est præstãtior, quanquam situ non natura ab ea differat.* Mitto illud Tertulliani (quem B. Cyprianus Magistrum appellabat) ex libro de Corona militis. quòd antè à nobis citatum est c.42.pag. 127. Et alio loco: *Latebis ne tu, cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas, & non Magie aliquid videberis operari?* Vos Caluiniani, Ethnicorum, imitatores estis: cùm receptum ab Apostolorum temporibus signandi se morem, Magiam esse impiè fingitis. Idem alibi, *Nobis fides præsidium, si non & ipsa percutitur di fi[illegible], signandi statim, & adiurandi, & vngendi bestiæ calcem, &c.* Origenes vetus, & eruditus Auctor, magnam ad Dæmones fugandos esse crucis vim apertis verbis testatur: *Filij Dei humilitas, nostra sublimitas est, illius Crux nostra victoria est: illius patibulum, noster triumphus. Gaudentes leuemus hoc signum, in humeris nostris victoriarum vexilla portemus. Immortale lauacrum portemus in frontibus nostris, cùm dæmones viderint, contremiscent. Qui aurata capitolia non timent, Crucem timent: Qui contemnunt sceptra regalia, & purpuras Cæsarum, & dapes, Christiani sordes, & ieiunia pertimescũt, &c. Exultemus itaque fratres charissimi, & ad Crucis similitudinem, sanctas in cælum leuemus manus: cùm sic nos Dæmones armatos viderint, opprimẽtur. Quando Moses erectas habebat manus, vincebatur Amalech, si paululum illæ conciderant, inualescebat. Antennæ nauium, velorum cornua, sub figura nostra Crucis volitant. Aues quoque ipsæ, quando in sublimiora obuoluũtur, & pendent per aera, extensis alis, imitantur Crucem: sed & trophæa ipsa, &*

victoria

Dionys. lib. de Ecclesf. Hierar. c.2. par. 2.

Ibidem cap. 5. part. 2.

Iustin. Mart. in dialogo cũ Thriph. aduersus Iudæos.

Moses signo crucis Amalechitas vincebat.

Idem Iustin. in explic. qq. à gẽtio Christ. proposit. explicat. q. 118.

Versus orientem mos orandi & se manu dextera signandi.

Idem Tertul. lib. 2. ad vxorem.

Signare se cruce non est magia.

Idem tertul. in scorpiaco contra Gnosticos.

Crucis signum morsus serpentium curat.

Origen. hom. 8. in diuersos Euangelij locos.

Dæmones viso signo crucis contremiscunt.

Exod. 17. 11.

Mose Crucis instar orante vincitur Amalechus.

victoria triumphorum ornata, Cruces sunt, quas non solùm in frontibus, sed & in animabus quoque nostris habere debemus, vt cùm sic fuerimus armati, calcemus super aspidem & basiliscum in Christo Iesu. Si Origeni asserenti Crucis signo Dæmones fugari, fidem non habueris: quid in se Iulianus Apostata expertus sit, Magnus ille Theologus Gregorius Nazianzenus te docebit: *Sane*, inquiens, *& ille (quemadmodum à multis refertur, nec à fide est alienum) in adytum quendam multis inaccessum, & horrendum descendit. Aderat & multis adytis dignus, in his peritus quidam, aut potius Sophista. Cùm autem generosum in progressione pauor inuasisset, ac assiduè augeretur, fieretque terribilior, sonitus quosdam iniucundos eum audiuisse aiunt, necnon odores sensisse immundos, ac ignea vidisse phantasmata, & nescio quas nugas, & deliria. Re igitur inexpectata perculsus (erat enim in talibus nondum valdè expertus) ad Crucem, & vetus confugit remedium, hácque ob timorem signatur, adiutorémque facit quem persequebatur. At reliqua terribiliora etiam præualuit signaculum, superantur Dæmones, soluuntur timores. Quid inde? respirat malum, animatur rursus, iterum impetus & timores priores, denuóque signaculum, & compescuntur Dæmones: In dubio igitur mystes, iuxtà verò mystagogus, exponens veritatem, abominationi inquiens, illis sumus, & nequaquam timori: vincit quod deterius. Hæc dixit simul & persuasit: persuadénsque discipulum ad perditionis deduxit barathrum.* Quære nunc à Gregorio Nazianzeno, *an post tres sex entos annos à redemptione humana per Christum obita, vetus Ecclesia imagines ignorarit.*

Crux in trophæis, & in fronte pingitur.
Psal. 90.
Gregor. Nazians. orat. 1. contra Iulianum Imperatorem.
Eandē historiam totidem penè verbis commemorat Theodor. hist. Eccles. lib. 3 c. 3. & habetur hist. tripart. l. 6. c. 1.
Ad Crucis vetus remedium confugit Iulianus Dæmonum spectris territus.
Magi impostura.

CAPVT XIIII.

QVid etiam D. Hieronymus Nazianzeni discipulus, de eodem Crucis signo sentiat, eius scripta omnibus testantur. *Ad [a] omnem*, inquit, *actum, ad omnē incessum, manus pingat Crucem*, & [b] *Quod enim in Lamina monstrabatur, in signo ostenditur Crucis: Tunc signum iuxta Ezechielis vocem gementibus figebatur in fronte: nunc portantes Crucem dicimus, Signatum est super nos &c.* Et aliò loco, [c] *Antiquis Hebræorum litteris, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Thau litera Crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Chrysostomus, Dæmones asserit timere signum Crucis, plurimáque in Crucis laudem vir admirabilis eloquentiæ, literis consecrauit. *Sed veluti coronam*, inquit, *sic læto animo Crucem Christi circumferamus, Omnia enim quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur: Nam cùm regeneramur, Crux Domini adest, cùm sacratissimo alimur cibo, cùm in ordine consecrandi statuimur, vbique ac semper id victoriæ insigne nobis assistit, quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoque, ac mente, magno studio Crucem inseramus, &c.* Tum addit: *Nam si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus sceleratorum dæmonum, cùm hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit: Nam*

si cùm

a Hieron. ad Eustochium de custodia virginitatis epist. 22.
b Idē ad Fabiolam epist. 128.
Ezechiel. 9. 4.
Psal. 4. 7.
c Idē Hiero. in c. 9 Ezechielis.
De signo Tau vide Origenem hom. 8. in diuersos Euangelij locos.
Chrysost. homil. 55. in Matth.
Vsus Crucis in omnibus rebus.

si cùm solummodo loca, in quibus capite damnati pœnas persoluunt, videmus, ingenti horrore concutimur: quid passurum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires eius Christus dissoluit, & quo caput Draconis magno ictu rotauit? Noli ergo tanto tu bono verecundari, ne quando in maiestate sua veniet Christus, de te verecundetur, &c. Et alio loco quàm frequens fuerit apud Christianos Crucis signum, & simul quo sit Crux cultu digna, elegantissima est oratione complexus: *Veruntamen hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi supplicij symbolum, Crux diadematibus, & coronis clarius factum est, neque enim sic regia corona ornatur caput, vt Cruce, quæ omni cultu dignior, & quam omnes prius abhorrebant, eius figuram tantopere quærunt: atque adeò vbique ea inuenitur, apud Principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apud liberos, subindè omnes ea se signant, inscribendo in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra, quasi in columna quotidiè figuratur, sic in sacra mensa, sic in Sacerdotum ordinationibus, sic iterum cùm corpore Christi in mysticis cœnis fulget. Hanc vbique celebrari* longa enumeratione docet. Et paucis interiectis: *Ipsum ergo hoc lignum, in quo positum sanctum corpus Domini, & crucifixum, quarénam habere totus orbis ita contendit, vt qui paruum quiddam ex illo habent, hoc auro includant, tam viri quàm mulieres, & ceruicibus suis aptent, hinc valde honestati & magnifici, & muniti, & protecti, licet condemnationis fuerit lignum.*

Chrysost. in demonst. aduersus gentiles quòd Christus sit Deus. Crux omni cultu digna.

Vsus Crucis apud omnes freqüens.

Lignum Crucis auro includitur.

CAPVT XV.

STatueram hoc loco post aliquot D. Augustini sententias, iis, quæ de signo Crucis dicenda erant, finē imponere. Verùm ex Eusebio Cæsariensi, qui ante tuos *sexcentos annos* Constantino Magno familiaris fuit, ea breuiter perstringenda iudicaui, quæ, si quid habes iudicij, te planè mutum reddent. Imperatori enim precanti visionem quandam diuinam, & admirabilem refert apparuisse, quam se eundem narrantem, & iureiurando confirmantem audiuisse commemorat, qua sole iam in pomeridianum tempus inclinante (Crucis) signum ex lucis splendore figuratum aspexit, cum hac inscriptione, *IN HOC VINCES.* Cuius visi admiratione perculsus, cùm se superueniente nocte in lectum recepisset, sibi dormienti Christum cum signo in cælo monstratum astitisse retulit, & præcepisse, vt ad imitationem illius signi † quod in cælo viderat, vexillo fabricato, eo tanquam præsidio in præliis vteretur. Quid multa? Nobilissimū illud signum Labarum (cuius supra à nobis facta est mentio) affabrè sculpi iussit: ad cuius etiam expressam similitudinem fieri alia multa vexilla mandauit, quæ exercitum antecederent. Denique, cum huius signi virtute hostes fugati, inclinatæ iam acies confortatæ, & tropæa de hostibus nobilissima parta fuissent, illud in celeberrimo

Euse. lib. 1. de vita Constantini c. 22. 23. 24. 25. & 33.

Cap. 2. p. 299.

vrbis

vrbis Loco collocatum fuisse cum hoc elogio Latinis literis inciso pluribus narrat Eusebius, *HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM, TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI, ET S. P. Q. R IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINAE AMPLITVDINI ET SPLENDORI RESTITVI.* *Atque adeò iam salutari Seruatoris vexillo exercitum suum antecedente, praeclarsora victoria trophea consecutus est. Nam in qua parte istud Crucis vexillum fuit, hostes fugam capere, victores persequi. Qua re intellecta Imperator sicubi partem aliquam sui exercitus languentem cernebat, ibi salutare illud vexillum, tanquam quoddam subsidium, ad victoriam obtinendam locari mandauit. Cuius adiumentis extemplò parta est victoria: quippe dimicantium vires, diuina quadam potentia, fuére admodum confirmatae.* Narrat idem Eusebius *cruciferum* (licebit per te, inauditae eloquentiae architectum, Christiana voce vti) *incolumem* inter hostium tela perstitisse, eum verò qui timore perculsus, Crucem portare recusauit interiisse. Venio iam ad D. August. qui in Christi Ecclesia, morem se Cruce signandi non solùm vsitatum, sed etiam quotidianum fuisse, variis in locis testatur. *Signabar*, inquiens, *iam signo Crucis eius, & condiebar eius sale, iam inde ab vtero matris meae, quae multum sperauit in te.* Et alio loco, *Cùm sub antiquis scelerati crucifigerentur, modò nullus crucifigitur. Honorata est Crux, & finita est: finita est in poena, manet in gloria, à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum.* Et alibi, *Vsque adeò de Cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam Crucem Christi, sed in fronte portem.* Atque vt plurima Augustini de signo Crucis testimonia praeteream, Non negabis, (ni fallor) quod in religiosissima foemina Innocentia virtute huius sacri signi scribit patratum esse miraculum. Cùm enim illa cancro in mammilla laboraret (morbo nullis medicamentis sanabili) vbi se ad Deum solum conuertisset, in somnis admonetur, vt mulieri, quae ei prima è baptisterio egrediens occurrisset, signandũ morbi locũ traderet: Quod cùm illa fecisset, confestim sanitas secuta est.

Idem lib 2. de vita Constan tini. c. 7.

Idem cap. 9. eiusdem lib. 2.

August. lib. 1. confess. c. 11.

Idẽ in Psal. 36. cõcione. 2.

Idẽ in Psal. 141.

Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.

Mulier cancro laborãs signo crucis curatur.

CAPVT XVI.

QVanto autem in honore Theodosius Imperator Crucis signũ habuerit, lex qua vetuit ne humi Crux vlla fieret, dubitare permittit neminem. *Cùm sit*, inquit, *nobis cura diligens per omnia superni numinis religionem tueri, signum saluatoris Christi, nemini liceat vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere, sed quodcunque reperitur tolli, grauissima poena multando eo qui contrarium statutis nostris tentauerit, specialiter imperamus.* Ac ne nobis legẽ hanc obiicias, quasi Theodosius vetuerit, σταυρὸν τίμιον omninò fieri: cum certum sit, eam propterea tãtùm esse latã, ne Crux Chri-

Cod. lib. 1. Tit. 8.

Crux humi non sculpenda.

sti ab hominibus conculcaretur. Tiberius Imperator (qui ante sexcentesimum Christi Domini annum vixit) Iustini in Imperio successor optimus erit Theodosij interpres. Cùm enim in Imperatoriis ædibus obambulans (vt testatur Paulus Diaconus) marmoream tabulam videret in pauimento substratam, Crucis signo ornatam, tolli eam iussit. *Cruce*, inquiens, *Domini nostri frontem nostram & pectora munire debemus, & ecce eam sub pedibus calcamus, Et hoc dicto citius iussit ipsam tabulam auferri, &c.* hactenus de Cruce.

Paulus Diaconus de gestis Roman rum. lib.17. & de gest. longob. li. 3. cap. 6.

Ac ne eam solam & non alias Imagines, veterem Ecclesiam approbasse dicas, adiiciam & pro aliis Imaginibus alia Antiquitatis testimonia, quæ tuam inscitiam penitus redarguent. D. Athanasius in primis grauissimum contra te dicet testimonium, referens historiam de passione Imaginis Domini, quæ in vrbe Beritho accidit, quam Iudæi cùm in quadam Christicolæ cellula prope Synagogam reperissent, iisdem tormentorum generibus affecerunt, quibus à patribus ipsorum Christus Dominus fuerat excarnificatus. Denique cùm lateri Imaginis lanceam admouissent, repentè, dictu, visuque mirabile, sanguis & aqua abunde emanauit. Quo miraculo perterriti Iudæi perfidiam suam primò detestantur, & cùm sanguine eo omnes Synagogę ægros curassent, rem ad loci Episcopum deferunt, qui diligenti de illa inquisitione facta, reperit Nicodemum eius Iconæ sacræ sculptorem, & artificem Gamalieli reliquisse, & fratri Domini Iacobo, & Simeoni, & reliquis Hierosolymitanis Patriarchis sibi succedentibus, quasi singulare pietatis pignus vsque ad Hierosolymorum euersionem derelictam, & cum reliquis rebus Ecclesiasticis in Agrippæ regnum euersionis tempore deportatam, tandem in manus cuiusdam Christiani (qui eam domum ante Iudæum possederat) quasi iure hæreditario peruenisse. Argue Athanasium pro tua modestia, quòd historiam de Imagine Domini Posteritati legendam tradiderit, aut omninò fatere te insigniter esse hallucinatum cùm *Post annos sexcentos à redemptione humana veterem Ecclesiam illos idiotarum libros ignorasse* scriberes. Eusebium præterea tibi obiiciam qui hanc Imaginem Christi Domini oculis suis se conspexisse testatur, quam mulier sanguinis profluuio laborans, pro foribus domus suæ ex fusili ære conflari curauit: In basi autem, qua Imago illa sustentabatur, exortam herbam scribit, quæ cùm ad tactum fimbriæ Seruatoris excreuisset, exiguo haustu epota omnes infirmitates, langoresque depelleret, vnde hoc caput his verbis concludit. *Et nihil mirum si hi qui ex Gentibus crediderant pro beneficiis, quæ à Saluatore fuerant consecuti, huiusmodi velut munus videbantur offerre, cùm videamus etiam nunc Apostolorum Petri & Pauli, & ipsius Saluatoris Imagines designari, tabulásque depingi.* Quid nunc dices Caluini Minister? Audebisne in tua hæresi persistere, & negare nostram esse Antiquitatem? Constantinus Magnus rerum gestarum magnitudine, &

Athanas. lib. de Passione Imaginis Domini.

Ex imaginis crucifixi latere sanguis profluit.

Imago à Nicodemo facta.

Euseb. lib. 7. histor. Eccles. c. 14.

Herbæ fimbriam imaginis Christi tangentis virtus.

Christi Domini, Petri & Pauli imagines ætate Euseb. Cæs. depingebantur.

Christi anæ

Christianæ religionis amplificatione clarissimus Imperator, *Post tuos sexcentos annos*, Orbis gubernacula non tenuit, & tamen, Christianorum Templa Imaginibus exornari curauit, vt testis est grauissimus auctor Damasus Romanus Pontifex, D. Hieronymi æqualis, sic scribens, *Huius, Syluestri Papæ, temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicas, quas & ornauit, Basilicam Constantinianam, vbi posuit dona ista: fastigium argenteum, habens in fronte Saluatorem sedentem in sella quinque pedum, pensantem libras centum viginti, & duodecim Apostolos, cum coronis ex argento purissimo Et Angelos quatuor, ex argento cum gemmis.* Et ibidem. *Super corpus beati Petri, fecit Crucem auream purissimam, sicut & super locum beati Pauli.* Memineris te antea laudasse his verbis Constantinum Magnum.* *Magni illius Constantini pietatem & constantiam veneramur, qui non modò Ethnicorum Deorum templa occludi iussit, Sed & eorundem idola perfringi.* Et si tibi constas, quem antea laudaueras, Idololatrarum principem & antesignanum fuisse dices. Quę enim Damasus eum fecisse scribit, tu nullo argumēto improbare potes. Quid de Apostolis senties? Nū & ipsi Idololatræ fuêre, cùm Imagines Christi Domini & seruorum ipsius pro Idolis erigendas esse perspicuis verbis præceperint mandantes δεῖ τοῦ μὴ πλανᾶσθαι τοὺς σωζομένους εἰς τὰ εἴδωλα, ἀλλ᾽ ἀντεικονίζειν τὴν θεανδρικὴν ἄχραντον χειροποίητον στήλην τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων ἀντικρὺ τῶν εἰδώλων καὶ Ἰουδαίων, id est, *Non debere seruatos circa Idola errare, sed pro eis incontaminatam veri Dei simul & hominis, Saluatorisque nostri Iesu Christi, & seruorum ipsius manibus efformatam Imaginem contra Idola, & Iudæos erigere.* Huic Apostolorum præcepto paruisse Christianos, ex iis quæ scripsit D. Augustinus, de illis qui se Christi Domini libros ad Petrum & Paulum scriptos legisse, & in eis magicā artem descriptam inuenisse mentiebantur, facilè constat. *Cùm vellent* (inquit,) *tale aliquid fingere Christum scripsisse ad Discipulos suos, cogitauerunt, ad quos potissimum scribere potuisse facilè crederetur, tanquàm ad illos, qui ei familiarius adhæsissent: quibus illud quasi secretū dignè committeretur: & occurrit eis Petrus & Paulus. Credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt: quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem passionis diem, celebrius & solenniter Roma commendat.* Ante sexcentesimum ergo à redemptione humana annum, Christi Domini Petrique & Pauli Imagines, à Christianis depingebantur. Ac ne in re nota, & apud omnes, qui Veterum scripta euoluerunt manifesta, longius quàm instituta breuitas patitur progrediar, ad institutam disputationem redibo, vbi te Gregorij magni testimonio, in annorum numero impudenter docuero hallucinatum esse. Ac primùm hoc tuo te gladio iugulabo: *Eccuinam autem de Ecclesia Romana potius credendum est, quàm ei Gregorio, qui & Romanæ Ecclesiæ fuit Episcopus, & meliori etiam seculo vixit?*

Damasus lib. Pontific. in vita Syluest.

Cōstantinus imagines Christi & Apostolorum in tēplo collocauit, & Cruces Aureas super Apostolorum corpora.

* *Pag. 48.*

Synod. Apost. Antioch.

Apostoli præceperunt erigi imagines.

Aug. lib. 1. de cōsensu Euāgelistarum c. 10.

Imagines Petri & Pauli cum imagine Christi depingi solitæ.

Pag. 15.

Agnoscis, vt suspicor, tuam orationem. Nos Gregorij testimonio quid de Imaginibus, Ecclesia Romana ante sexcentesimum Domini annum senserit, controuersiam omnem sedari cupimus. *Quia in locis venerabilibus Sanctorum*, inquit ille, *depingi historias non sine ratione Vetustas admisit, &c.* Gregorium ex hac vita ad Beatorum sedes anno Domini 604. commigrasse historiæ testantur. Explica ergo nobis doctissime euoluendi Minister, quænam fuerit hæc *Vetustas*, quam Gregorius *in locis venerabilibus, vt Sanctorum depingerentur historiæ admisisse asserit.* Expecto à te nouam Arithmeticã, aut, quod propè exciderat, nouam anni correctionem.

Gregor. PP. lib. 9. epist. 9. Gregorius asserit imaginum vetustatem. Ioan Diacon. in vita Gregor.

CAPVT XVII.

MINISTER. pag. 55.

Nondum emerserat contra veræ Ecclesiæ doctrinã cõmentum illud de Idolis, quod nunquam haud dubiè fuisset receptum, nisi Deus ingratis mundi in Euangelij luce furiosè contemnendæ vanitatem, & pervicacium vlciscens, efficacitatem erroris iusto suo iudicio ei influxisset.

CATHOLICVS.

Furiosè minis cum tua *erroris efficacitate quam Deum mundo influxisse* blasphemas, ad Caluinianum morem tonans, Minister. Deus, tuo iudicio, fuit Idololatriæ causa? Non ergo Idololatria peccatum est, cùm Deus peccati auctor, & causa esse nequeat. Nullum porrò probauit Christi Ecclesia, imò neque probare potest, siue de Idolis, siue de re alia commentum, vt tu falsò asseueras.

Minister Deũ auctorem Idololatriæ facit sicut peccati Caluinus. li. 1. Inst. c. 17 §. 5.

MINISTER. pag. 55.

At ne cæcorum hominum concordiam nobis opponitote, in stabiliendo mendacio non modò nullam, sed vehementer quoque detestandam.

CATHOLICVS.

Sexcenti ergo Episcopi (numerum tibi augere visum est, cum tantùm 350. illi secũdo Concilio Niceno interfuerint) *ex omnibus mundi partibus conuocati*, si Caluini Ministro credamus, cæci fuerunt? Tu propterea loquacitate tua nos exagitasti, quòd Caluinum, & Bezam Reipub. Christianæ hostes, in Hæreticis numerandos iudicauerimus; & nunc audes sanctissimos Dei Antistites probris afficere?

Minister Patres cæcos vocat, errãtque in eorũ numero.

De te igitur Ministro, (*qui viuos sempiternis odiis ita prosequeris, vt in mortuis odia non conquiescant*) quid statuendum sit viderint boni, & cordati viri.

Pag. 49.

MINISTER. pag. 55. & 56.

Neque ad illud tempus huiusmodi fuit imaginum illarum reuerentia, quia à bonis Episcopis illæ confringerentur, sed ne picturæ quidem in templis tolerarentur: ex Sereni & Epiphanij exemplis apparet.

CATHOLICVS.

Planè non assequor quodnam tempus intelligas, Minister. Se-

renus Massiliensis Episcopus, Gregorij Magni σύγχρονος, antiquior fuit Concilio Nicæno: & Epiphanius multò fuit, quàm Gregorius vetustior. Vnum verò Serenum suo seculo fuisse, qui confregerit Imagines declarat Gregorius: sic eum redarguens, *Dic frater a quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? si non aliud, vel illud te non debuit reuocare, ne despectis aliis fratribus, solum te sanctum, & esse crederes sapientem?* Tu tamen *à bonis Episcopis imagines confractas esse* scribis. De Epiphanio infrà videbimus. Gregor. PP. lib.9.epist.9. & lib.7.epist. 109.

MINISTER. pag. 56.

Neque verò huiusmodi fuit consensus, quin & Elibertina synodus, & bonorũ Imperatorum, Leonis, Isauri, qui εἰκονομάχος idcirco dictus est, & Constantini Copronymi, filij, populiq; Christiani, pius zelus, impiorum, profligatorumq; Episcoporum insaniam detestaretur. Ex Calu.lib.1 Inst.c.11.§.6.

CATHOLICVS.

Elibertina certè synodus, non potuit Episcoporum, qui concilio Niceno secundo interfuerunt, insaniã detestari, cum illa habita fuerit eodem, quo primum concilium Nicenum seculo, illud verò fuerit coactum anno Domini 789. & Imperatores tui *Leo Isaurus, & Constantinus Copronymus* è viuis iam excesserant. Verùm vt demus te in historia nihil peccasse, responde quibus potius credendum sit, sexcentis vt tu somnias, vt verò res se habet, trecentis quinquaginta, ex variis Christiani orbis prouinciis in Concilium legitimè conuocatis Episcopis, an verò nouendecim Hispanis? Caue ne respondeas κατ᾽ τι. Si tu nouendecim Hispanorum iudicium, in fidei dogmatibus antèponendum summæ Christiani orbis consensioni existimaueris, hominem te iudicij, & ingenij expertem omnes meritò pronuntiabunt. Atque si tu præ concilij Elibertini decreto, Ecclesiæ Christi auctoritatem contemnis, cur non omnia concilij illius decreta, Synagoga vestra probat? Ascribam vnum aut alterum ex Elibertinis decretis, vt postea mihi κατηγορικῶς respondeas, quàm magnam vos illis fidem habeatis. *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios: quod quicunque fecerit, ab honore clericatus exterminetur.* Scio hoc decretum vobis Caluini Ministris non probari. Alterum eiusdem concilij tuo censorio iudicio notabitur decretum, quò definitum est, contra Synagogæ vestræ præscripta, Pentecostes diem religioni esse consecratum. *Prauam institutionem emendari placuit, iuxta auctoritatem Scripturarum, vt cuncti diem Pentecostes celebremus, quod qui non fecerit, quasi nouam hæresim induxisse notetur.* Tu ex huius Concilij decretis quæ vestra errorum portenta probare videntur sacris Scripturis consentanea esse dices: cætera verò tanquam superstitiosa hominum commenta relicies. Hanc fortè accepisti à Beza tuo de rebus omnibus iudicandi παρρησίαν. Euolue mecum Concilij verba, & si iudicio vales, facilè Imagi-

Minister synodum prouincialem Concilio generali antepõnit.

Concil. Elibert.c.33. Clericorum cœlibatus.

Concil. Elibert.c.43. Dies Pentecostes celebrandus.

num vſum Eliberrinos Patres non prohibuiſſe intelliges. Conſtat ex huius Concilij decretis, nondũ in Imperio Romano fuiſſe Chriſtianis, ſine vitæ periculo, ſolemnibus religionis noſtræ cærimoniis Deum colere permiſſum, cùm Cõcilium hoc haberetur. Quare quod vetuerunt Elibertini *ne pictura in templis haberentur*, ſequentia verba explicant: *Ne quod colitur vel adoratur, in parietibus pingatur.* Cuius decreti cauſſa fuit, ne Ethnici, in Chriſtianorũ Imagines in parietibus depictas, cùm non poſſent commodè occultari, illuderent.

Leonis Iſauri impietas.

De reliquo tu nunquam Eccleſiaſticas hiſtorias legiſti, Miniſter, qui *Leonem Iſaurum, & Conſtantinum Copronymum bonos Imperatores* appellas. Conſtat enim illũ impiũ fuiſſe: Ac cùm primùm Imaginibus bellum indixit (vt duobus Iudæis qui eum prædixerant regnaturum gratificaretur) inferni quaſi horrores mortalium oculis conſpecti ſunt. Æſtate enim inter Theram, & Theraſiam inſulas, repentè ex mari vapor quidam tanquam ex fornace ardente emerſit. De tuo autem Copronymo, quàm *bonus* fuerit teſtatur Suidas: Acne mihi mendacium exprobrare poſsis eius verba ſubiungam.

G. Cedrenus in compendio hiſtor.

Suidas in hiſt. verbo Conſtantinus.

Copronymi impuritas, & nomine, & rebus teſtata, quem tamẽ Miniſter commẽdat.

Conſtantinus Imperator Romanorum, Leonis Iconomachi Iſauri filius (Copronymus nomine à ſtercore ſumpto dictus) *fuit. E Leone nata eſt verſuta pardalis, de ſerpentino ſemine aſpis atrox, & ſerpens volaticus, è Dane Antichriſtus. Hic patris imperij & impietatis ſucceſſor, & libidinibus, & dæmonum inuocationibus, & aliis improbis ſtudiis deditus, atquè vacans, eximium inſtrumentum & ſuprà modum opportunum patris ſui, & præceptoris extitit diaboli, &c.* Et paulò pòſt, *Venerem colebat, & humanas hoſtias immolabat vltra vrbem: vbi S. Mauræ ade deſtructa, & in carnificinam mutata, Mauram locum illum dixit, in quo ſacra ille peragebat, & pueros mactabat. Teſtimonio eſt Flauij puer, quem occultè ab eo immolatum Deus patefecit.*

Hi ſunt tui *boni Imperatores*, Miniſter, veſtræ in imaginibus impugnandis perfidiæ propugnatores, qui non tantùm Chriſtianum de Imaginum cultu dogma, ſed & alia multa fidei noſtræ decreta planè euertere ſunt conati: nam vt refert Georgius Cedrenus, hic Copronymus fuit ἀσεβέστατος, καὶ τοῦ ἀντιχρίστου πρόδρομος, καὶ αὐτοῦ βαπτιζόντος ἀφώδευσεν ἐν τῇ ἁγίᾳ κολυμβήθρᾳ &c. Pater autem eius Leo Iſaurus ἀλάστωρ πολλῶν κακῶν αἴτιος δυσσεβής, καὶ θεόμαχος ab eodem appellatur. Sed fortaſsis Suidæ antiqui Auctoris ſententia tibi eſt ſuſpecta, quare vt omnem tibi ęripiam dubitandi de hiſtorię veritate anſam, Laudabo ex illuſtribus heroibus, quorum Idola Beza tuus typis excudi curauit non infimum, vt ex ipſius ſcriptis diſcas, quibus fuerunt tui *boni Imperatores*, moribus præditi. Is erit Sebaſtianus Munſterus, qui ſic primùm de Leone ſcribit, *Leo patria Iſaurus obſcuri nominis, Theodoſium imperio priuans, adeptus eſt ipſe imperium, ſub quo multis cladibus Italia, & catera imperij loca ſunt grauiter afflicta, &c.* Præclaras & Caluiniano patrono dignas ſubiicit idem Munſterus

Vide Platinam in vita Gregor. 3. Pont. Max. Georg. Cedrenus in compedio hiſtoriarum.

Munſterus Coſmographiæ lib. 4.

Munsterus Copronymi tui laudes. *Constantinus*, inquiens, *eius nominis quintus, filius Leonis Imperatoris, paternos imitatus est mores, imò superauit, maleficus, & magicis deditus vanitatibus, nullo scelere abstinens, non Christianus, non Graecus, non Hebraeus erat, sed omnis impietatis mancipium.* Argue illustrem tuum Munsterum, ac Bezam mone, vt ex publicis Sectae vestrae Fastis deleatur Heros hic vester, qui suo testimonio tam apertam contra *bonorum tuorum Imperatorum* probitatem, sententiam edidit. Copronymus maleficus.

MINISTER. pag. 56.

Accessit iusto Dei iudicio, maior quaedam vis per Irenen Constantini matrem: quae vt ab homicida diabolo ad filij perniciem armata est, sic ab eodem mendaci, impuróque spiritu ad idolomaniae furores vehementiùs cumulandos inflammata fuit.

CATHOLICVS.

Proba quod tu temerè sine Auctore effutis Minister, vt tibi fidem habeamus. Quamuis sis nouus Pythagoras, paucissimos inuenies, qui tibi assentiantur. Nulla verò fuit concilij Nicaeni Patribus vis allata, vt constat ex ipsius concilij Decretis, atque ex Epistolis Adriani Summi Pontificis, ad Constantinum, & Irenen: & Tharasij Constantinopolitani Episcopi ad Ioannem Presbyterum praesidem & Anachoretam: si erro, proferantur Veterum testimonia, quibus errorem hunc mihi eripias, & magnas, tibi pro tanto beneficio gratias rependere contendam. Irenen quid postea ad impietatem impulerit, ad praesentem disputationem nihil omninò spectat, cùm fides nostra à mortalis vllius innocentia non pendeat.

CAPVT XVIII.

MINISTER. pag. 56.

QVanam autem & quanta virorum illorum in eo de imaginibus constituendo Decreto sapientia fuerit & iudicium, ex ipsorum sententiis apparet, quorum extare commentarium Dominus voluit, vt quidnam sit, Tradi in sensum reprobum, intelligeretur: quae sanè referre pudet pigétque. Minister in Patres iniuriosus.

CATHOLICVS.

Traditos esse in reprobum sensum illos trecentos, & quinquaginta Patres pro tua singulari in illos reuerentia fingis. Siccine Dei Verbum excidisse putas, *Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego in medio eorum sum?* Siccine Spiritussanctus, *quo inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, factus est Spiritus mendax in ore omnium illorum Patrum, qui illi Concilio interfuerunt? Sed quare nullus Michaeas fuit qui hoc reuelaret vel Irenae ipsi, vel Constantino ipsius filio, vel alicui, vt sibi à Spiritu mendaci cauerent, sicut olim Regi Achab, impuro Idololatrae reuelauerat? Nónne vides Ecclesiae sacrosanctae columnae, & firmamento veritatis minus Deum consulere (si tuis dictis credimus) quàm olim regno Israëli Schismatico, & Idolo

Matt. 18. 20.

2. Pet. 1. 21.

3. Reg. 22. 22. & sequentibus.

Ministri solœcismus.

& Idololatriæ sordibus contaminato prospexerit? Et plus impio Regi Achabo tribuisse, quàm Principibus Christianis Irenæ, & Constantino ab eo gratiæ fuerit concessum. Cæterum an *quæ*, pro *quem*, *quod*, vel *quas* (vt relatiuum rectè cum antecedente conueniat) non dixeris, viderint Grammatici Nemausenses.

MINISTER. pag. 56.

Quid enim illud est, Creauit Deus hominem ad imaginem suam: Ergo habendæ sunt Sanctorum imagines? Mirabilis est Deus in sanctis suis in terra: Sancti igitur sunt adorandi. Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio: Sunt igitur Sanctorum statuæ in altaribus collocandæ. Vt audiuimus ita & vidimus: Deus ergo non solo verbi auditu cognoscitur, sed etiam imaginum aspectu? hæc sunt mysteria, Iesuita vestri illius Verbi non scripti, quibus vel Bacchanalia aut Fescennina lasciuia haud impuriores nugas iactari possent.

Ministri in Patres Nicænæ Synodi petulantia.

CATHOLICVS.

ἐυφιμεῖ quæso, bone Minister: non enim illius concilij Patres vllo Bacchantium æstu perciti, aut Fescéninorum procaci licentia effrenati ita fuerunt, vt eorum dicta vel Bacchanalibus, vel Fescenninis versibus comparare debeas. Quàm vera porrò sint quæ illis attribuis ἐνθυμήματα liquebit, si Dictatoris tui Verba singula diligenter examinauerimus ex quibus tuum hoc ἐκμαγεῖον deprompsisti: Sic igitur Caluinus, *Dixit Ioannes legatus Orientalium, Creauit Deus hominem ad imaginem suam, atque inde collegit habendas igitur esse imagines. Idem commendari nobis putauit Imagines hac sententia: Ostende mihi faciem tuam, quia speciosa est. Alius vt probaret collocandas esse in altaribus hoc testimonium citauit, Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio. Alius vt earum aspectum nobis vtilem monstraret adduxit versum ex Psalmo, Signatum est super nos lumen vultu tui domine. Alius similitudinem hanc arripuit, Sicut Patriarchæ vsi sunt Gentium sacrificiis, ita Christianis habendas esse Sanctorum imagines pro idolis Gentium. Eodem torserunt illud, Domine dilexi decorem domus tuæ. Sed in primis ingeniosa ista interpretatio, vt audiuimus, ita & vidimus, Deum igitur non solo verbi auditu cognosci, sed etiam imaginum aspectu. Simile Theodori Episcopi acumen. Mirabilis, inquit, Deus in sanctis suis. Atqui alibi habetur, Sanctis qui sunt in terra. Ergo ad imagines hoc referri debet.* Hæc Caluinus: quem si mendaciis impudentibus Mundo imponere voluisse docuero, & te quoque ipsius Discipulum vnà mentitum esse, fateri cogêris. Primùm ergo mentitur Caluinus: Non enim Ioannes orientalium legatus sententiam illam Scripturæ *Creauit Deus hominem ad Imaginem suam*, pro Imaginibus adduxit, sed Adrianus Rom. Pontifex, in Epistola Synodica: Qui neque eo, quo vult Caluinus, modo argumentatus est, cùm ratiocinationis ipsius hæc sit vis: Patres ante legem scriptam, sine expresso Dei mandato multa fecerunt, quæ nequaquam illi displicuerunt,

Minister Caluini cōpilator. *Caluin. lib. 1. Inst. c. 11. §. 14.*

Primum Caluini mēdacium. *Genes. 1. 19.*

runt,

runt, vt cùm Adam bestiis nomina imposuit: Abel sacrifi.auit &c. Ergo quæcunque ad honorem Dei spectant, ei quamuis non præcipiantur, displicere non poterunt: Quare & eorum, qui Christi Domini, & Sanctorum Imagines apud se retinent, studium non displicet. Perpende igitur Adriani (quam hactenus non legisti) orationem vt hanc eius esse, quam diximus, sententiam, facilius perspicias. *Factor noster & artifex Dominus Deus, iuxta propriam[a] Imaginem & similitudinem hominem de luto terræ finxit[b], illuminauitq́, in libera potestate sui ipsum constituens. Præterea primus ille homo liberi arbitrij existens, cuncta animantia terræ, & volatilia Cæli, annuente Deo nominibus propriis vocauit[c]. Abel autem ex primitiis ouilis sui, propria voluntate dona Domino Deo obtulit[d]. De quo legimus, Respexit Dominus ad Abel, & ad munera illius. Deinde Noe post Cataclysmum, hoc est diluuium Altare propria voluntate Domino construxit[e], & ex omnibus animalibus & volatilibus pura dona in altare hoc attulit. Similiter etiã Abraham, quemadmodum testatur Scriptura, propria[f] volũtate Aram extruxit in honorem, & gloriam Dei quemadmodum apparuerat. Iacob etiam cùm fugisset à facie fratris sui, vidit per visum Angelos Dei[g], per scalam ascendentes, & descendentes, & Dominum innixum scalæ, ad se loquentem. Postquàm autem surrexisset[h], ex sua voluntate Lapidem in quo caput declinârat, sustulit, & vbi excepisset eum, infudissetq́ oleum super eum, vocauit locum Bethel, dicens: Non est hic aliud, quàm domus Dei. Ob quam sanè causam non legimus illi iratum Deum: Non enim illi exprobrauit, quòd sua voluntate lapidem erexisset. Etenim ô serenissimi filij Principes, & rectè sentientes Imperatores quæcunque in admonitionem hominum ad gloriam Dei spectantia fiunt, Deo displicere nequeunt.*

Adrian 1. Rom. Pon. Ep. ad Const. & Iren. Impp.
a Genes 1.17.
b 2. 7.
Patres multa fecerunt nõ iussi quæ Deo nõ displicuerunt:
c Genes. 2.19. 20.
d Genes. 4.4.
e Genes. 8.20.
f Genes. 12.7.
g Gen 28.12.
h Genes. 28. 18.19.
Imagines in admonitionem hominum fieri possunt ad glorã Dei etiã sine ipsius iussu.

Habes Adriani verba quæ tibi erunt diu multúmque, vt te à mendacio liberes, euoluenda. Alterũ Caluini mendacium, (quod tu silentio præteriisti) ita est apertũ, vt nulla ratione quotquot estis in Gallia Ministri, illud possitis excusare Nusquam enim legitur Ioannem Orientalem Legatum hac sententia, *Ostende mihi faciem tuam quia speciosa est*, Imagines commendasse, nisi Epiphanium pro Ioanne dicere voluerit. Tertio loco mentitur de alio quem, vt *collocandas esse in altaribus imagines probaret hoc testimonium citasse* fingit, *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio*. Cùm nullus Patrum hoc testimonio pro Imaginibus sit vsus. In Epistola quidem Impp. ad Synodum habetur: Ea namque Impp. Episcopos monent, vt pro officij munere quod in Ecclesia Dei sustinent, & doctrina quam sunt consecuti non otiosè desideant, sed omnia sua ad Ecclesiam tranquillandam studia conferant. *Hac est*, inquiunt, *à multis seculis Synodica lex per vniuersam Ecclesiam, quæ à sæculis per sæcula durabit Euangelicè instituta, cuius hortatu & veluti iussu vos sanctos viros Sacerdotes congregauimus, qui esse dispensatores testamenti illius per incruenta sacrificia vocamini, quo rectè sentientium Synodorum determinationi-*

2. Caluini mendaciũ.
3. Mendaciũ.
Epist. Impp. ad Episcopos Conc. Nicæn.

bus iudicium vestrum confirmetur, omnisq́; splendor Spiritussancti reluceat. Nullus siquidem lucernam accendens ponit eam sub modio, iuxta vocem Domini, sed supra candelabrum, vt lumen det omnibus, qui in ædibus sunt, Quod scribit, *alium, vt Imaginum aspectum nobis vtilem monstraret, adduxisse versum ex Psalmo, Signatum est super nos lumen vultus tui,* vellem hunc *alium* nominasset. In Epistola quidem Adriani ad Constantinum & Irenen Impp. scriptum inuenio hoc modo, *Rursus idem* (Psalmorum Cantor) *aduentum & Incarnationem Filij Dei Seruatoris nostri prædicans, magnificè faciem illius iuxta dispensationem illius incarnationis adorandã censet, dicens* [a] *Exquisiuit te facies mea, faciẽ tuam Domine requiram. Iterum* [b] *faciẽ tuã supplicabũt diuites populi:* rursus [c] *Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine.* Si quid habes Minister, in hac Adriani oratione, quod Dei Verbo repugnet, nos quæso, mone, vt de tuo singulari in Veterum scriptis euoluendis artificio, quid sentiendum sit iudicare possimus. Certè verba illa, *Signatum est super nos, &c.* ad sanctissimum illum signandi nos Cruce morẽ refert Hierony. in Psal. 4. in c. 9. Ezech. & in epist. ad Fabiolam. Mentitur etiam Caluinus scribens, *alium similitudinem hanc arripuisse, sicut Patriarchæ vsi sunt Gentium sacrificiis, ita Christianis habendas esse Sanctorum Imagines pro idolis Gentium.* Difficilè est hunc *alium*, cuius nomen non prodidit, reperire. Adscribam tamen Epiphanij viri doctissimi (qui in Concilio Niczno Hæreticorum captiones dissoluit) orationem, vt quàm sit in arte mentiendi eruditus Mystagogus tuus, perspicias. *Sed hi*, de Iconomachis loquitur, *respicientes tantummodo in subiectum ipsum, hoc nomine damnant Ecclesiam, quòd symbola Gentilium figmentorum admittat, non ob id damnata est materia, quòd rerum differentes & contrarios vsus exhibeat: Nam si turpis est, profectò illius vsus reiiciendus est. Porrò si sic tandem oportet omnia intelligere & accipere, nihil obstabit, quin omnia ea, quæ Deo consecrata sunt, damnentur, sacras dico vestes, vasa sacra, & similia: Nam & Gentiles ex auro, & argento Idola fecerunt, & libamina vini ex eodem libauerunt. Item è farina panes militares militiæ cæli, qui apud Hebræos idololatræ fuerunt obtulère. Restat igitur vt clarum fiat, illos iniustè Ecclesiam Catholicam accusare: nam Gentiles historicis libris Deos suos, & Dæmones grandibus encomiis prosequuntur, nos autem quemadmodum illi, non facimus, sed omnium Deum, Sanctosq́; illius, veris demonstrationibus, non ex alienis acceptis, per encomia prædicamus: nos enim homines existentes sensu prediti, ad nostram ignorantiam & recordationem omnis diuinæ & piæ Traditionis, rebus sensibilibus vtimur.* Nihil est quod Caluinus hîc possit meritò reprehendere, cùm nihil sit quod non optimè cum his Augustini verbis conueniat. *Qui* (Faustus) *etiam dicit nihil nos mutasse de moribus Gentium, nesciens quid loquatur. Cùm enim iustus ex fide viuat, finisq́; præcepti sit Charitas,*

Luca 11. 33.

4 Caluini mẽdacium.

Psal. 47. Signatum est super nos lumen &c.

Adrianus in epist. ad Imp.

a *Psal. 26. 8.*

b *Psal. 44. 13.*

c *Psal. 47.*

5. Caluin. mẽdacium.

Conc. Nicen. 2. act. 6. tomo 4.

Quomodo fieri non possit quin signa cum Gentibus similia habeamus.

Aug. contra Faustũ Manich. lib. 20. cap. 23.

Heb. 10. 38.

tas, [b] *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, maneántque ad confirmandam vitam fidelium tria hac fides, spes, charitas,* [c] *vnde fieri potest, vt pares cum aliquo mores habeat, qui hac tria cum illo paria non habet. Qui enim aliud credit, aliud sperat, aliud amat, necesse est vt aliter viuat. Et si vsus quarundam rerum similis nobis videtur esse cum Gentibus, sicut cibi & potus, tectorum, vestimentorum, lauacrorum, & qui ex nostris coniugalem vitam gerunt, vxorum ducendarum, & habendarum, filiorum gignendorum, nutriendorum, hareditandorum. Longè tamen aliter his rebus vtitur qui ad alium finem, vsum earum refert, & aliter qui ex his Deo gratias agit, de quo praua, & falsa non credit. Sicut enim in ipso errore vestro cùm eo pane vescamini quo cateri homines, & fructibus viuatis, & fontibus: lana, & lino similiter texto amiciamini, nec in his tamen parem ducitis vitam, non aliud edendo, aut bibendo, aut induendo, sed aliud sentiendo & credendo, & ad alium finem ista omnia referendo, scilicet vestri erroris, atque vanitatis, ita nos & in his, & in aliis qua similiter sumimus non similiter cum Gentibus viuimus, easdem res non ad eundem finem referendo, sed ad finem legitimi, diuiniq́, pracepti charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Tu cum Fausto Minister fingis *nos nihil de moribus Gentium mutasse,* cùm Christi Domini, & Sanctorum Imagines Gentium Idolis impiè æquas. Pergit rursus Caluinus suo more, quæ in Adriani Epistola scripta sunt aliis tribuere, *Eodem torserunt illud, Domine dilexi decorem domus tua.* Genius ille (quem supra notauimus Caluino familiarem) vt tortuosum hunc scribendi, & fingendi morem sequeretur eum impulit. An verò Dauidis sententia abusus sit Adrianus, tua multiplex euoluendi ars nos docebit. *Salomon,* inquit, *in eo templo, quod Domino adificauit, Cherubin in gloriam Dei fecit, & diuersis coloribus illud adornauit, Quare ergo nō & nos quoque sentientes rectè, confessionem fidei nostra, & speciositatem domus Dei ex diuersis coloribus, & picturis exornabimus? Cùm & Isaias Propheta dicat, In diebus illis erit Altare domini, in medio terra Aegypti, & columna continens fines eius, & erit in signum & testimonium Domino in terra Aegypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem qui liberet eos. Quinetiam Psalmorum cantor Dauid, Hymnum canens dicit, Confessio & pulchritudo coram eo: Iterum Domine dilexi decorem domus tua, & locum tabernaculi gloria tua.* Quid ex hac Adriani oratione expiscari poteris Caluini Minister, à Christiana veritate alienum? Ascribam ex Euthymio germanam orationis illius explanationem quam Nicenos Patres torsisse, fingit Caluinus, *Domine dilexi decorem domus tua: dilexi, atque ideo videre illum rursus desidero. Decorem autem domus; ordinem illum admirabilem Mosaici appellat tabernaculi: nondum enim Templum constructum erat. Et locum tabernaculi gloria tua, Quinimo & ipsum locum amaui in quo tabernaculum gloria fixum est.* Disce obsecro quid

[Margin notes: b 1.Timo.1 5. — c 1.Cor 13,13. — Quæ nobis sint cum Gentibus communia. — In quibus à Gentibus differamus. — 1.Timot.1.5. — 6. Caluini mēdacium. — Adrian. PP. in epist. ad Constant. & Irenen. Impp. — 3.Reg.6.23. — Isa.19.19.20. — Psal.95.6. — Psal.25.8. — Euthym. in Psal.25.]

sit Scripturarum veteris Testamenti sententias de Tabernaculo fœderis scriptas ad Christianorũ Tẽpla accõmodare, & Nicenos Patres in illas *torsisse* scripturas inuenies. Irridet postea eosdem Caluinus. *Sed inprimis*, ait, *ingeniosa ista interpretatio vt audiuimus ita & vidimus, Deum igitur non solo verbi auditu cognosci, sed etiam imaginum aspectu.* Tu optimè es Caluinum imitatus (si is quempiam imitari dicitur, qui alterius, nomine suppresso, decurtatas sententias sibi arrogat.) At vestrum erat Scripturæ testimoniis Epiphanium (cuius sententiam adscribam) confutare. *Videmus*, inquit, *omnes, & intelligimus, quòd & ante sacras sex Synodos, & post has etiam Sanctorum picturæ in Ecclesia traditæ fuerint, non aliter ac sacra Euangelij lectio. Nam quæ leguntur vbi ad aures venerint, ad animum deinde legamus, & transmittimus: Et quæ oculis videmus in picturis, ea quoque mente complectimur, atque ita per duo ista inuicem consequentia, lectionem (inquam) & picturam, vnam cognitionem acquirimus, qua ad recordationem rerum gestarum peruenitur, vnde è duobus illis summis sensibus in Canticis Canticorum inuenire licet efficacem coniunctionem. Sic enim ibi dicitur, Ostende mihi faciem tuam: &, audire fac mihi vocem tuam, vox enim tua suauis, & facies tua speciosa. Quibus & nos conuenienter & illud ex Psalmo accantamus, Quemadmodum audiuimus, ita & vidimus.* Certè non video quid in hac Epiphanij oratione Theologus possit reprehendere, cùm illam Dauidis sententiam ad probandum magnam inter audiendi, & videndi sensus esse cõniunctionem, vsurpauerit. Expecto vberiorem vestræ reprehensionis explicationem, vt certi aliquid vobis respondere valeam. Quod denique Caluinus Theodoro affingit, prius excutiam quàm ad ineptias redeam tuas. *Simile*, ait, *Theodori Episcopi acumen, Mirabilis, inquit, Deus in Sãctis suis. Atqui alibi habetur, Sãctis qui sunt in terra, ergo ad Imagines hoc referri debet.* Mentitur impudẽtissimè Caluinus, Theodorus enim Ierosolymorum Patriarcha cùm multa de Diuorum miraculis disseruisset, adiecit, de illis rectè scriptum esse, *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* De Imaginũ verò vsu his sentẽtiis Scripturarum confirmando ne vna quidem vocula illi excidit, vt ex hac ipsius oratione perspicuum est. *Apostolicas Ecclesiæ Traditiones, quibus veneratio, culturaq; Sanctorum docetur, recipimus, & veneramur: eos autem vt ministros, amicos, & filios Dei existentes honoramus, honor enim qui à conseruis idem sentientibus inuicem exhibetur, indicium est beneuolentiæ erga Dominum. Sunt enim promptuaria Dei & pura Christi habitacula, Spiritusq; sancti immaculata specula. Quin etiam animæ eorum in manu Dei existunt, vt scriptum est.[k] Deus enim vita existens cùm Sancti in Dei manu sint, in vitâ, & lumine necessum est vt existant, & ob id pretiosa in cõspectu Domini mors Sanctorum eius[l]. Hi viuentes in libertate Deo adstiterunt. Seruator noster Christus fontes salutatores Sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles funden*

Marginal notes:

7 Caluini mendacium.

Epiphan. in 2. Concil. Niceno act. 6. tomo 1.

Sanctorum imagines fuerunt ante sex primas Synodos.

Cant. 2. 14.

Psal. 47. 9.

8. Caluini mendacium.

Psal. 67. 36.

Theodorus in 2. Synodo Nicena act. 3. Damasc. lib. 4. de Orthod. fide.

Honor in seruum, signum est beneuolentiæ erga dominum.

k Sapien 3. 1.

l Psal. 115. 15.

les fundentes vnguentum redolentis suauitatis scaturientes, & vt inquit magnus Doctor, cui ab immortalitate nomen est, Martyrum ossa morbos fugant, infirmis medicantur, cæcis visum impartiunt, lepras emundant, tentationes, & mœrores soluunt, atque id per Christum qui in ipsis habitat. Benè etiam Psalmographus cecinit, Mirabilis Deus in Sanctis suis. Et iterum, Sanctis in terra illius mirificas fecit omnes voluntates eius in ipsis. Aggreditur postea Theodorus ad disputationem de Imaginibus, at his duobus (vt dixi) testimoniis, Imaginum cultum probare non est conatus. Si mentior, redargue, si potes.

Athanasium intelligit. Reliquiarũ virtutes admirabiles. *Psal. 67. 36. Psal. 15. 3.*

CAPVT XIX.

MINISTER. pag. 56.

Ecquis verò Colophon pulcherrimo sermoni appositus est? Theodosius Mirensis Episcopus, iurauit Archidiaconum suum somniasse, Imagines esse adorandas.

Min. Theodosium pro Theodoro dicit.

CATHOLICVS.

Temerè (vt coniicere licet) Dictatoris tui Caluini erratum sequeris Minister. Inscitè namque cum ipso Theodosium pro Theodoro substituisti. *Theodosius*, inquit ille, *Mirensis Episcopus adorandas esse imagines Archidiaconi sui somniis, tam seriò confirmat, ac si oraculum cœleste in promptu haberet.* Alterum etiam tibi cum eodem commune mendum est, ex *Diacono* enim *Archidiaconum* facis. Te verò cum Proreta tuo, & hîc falsum esse ipse Theodorus dubitare sinit neminem, cuius hæc est oratio in Niceno Concilio.

Caluin. lib. 1. Inst. c. 11. §. 15.

Cùm aliquando ab aulicis quibusdam iniuria essem affectus, venit ad me Diaconus meus vir pius, & timens Deum, retulitq́; in somnis sibi visum Metropolitanum nostrum, pollicentem negotiis meis expectatum finem, & successum: Ibi mihi inquirenti, qua effigie visus sibi esset Patriarcha, respondit, facie rubicunda, & capite cano: Inquam ego non esse eam Patriarchæ similitudinem, sed D. Nicolai Imaginem, quemadmodum fertur. Respondit tum is mihi me rectè dixisse, Sic enim circumfertur illius Imago passim expressa, quemadmodum mihi in somniis adstitit. Mox itaque confisus sermonibus, in sacram & regiam vrbem profectus, res quæ ad Episcopatum meum pertinebant, ex animi sententia composui. De cultu Imaginum in hac Theodori oratione, ne verbum vnum audis, & tamen non te puduit de Theodosio scribere: *Iurauit Archidiaconum suum somniasse Imagines esse adorandas.* Omnis patris illius oratio eò spectat, vt doceat D. Nicolaum Imagine cognitum fuisse: Antè siquidem narratum erat ex quadam Epistola beati Nili ad Heliodorum Silentiarium, qua ratione Galatæ Senis filium à latronibus Plato martyr eripuisset, ex Imagine ab eo cognitus, in quem tantum beneficium contulerat. Hac ergo historia lecta, *Sancta synodus dixit, demonstratũ est quomodo per præcognitam imaginem Martyris ipsum adeò Martyrem præsentem co-*

Theodorus in 2. Synodo Nicena act. 4.

D. Nicolai Imago passim expressa.

Colophon mendaciorũ Ministri.

Plato Martyr ex Imagine cognoscitur.

gnouit cùm liberaretur, Theodorus Myrorum Episcopus dixit, ego quoquè non multùm dissimilia passus sum. Nam cùm aliquando ab Aulicis &c. Multa sunt alia Caluini mendacia, quæ nescio quo consilio tacitus præteriisti Minister, quæ in tua Responsione (si tamen respondere audes,) vt à nobis refellantur, expecto. Vnum tamē in præsenti discutere statui, non mendacium modò, sed etiam grauem calumniam in Ioannem Orientalium legatum. *Ioannes* (ait) *Legatus Orientalium calore vltrà pronectus, præstare admonet lupanaria omnia in vrbem admitti, quàm imaginum cultum abnegare.* Certè si hoc non est pura calumnia, Quid sit calumniari non video: Vt autē intelligas Synagogam vestram in abrogando Imaginum cultu diabolum imitari, describam ex Concilio Niceno rem, ducentis ante Concilium annis gestam, quam in Prato spiritali Sophronius Ierosolymitanus Episcopus narrat. *Stephanus Monachus acceptum librum legit eiusdem patris nostri Sophronij è Limonario. Dixit Abbas Theodorus Aeliotes, quòd erat quidam inclusus in monte Oliuarum, pugil egregius, oppugnabat eū autem dæmon certationis. Quodam itaq; die cùm vehementer insultaret illi dæmon, senex lamentari cœpit, dixitq; dæmoni, Quousque non relinques me, absiste posthac à me, iam enim mecum consenuisti. Dæmon oculari adspectu videndum illi se tradens, dixit, iura mihi quòd ea quæ tibi dicam, nemini significabis, & non amplius tecum pugnabo. Et iurauit illi senex, per eum qui in altissimis habitat se nemini dicturum. Tum illi dæmon dixit: Imaginem istam, si nolis me tecum luctari, caue amplius adores. Habuit autem Imago figuram Dominæ nostræ Deiparæ Virginis Mariæ gestantem Iesum Christum. Dicit illi inclusus, Apage, res erit mihi curæ. In sequenti autem die rem Abbati Theodoro Aeliotæ, qui tunc habitabat in vico Pharan, significauit, omniáque Patri retulit. Senex autem Pater incluso dixit: Verè Pater delusus es: Dæmoni iurasti, tantùm hoc vnum benè fecisti, quòd confessus es. Cæterùm in quodlibet huius vrbis Lupanar ingredi te præstat, quàm vt Deum, ac Dominum nostrum Christum, vnà cum Matre sua desinas adorare, confirmatóque eo, ac animato pluribus verbis ad proprium locum concessit. Dæmon autem illi iterum apparuit, dixitq;, Quid agis maledicte? nunquid iurasti mihi nemini te dicturum? Quo pacto autem hæc effutiisti? Dico tibi maledice, In die iudicij tanquam periurus condemnaberis. Inclusus respondit, Quod iuraui, iuratus sum, quodquè peieraui noui: verùm Dominū meū, & Creatorem non abiuraui, te verò non audio.* Habes historiam apte concilium Nicenum scriptò à Sophronio mandatam, vt intelligas quàm sit Caluinus insignis mendaciorum architectus. Quid dixerit Ioannes Orientalium legatus, accipe: *Ioannes religiosissimus Monachus, Presbyter, & Vicarius summorum sacerdotum Orientis dixit: Sed & aliud indicant, etiam verba Patris nostri Sophronij, quòd scilicet præstat iurantē peierare, quàm planè iuramentum in destructionē venerandarum*

[Margin notes: *Caluin. lib. 1. Inst. c. 11. § 16* — Caluini impostura. — Caluinistæ Diabolum imitantur in euertendis SS imaginibus. — *Concil. 2. Niceno, Act. 4. Ex Prato spirituali, cap. 45.* — Dæmon dissuadet Imaginis B. Mariæ cultum. — Confessio peccati. — Minus malum est Lupanar ingredi, quàm Deum & diuam virginem nō adorare. — *Concil. 2. Nicen. act. 4.* — Iuramētum iniustū non seruandum.]

darum ima ginum seruare. Quid in hac Ioānis sententia Caluino tantopere displicuit, vt de grauissimo viro impudentissimè mentiretur? *Ambros. lib. 1. offi. c. 50. & lib. 3. c. 12. Isidor. lib. 2. sent. vel de sum. bo no. c. 31. Gratian. 22. q. 4.*

CAPVT XX.

MINISTER. pag. 56.

His maximis illustrissimisq́, rationibus frequens Synodus, referente Episcopo Romano censuit, decreuit, Imagines Sanctorum in templis Christianorum esse collocandas, atque adorandas.

CATHOLICVS.

Mendacia mendaciis cumulas, Minister. Quibus verò rationibus permoti fuerint Nicæni Patres, vt τοὺς εἰκονομάχους impietatis condemnarent, iis, qui Concilij illius decreta legerunt, obscurum esse non potest. Extat præterea *Adriani Papæ ad Carolum Regem de Imaginibus scriptum, quo refutantur illi, qui synodum Nicænam secundam oppugnarunt,* Vt superuacaneam in Concilio amplius defendendo, operam meam esse existimem. Quòd si legisses Concilium Nicenum secundum in Conciliorum tomis, quos Coloniæ Geruuinus Calenius typis mandauit, non tam facilè nobis Adorationis nomen exprobrasses. Describam tibi Monitiunculæ (Auctoris voce vtor) eruditi alicuius viri partem, vt scias quàm temerè reprehendas, quæ non intelligis. *Si te malè habuerit, quòd subinde in hac Synodi huius editione offendes, Adorandi verbum Imaginibus datum, scito proprietatē Græci verbi προσκυνεῖν non potuisse aliter verti: Quanquam ex Sanctorum Patrum in actione Synodi huius tertia & quarta, expositione subinde admonebitur, Adorare, non propriè λατρεύειν significare, sed pro simplici honoris exhibitione sumi, quomodo viros senio & auctoritate graues, nutu capitis & reuerentia excipimus. Item Reges & Principes, flexo genu nonnunquam salutamus, quod & Græci & Latini, Adorare subinde dicunt. Et sacra Scriptura ab hac vsurpatione vocabuli non abhorret.* *In tomo 3. Conciliorum.* Adorare cùm de imaginibus dicitur, quid significet.

MINISTER. pag. 56.

Reuocata sunt Verbi Dei aduersus imagines decreta, Elibertiniq́, Concilij, quo imaginum antiquata fuerant decreta, penitus abrogata: & Anathēmate sunt multati, qui vel id minimè probassent, vel Imperatoribus εἰκονομάχοις operas suas contulissent.

CATHOLICVS.

Nulla in Concilio Niceno fuerunt Verbi Dei reuocata decreta: Auges itaque mendaciorum tuorum nouo mendacio numerum. Quòd si in *Elibertino Concilio antiquata fuerant imaginum decreta,* ergo ante Concilium Elibertinum in Christi Ecclesia de Imaginibus decreta extiterunt: Vnde falsum esse (si tibi vis constare) fateri cogeris, quod paulò antè, ineptè sanè à te vsurpatum est, *post annos sexcentos à redemptione humana per Christum obita, vetus Ecclesia Verbo Dei contenta, illos idiotarum libros ignorabat.* Minister sibi contradicit. pag. 55.

MINI

MINISTER. pag. 56.

Ecquid aliud est rabiosè furere, si hoc non est?

CATHOLICVS.

Tu rabidè nimis in sanctissimos Dei Antistites, Caluiniani furoris virus euomis: *Rabiosé-ne* tibi videntur furere, qui Hæreticorum errores fidei repugnare docuerunt? Memineris autem ex Platone, μανίας δὲ εἴδη, δύο, τὴν μὲν ὑπὸ νοσημάτων ἀνθρωπίνων: τὴν δ' ὑπὸ θείας ἐξαλλαγῆς τῶν εἰωθότων νομίμων γιγνομένην. Priorem quidem tibi relinquimus: posterioris verò Patres fuisse participes confitemur.

Plato in phædro. pag. 255. A.

MINISTER. pag. 56.

Ite igitur, Iesuitæ, & noua quædam miracula senescenti mundo exhibete, augete nouis erroribus deliria, obsoletos & victos errores reuocate: & probatæ imperitæ iuuentuti, Nullo Dei mãdato imaginum vsum Christianis esse interdictum.

Minister signum quærit.

CATHOLICVS.

Γενεὰ πονηρὰ, καὶ μοιχαλὶς, σημεῖον ἐπιζητεῖ, ait Christus Dominus. Si tu verò miraculis, & recentibus, & antiquis crederes, nostram fidem miraculis (vt Augustinus annuit) confirmatam amplecteteris. Quod autem maius miraculum quæris, quàm id quod superius de herba ad fimbriam vsque vestis Imaginis excrescẽte notauimus? Et illud aliud ex Athanasio de ea Crucifixi Imagine, quam Iudæi diris cruciatibus affecerunt? Si plura adhuc quæras miracula, lege Canisium nostrum lib. 5. de B. Virgine c. 22. vbi & noua, & vetera ex probatis Auctoribus recẽsentur. Cęterũ vos ipsi estis qui Manichæorum, Arianorum, Pelagianorum, Donatistarum, & cæterorum id genus monstrorum *victos, & obsoletos errores in orbem reuocastis*, vt & à nobis, & ab aliis frequenter demonstratum est. Postremò iniqua est tua hæc postulatio, *Et probate, &c.* Cùm enim in Thesibus nostris proposuerimus duntaxat, *Pietatis hostes, nullo Dei mandato Imaginum vsum Christianis esse interdictum, docere posse.* Tuum erat Minister, argumentis ex scripto Dei Verbo, & Veteris Ecclesiæ consensu petitis, hoc ipsum improbare: nunc verò vt nos illud probemus, pro tuo arbitratu exigis. Et quoniam ita vis, præter omnes in Scholis traditas hactenus disputandi leges, suo loco ex Scripturæ testimoniis Imaginum vsum Christianis non esse interdictum conuincemus.

Matth. 13. 39. August. cont. epist. funda. cap. 4. Euseb. lib. 7. cap. 14. Athanas. lib. de pass. imaginis Christi.

Minister quod sibi probandum est, vt alij probent, iniquè postulat.

MINISTER. pag. 56. & 57.

Aduersus tam portentosas insanias Mosémne armabimus? An Prophetas excitabimus, Iesaiæ comprimus fulmina torquebimus: aut veteris, & Apostolicæ Ecclesiæ autoritatem afferemus?

CATHOLICVS.

Mosis sanctissimi Legislatoris scripta, & opera, arma nostra sunt, quibus sacras Imagines in templis collocandas asserimus. Isaiæ verò & Prophetarum fulmina nos non terrent, quæ Catholicam fulciunt

contra vestra terriculamenta, doctrinam. Nam si Isaiæ credis, nō negabis signum Christi, id est, Crucem eleuandam, & passim in templis adorandam, cùm ille de Christo teste Apostolo hæc prædixerit: *In die illa erit radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur*: &, *Erit sepulchrum eius gloriosum*. Et paulò pòst: *Eleuabit signum in nationes, & congregabit profugos ex Israel, & dispersos Iuda colliget*. Et alibi: *Hæc dicit Dominus, Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populum exaltabo signum meum*. Quòd si Christi Crucem, eximiam Christi Imaginem, Propheta in Ecclesia Gentibus cōgreganda, eleuandam esse affirmauit, quomodo ille reliquas Imagines, quæ vel Christum, vel Diuos cælites referūt potest (vt ais) suis fulminibus deiicere? Certè eximius vates Dauid, Imagines ex Ecclesia deturbandas, & cōfringendas ab Ecclesiæ persecutoribus nō obscurè prædixit, dicens ועתה פתוחיה יחד בכשיל vegnathah pethuchcha iachad bechaschil: nam quamuis vocem פתוחים Pethuchim lxx. θύρας, id est, *ianuas*, reddiderint, tamen sculpturas etiam, & picturas significare vocem Hebræam perspicuū est, vt & Beza ipse notauit, qui planè vos esse inter Ecclesiæ persecutores (de quibus hic Psalmus apertè agit) hac sua interpretatione demonstrat.

Rom 15. 12. Isa 11 10.12. Signum crucis à Propheta prædictum. *Isa.49.22.* *Psal.73.6.*

MINISTER. pag.57.

Quin potius aduersus stupidam vecordémque hanc insaniam, aut insanam vecordiam, amentémque stuporem, Natura concionetur.

CATHOLICVS.

Ἐπιπεραγωδεῖς Minister, cum Rhetorica tua verborum permutatione, quæ affectatam quandam declamatorum dictionem potius, quàm veram, solidámque oratorum eloquentiam præ se fert Sed, Naturáne contra imagines concionatur, quæ docet & profitetur, fine Imaginibus nihil posse intelligi? Nam quomodo verum erit quod magnus Naturæ Genius Aristoteles scripsit: οὐδέποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος ἡ ψυχή. &, τὰ μὲν οὖν εἴδη τὸ νοητικὸν ἐν τοῖς φαντάσμασι νοεῖ. &, ὅταν ὁ νοῦς θεωρῇ ἀνάγκη ἅμα φαντάσματι θεωρεῖν. Et alio in loco: νοεῖν οὐκ ἔστιν ἄνευ φαντάσματος, & sexcenta huiusmodi, si Natura contra Imagines concionetur? Certè Natura ipsa Imaginum contra vos defensionem suscipit, cùm sine illis nihil percipi & cognosci posse magni sui Interpretis ore proclamat. Imò & tuus ille Platonicus χολωσιαστὴς, initio lib.7. de Repub. pag. 515.a. Huius, inquit, præstātissimæ doctrinæ summam pulcherrima Imagine primùm illustrat speluncæ cuiusdam, vt naturalis hominum ignoratio, quæ non res ipsas, sed rerum εἴδωλα contempletur, oculis nostris subiiciatur.

Natura imaginibus indiget. *Arist. lib.3. de anima. 9. tex. Comment. 38. & 39. & lib. de memoria & reminiscentia. cap.1.*

MINISTER. pag.57.

Verbum enim Dei iubet hac nos discere à mundi fundamentis, & ita disputauit Apostolus aduersus Athenienses. Act.17.

CATHOLICVS.

Caluin.lib. 1. Inst.c.11.§.4. Ex Caluini Scriptis tuæ inscitiæ intelligentiam petere cogimur. *Pungat nos* (inquit ille) *imò transfodiat obiurgatio Prophetæ, nimium esse vecordes, qui ex eodem ligno se calefaciunt, furnum accendunt coquẽdo panẽ, assant carnem, vel elixant. Deúmque fabricant, corã quo supplices ad precandũ se prosternunt. Itaque alibi nõ tantũ ex lege reos peragit, sed exprobrat quòd ex fundamentis terræ non didicerint: quando scilicet nihil minus consentaneum, quàm velle Deum qui immensus est, ac incomprehensibilis, redigere ad quinque pedum mensurã.* Ex Caluini verbis (cuius doctrinam tu tibi arrogas) habes quę nugarum tuarum fundamentum conuellunt.. Nomina Catholicum, qui Dei infinitum numen *ad quinque pedum mensuram redegerit.* Quæ verò disputauit Apostolus Act. 17. silentio (ne fraus tua detegeretur) prætermisisti: Quamobrem illa sic perficio, *non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinum esse simile.* Hæc est, vt tu Minister existimas, Apostoli disputatio, quam nobis aduersari fingis. Certè nemo nostrum est, tam rudis, vt vlla Imagine Diuinitatem exprimi posse credat: At tibi, Caluini, verborum Apostoli explicationem obiiciam. *Vbi,* inquit, *cum Erasmo nos vertimus Numen, Lucas τὸ θεῖον in neutro genere posuit, pro diuinitate scilicet, cùm Paulus Deum similem esse negat auro, vel argento, vel lapidi, & deinde subiicit sculpturæ artis vel inuentionis humanæ, excludit materiam & formam; & simul damnat quæuis hominum figmenta, quæ veram Dei naturam deformant.* Parum es in Præceptoris tui Doctrina versatus, qui Apostoli disputationem Christianæ veritati opponis; sed te fefellit Caluinus qui eadem Pauli verba exponens, conuitiis Catholicos obruere conatus est, quos argumentis debellare non potuit: Ac furtum te fecisse, cùm disputationem hanc nobis obiiceres, Caluinus tuus locupletissimus testis erit dicens; *Ratiocinatur Paulus, Genus quum simus Dei, non existimandum auro, & argento, aut lapidi arte sculpto aut inuento hominis diuinum esse simile. Vnde constat quicquid statuarum erigitur, vel Imaginum pingitur ad Deum figurandum simpliciter, ei displicere, ceu quædam maiestatis suæ dedecora.* Quid opus fuit Caluini verba mutare vt tuam compilationem dissimulares? Stipes planè es & bardus, si Præceptoris somnia nobis incognita esse existimas. Nemo est nostrûm, qui Diuinitatem vlla figura exprimere, vt iam dixi, conatur, quare: *dedecora Caluini* tibi reserua, quibus *Copronymi tui boni Imperatoris* fæditatem obtegere possis.

Act.17.29.

Caluin in c. 17. act. §. 29.

Idem Caluin. lib.1.Instit. cap.11. §.2.

CAPVT XXI.

MINISTER. pag. 57.

CLamat Varro, Qui primi Deorum simulacra induxerunt, eos & metum dempsisse, & errorem addidisse.

CATHO

CATHOLICVS.

Tu omnem Caluini Doctrinam magno artificio compilare studes: Nam quæ ille sciunxit tu conglutinas, Minister! Et quæ ille coniunxit, tu (ne furtum tuum à quoquam deprehendatur) separas. Sic igitur Caluinus: *In primis memorabile quod ex Varrone alibi citat Augustinus suáque subscriptione confirmat. Qui primi Deorum simulachra induxerunt, eos & metum dempsisse, & errorem addidisse.* Clama quantum voles, contra *Deorum simulachra*, quæ nos omnes Christiani (vt toties diximus) detestamur. Armabis fortasse Mosem contra Christi Ecclesiam Varronis clamore. Sed heus tu? Quænam est ista tam repentina μεταμόρφωσις, vt pro Mose, Varronem: & Horatiū pro Isaiæ nobis obtrudas? Hoccine est solo Dei Verbo scripto pugnare? Ca'uin. lib. 1. Inst. c. 11 §. 6. August. de Ciuit. lib. 4. ca. 9. & 31. Minister pro Dei verbo profanorum sententias profert.

MINISTER. pag. 57.

Et ludit Poeta:

Olim truncus eram ficulnus, & inutile lignum,
Quum faber incertus scamnum, faceretne Priapum,
Maluit esse Deum.

CATHOLICVS.

Si olim tota theatra reclamabant, cùm versus vna syllaba longior aut breuior pronuntiabatur, vt scribit M. Tullius, quomodo tu ἄμουσε, sibilis omnium non exploderèris, qui primùm Poëtæ versum ita produxisti? Rectius itaque Caluinus, & verecundius. *Illustrissima est*, inquit, *Profani illius Poetæ subsannatio.* In paradox.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum
Quum faber, incertus scamnum faceretne &c.
Maluit esse Deum. Caluin. lib. 1. Inst. c. 11. §. 4. Horat. 1. sermon. Satyr. 8.

Te plurimum in modestiæ studio profecisse sentio, cùm simulachrū turpitudinis, quod Caluinus, homo virginalis verecundiæ, silentio inuoluit, tu κωμῳδητικῶς in modesta tua Responsione nominate non erubueris. Poëtæ ludus οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, quibus nihil est cum hoc impuritatis monstro commercij. Neque enim profanorum hominum dicta aduersus veritatem Christianam proferre debes, sed si tibi cōtra Gentiles res esset τοῖς ἑλλήνων ἐπὶ τοὺς ἕλληνας χρῆσθαι, vt ait magnus Dionysius, facilè posses. Minister. ἀσχημονεῖ. Dionys. epist. 7.

MINISTER. pag. 57.

Plato autem è benè morata Ciuitate eos exterminat, qui his commentis Dei immutabilis naturam peruerterent.

CATHOLICVS.

Ergo tibi Platonis Respub. (in qua vxores, liberósque communes esse debere sentiebat) benè morata est Minister. Certè Io. Serranus tuus, vel quisquis ille sit χολικὸς Platonicus, reclamabit, qui hanc ἀκοινώνητον κοινωνίαν, *Protentosam insaniam, & Chimeras generi humano exitiosas*, detestatur lib. 5. de Repub. pag. 457. C. Et in Timæo 12. E. *Propter hos grauissimos naeuos phantasticam Rempub.* appellat. Apage Resp. Platonis bene morata non est propter vxorum communitatem.

igitur tam monstrosas Chimæras à generis humani societate. Quid enim hoc est aliud, nisi hæresim Nicolai restaurare velle, quam Apostolorum tempore Ecclesia damnauit: cuique Natura ipsa τῷ διόμενον aduersatur? Cæterùm apud Platonem nunquàm legi eos ab eius ciuitate exterminari, qui Deorum Imagines pingunt: Imò verò eas in templis collocandas decernit lib.11.de legibus pag.230.e. Item lib. 12.pag.956.a. Repudiat quidem lib.de Rep.3.Poëtarum de Diis obscœna commenta, quæ quorsum iam attuleris, non video. Nosne Iouis cum Iunone, aut Martis cum Venere turpitudines prædicamus, vel tale quid in Sanctorum repræsentamus Imaginibus, vt Iuuentutis mores corrumpantur? Certè concilium Trident. tam prudenter omnia quæ in Imaginibus pias animas possunt offendere, suo decreto exterminauit, vt Christiana Respubl benè morata verè censeri debeat, illis sacrosanctis documentis ritè obediens. Quæ quoniam fortè legere in libro Cõciliorum tibi religio est, ea hoc in loco referam. *In has autem sanctas & salutares obseruationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit, ita vt nullæ falsi dogmatis Imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, statuantur. Quòd si aliquando historias, & narrationes sacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus, non propterà diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus: aut figuris exprimi posiit. Omnis porrò superstitio in Sanctorum inuocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginũ sacro vsu tollatur: omnis turpis quæstus eliminetur: omnis denique lasciuia vitetur: ita vt procaci venustate Imagines non pingantur, nec ornentur.* Vidésne nos non debere discere ἀπὸ τῶν ἐθνῶν quæ nos in Imaginibus vitare necessarium sit, cùm domi nostræ satis, superque, vnde discamus, suppetant?

Apoc. 2. 6.

Plato lib 3. de Republic. pag. 390.b.

Conc. Trident. Sess 25.

De imaginibus decretum.

MINISTER. pag. 57.

Numa etiam ille vester (è cuius panibus azymis quos in sacrificio altaris offerebat, Missæ vestræ panes repetitis, vt Ecclesiæ Romanæ antiquitatem à maioribus suis demonstretis) noluit imagines in Deorũ templis collocari: fieri non posse ratus, vt inconspicabilis Dei natura, con spicabili imagine repræsentaretur: & infiniti, certis locorum cancellis finiretur, atque contineretur.

Ministri impudens vanitas.

CATHOLICVS.

Verè illud à Chrysippo dictum est, teste Plutarcho, *Cæca ira est, nec finit cernere quæ apertissima sunt, & percepta sæpe obscurat.* Num bona fide quæso dicis, nos ex impio, profanóque Numa, azymorum panum vsum in Sacrificio accepisse? Túne ignoras azymis panibus in Agni Paschalis esu Iudæos vsos, quorum religio, & Leges non tantùm Numæ regnum, sed & Troiæ tempora præcesserunt? Ab his Numa Pompilius in sacrificio Altaris (si verum est quod dicis) azymorum panum vsum est mutuatus. Audi Tertullianum in lib. de Præscrip.

Azymi panes ante Numam.

Præſcript.hæc quæ dico aſſerentem: *Cæterum ſi Numa Pompily ſuperſtitiones reuoluamus, ſi Sacerdotalia officia inſignia, & priuilegia, ſi ſacrificantia miniſteria, & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum, ac piaculorum, ac votorum curioſitates conſideremus, non-ne manifeſtè Diabolus moroſitatem illam Iudaæ imitatus eſt?* Noſter igitur Numa non eſt, cuius Sacra tres & triginta Rom. Pontifices, cum ſui capitis abſciſsione, vrbe Roma exterminarunt. Nequè à Numa Eccleſiæ noſtræ ritus accepimus, ſed ad Chriſtum Dominum Dei filium, Chriſtianam, quam tuemur veritatem, referimus. Cùm enim lege Moſaica præceptum fuiſſet, vt in Paſchali cœna azymi panes comederentur, Chriſtus Dominus in ſacroſancti Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutione, hoc panis genere vti voluit: Quam eius obſeruationem Eccleſia (præſertim Latina) omni ſtudio & diligentia retinet. Non exiſtimamus tamen eam eſſe azymi panis neceſsitatem, vt ſi panis huiuſmodi non fuerit, Euchariſtię ſacramentum non poſſit exiſtere. Licet porrò nemini priuata ſua auctoritate, Eccleſiæ cui aſcriptus eſt, ritum mutare: parendum eſt enim Maiorum noſtrorum ſalutaribus inſtitutis. A te verò diſcerem libenter, vtrum à Numa Pompilio Gebennenſes veſtri, Caluini *Cœnæ panes repetant (vt Synagogæ ſuæ antiquitatem demonſtrent)* cùm eam non ἐν ἄρτῳ ζυμίτῃ, ἀλλ' ἐν ἀζύμῳ conficiant, vt ſcribit inter alios Matthæus Launoyus. Prætereà, eſto quòd Numa in *Deorum templis* imagines collocari prohibuerit. Quid inde? An propterea Chriſti, & Sanctorum eius Imagines in Chriſtianorum templis collocari non debent? Nullæ certè ſunt apud nos Deorum Imagines, cùm vnum tantùm eſſe profiteamur, cuius immenſa natura, nulla poteſt Imagine exprimi.

Tertull. de præſcript. aduerſus Hæret.

Exod. 12. Azymo pane Eccleſia, præſertim latina vtitur.

Caluiniſtæ Azymis vtuntur. *Matth. Launoy. lib. 1. refutat. Caluinianarũ poſition. c. 7.*

MINISTER. pag. 57.

Et lex priſca erat Aegyptiorum, quæ ſtatuas Deorum profligabat, quod μεγαλειότερον τῶν ξοάνων ait Laertius.

CATHOLICVS.

Millies tibi eandem cogimur repetere ſententiam, Chriſtianos, omnes Deorum ſtatuas deteſtari: Et quamuis *Lex Priſca Aegyptiorum Deorum ſtatuas profligarit*, tamen ſi Caluino fidem habes, *nullum propè animal fuit, quod Aegyptiis non eſſet Dei figura.* Quod certè prius non tantùm à Prophetis, ſed etiam à profanis Auctoribus Aegypto, vitio datum eſt, Ita vt in eam ſic inuehatur Satyricus,

Quis neſcit Voluſi Bithynice qualia demens
Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat.
Pars hæc, illa pauet ſaturam ſerpentibus Ibim.
Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci,
Illic cæruleos hîc, piſcem fluminis: illic
Oppida tota canem venerantur: nemo Dianam,
Porrum, & cepe nefas violare, & frangere morſu.

Caluin. lib. 1. Inſt. c. 11. § 1. Ægyptus Idolis abundans.

Iuuenal. Satyr 15. ſtatim initio. Pierius lib. 29. hierogl. ſcribit Ægyptios coluiſſe Deum ſub Crocodili imagine quòd ſolus ſit elinguis &c.

O ſanctas gentes, quibus hæc naſcantur in hortis
Numina &c.

Cic. Tuſcul. q. 5. & li. 1. & 3. de nat. Deor.

Ita etiam Cicero Tuſculana quinta, & primo de natura Deorum libro ſcribit, Aegyptios Canem, Felem, Ibim, Aſpidem, & Crocodilum violare, ſummæ religioni ducere. Tertiò item libro de natura Deorum, Omne ferè genus beſtiarum Aegyptios conſecrauiſſe aſſerit. Quomodo iſta conciliabis cum priſca illa, quam dicis, Aegyptiorum de ſtatuis Deorum profligandis lege? Quàm verè autem tu ex Diogene Laërtio, *Aegyptios ſtatuas Deorum lege lata profligaſſe* dixeris, oſtendam ex ipſius Auctoris verbis, quæ quidem tibi, ſi non impoſtoris, ſaltem negligentiſsimi Diogenis lectoris nomē imponent: Τὴν δὲ τῶν Αἰγυπτίων φιλοσοφίαν εἶναι τοιαύτην περί τε θεῶν, καὶ ὑπὲρ δικαιοσύνης. Φάσκειν μὲν ἀρχὴν εἶναι τὴν ὕλην, εἶτα τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακριθῆναι, καὶ ζῷα τινὰ ἀποτελεσθῆναι, θεὺς δὲ εἶναι ἥλιον, καὶ σελήνην· τὸν μὲν Ὄσιριν, τὴν δὲ Ἶσιν καλουμένην, αἰνίττεσθαί τε αὐτὺς διά τε κανθάρου, καὶ δράκοντος, καὶ ἱέρακος, καὶ ἄλλων: ὥς φησι Μανέθως ἐν τῇ τῶν φυσικῶν ἐπιτομῇ, καὶ Ἑκαταῖος ἐν τῇ πρώτῃ περὶ τῆς Αἰγυπτίων φιλοσοφίας, κατασκευάζειν δὲ ἀγάλματα, καὶ τεμένη, τὸ μὴ εἰδέναι τὴν τοῦ θεοῦ μορφήν. Non intelligis Laërtiū dicere Aegyptios fabricare, conſtruere, ſeu ædificare ſtatuas, & delubra, quòd neſciant Dei figuram, & ſpeciem? Sed fefellit te memoria: paulò antè idem dixerat: τοὺς δὲ μάγους περί τε θεραπείας θεῶν διατρίβειν καὶ θυσίας, καὶ εὐχάς, ὡς αὐτοὺς μόνους ἀκουομένους, ἀποφαίνεσθαί τε, περί τε οὐσίας θεῶν καὶ γενέσεως, ὡς καὶ πῦρ εἶναι καὶ γῆν, καὶ ὕδωρ τῶν δὲ ξοάνων καταγινώσκειν, καὶ μάλιστα τῶν λεγόντων ἄρρενας εἶναι θεοὺς καὶ θηλείας. Perſæ igitur Magi fuerunt, non Aegyptij, qui Statuas condemnarunt: & quidem non omnes, ſed populorum maximè, qui Deos fœminas, & mares eſſe dicebant. Hic etiam in verbo te turpiter hallucinatum vides: Non enim dixit Laërtius μεταγινώσκειν, ſed καταγινώσκειν. Cùm igitur deinceps ex aliquo Auctore nobis quippiam obiicies, id diligentius (ſi honori tuo cupis eſſe conſultum) perlegito, & attentius, ſi ſapias, conſiderato.

Diog. Laert. in medio proœm. lib. 1. de vit. Philoſ.

Miniſter pro Perſis Ægyptios dixit. ſicut μεταγινώσκειν pro καταγινώσκειν.

MINISTER. pag. 57.

Veſtróſne tacebimus? Gerſon ille nominatiſsimus Pariſina Academia Cancellarius, quem fortaſſe Hereticum non appellabitis, in ipſo Concilio Conſtantienſi, vbi aderat, Concione de ſignis ruina Eccleſia, ac defectuoſo Eccleſiaſticorum regimine, in eodem Cōcilio habita, & in declaratione defectuū virorū Eccleſiaſticorum, ita diſertè loquitur defectu 77. Iudicate, inquit, ſi tanta Imaginum, & Picturarum in Eccleſiis varietas expediat, & an plures ſimplices nonnunquam ad Idololatriam peruertant.

Miniſter errat in numero defectuum, ſunt enim tantùm 75.

CATHOLICVS.

Admirabilis tua dicēdi copia mihi riſum mouet *In ipſo* (ais) *Concilio Conſtantienſi vbi aderat, in eodem cōcilio ita loquitur, inquit.* Non improbat Gerſon Imaginum vſum, ſed tantùm Eccleſiæ magiſtratus monet:

Miniſtri βαττολογία.

monet: vt diligenter perpendant, *an tanta Imaginum, & picturarum in Ecclesiis varietas expediat*. Conclude ex his verbis Gersonem vestræ de tollendis ex templis Christianorum Imaginibus superstitioni esse patrocinatum. Quod si Simplices, ex Imaginum cōspectu nonnunquam à vera religione ad Idololatriam deflectant non in Imagines est coniicienda culpa, sed in hominum socordiam, quibus ex officio docere populum incumbit. Quid? Non legisti Ouidianum illud, Si populus ex vera pictate in super stitionem labatur, Doctoris est culpa.

Nil prodest quod non lædere possit idem.
Igne quid vtilius? si quis tamen vrere tecta. *Ouid. lib. 2. de trist. in medio.*
Comparat, audaces instruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat medicina salutem:
Quæque iuuet, monstrat quæque sit herba nocens,
Et latro, & cautus præcingitur ense viator:
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.
Discitur innocuas vt agat facundia causas
Protegit hæc sontes, immeritósque premit.

Ex librorum sacrorum lectione plurimos in hæreses esse delapsos res est nota, atque apud omnes peruulgata, & tamen insanus esset qui propterea Scripturam sacram è medio remouendam iudicaret. Imò vos Caluiniani quibusuis etiam, de infima plebe hominibus? Scripturas legendas proponitis, quasi sine illarum lectione nullus Christianus esse posita. *Tertull. de præscript. aduersus Hæret.* *a Beza in confess. fidei cap. 4. art. 17.*

MINISTER. pag. 57.

Personam, tempus, & Idololatriæ nomen expendite.

CATHOLICVS.

Idololatriæ voce vsus est Gerson, ergo Imaginum cultores, idololatras appellauit, hoc est (vt suspicor) argumentum quod instituere cupis. Cæterum ipse & cum Christi Ecclesia sensit, & si errorum vestrorum patronus existeret, de fidei nostræ firmitate nihil planè detractum iudicarem. Deum agnoscimus Christianæ religionis auctorem: Itaque insanus esset, qui in hominis vnius sententia, contra Christianorum omnium consensionem conquiesceret. Si porrò Gersonem totius controuersiæ iudicem feceris, causa sine dubio cades. Nam is, Imagines Christianis esse vetitas constanter negat, *Non simpliciter*, inquit, *prohibentur omnino fieri Imagines. Vnde Beda, Imagines fieri nulla littera diuina vetuit: harum etenim aspectus multum compunctionis solet præstare contuentibus, & eis qui litteras ignorant, quasi viuam de Christi passione exhibent recordationem: Salomon enim instinctu diuino eas fecit in Templo Dei.* *Gerson in exposit. primi præcepti.*

MINISTER. pag. 57.

Quid igitur? Erimus scilicet pietatis hostes, qui monstrosa impietatis absurdissimos errores ex Verbo Dei demonstrauerimus; & ex Ecclesia Catholica sustulerimus.

CATHO

poſtmodum ne tu potius εἰδωλοποιὸς dicaris, cùm ſis nouorum dogmatum (quæ Idola Doctores ſacti vocant, vt iam iam docebimus) aſſertor, & propugnator; Simúlque proſpice ne meritò voceris ab Apoſtolo πλεονέκτης ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, cùm &c.

MINISTER. pag. 57.

Quicquid tamen ex Verbo non ſcripto magnificè proferatis, manebit ſempiternum decretum Verbi ſcripti, Cauete vobis ab Idolis à quibus, piæ animæ, quantùm ſaluti ſuæ conſultum cupiunt, omni ſtudio & cura cauebunt.

CATHOLICVS.

Eandem frequenter occinis cantilenam Miniſter; Tu magnus Iuriſconſultus, ſcilicet, aliis caues, cùm tibiipſi proſpicere non poſſis. Omnes Hæretici (quamuis Idola contemnere verbo profiteantur) ſunt Idolorũ cultores ſuperſtitioſiſsimi. Hinc B. Hieronymus, *Omnes Hæretici & doctrina contraria veritati, quæ aſſumit verba Prophetarũ: & teſtimoniis diuinæ ſcripturæ abutitur ad ſenſum ſuũ, & dat bibere his quos decipit, & cũ quibus fornicata eſt, tollat vaſa templi Dei, & inebrietur in eis, & non Deum (cuius vaſa ſunt) ſed Deos laudet aureos, & argenteos, & æneos, & ferreos, ligneoſq́, & lapideos. Aurei mihi videntur hi qui ſeculari ratione compoſiti ſunt. Argentei, qui habent eloquij venuſtatem, & Rhetorica arte constructi ſunt: Qui autem inſerunt fabulas Poëtarum, & vetuſtis vtuntur traditionibus, habentes inter ſe multam vel elegãtiæ, vel ſtultitiæ differentiam, iſti vocantur ænei, & ferrei; Qui autem penitus inepta proponunt, lignei appellantur, & lapides, quos omnes in duas partes Deuteronomium, diuidit ſcribẽs, Maledictus qui facit ſculptile, & conflatile opus manuum artificis, & ponit illud in abſcondito. Abſcondunt enim omnes Hæretici, & operiunt mendaciorum ſuorũ dogmata, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Quis ſis tu Miniſter, an ξυλινὸς εἰδωλοποιὸς, ἢ λίθινος, ἢ σιδηροῦς, ἢ χαλκοῦς, qui ſcripta tua legerint, iudicent. Audi rurſus eundẽ Hieronymum Idola hæreſes nominantem. *Hæretici non habent diuitias de paterna hæreditate venientes, ſed quotidie quod colant reperiunt, & Idola ſibi artificis manu, & curioſa mente confingunt.* Item alibi, *Singuli hæreticorum habent Deos ſuos, & quodcunque ſimulauerint, quaſi ſculptile colunt, atque conflatile.* Item alio loco, *Sicut Idola ſunt manu artificis, ita Hæreticorum peruerſa doctrina, quodcunque ſimulauerit vertit in Idolum, & facit pro Christo adorari Antichriſtũ.* & D. Hieronymo antiquior Tertullianus, Hæreticos in Idololatris numerat, *Sicut nationes,* ſcribens, *manibus, ita ipſi Hæretici verbis Idola fabricantur, id eſt alium Deum, & alium Chriſtum.* Certè vos Caluiniani πολυθεΐαν inducitis, cùm Caluini & Bezæ αὐτουσίαν recipientes, Dei Filium à ſe, & non à Patre naturam diuinam habere fingitis: Spiritum Sanctum item à Patre & Filio eandem accipere naturam impiè negatis. Idem præterea eandem ſententiam confirmat

Hieron. in c. 5 Daniel. Omnes Hæretici ſunt Idololatræ.

Abutuntur ſcriptura.

Hæreticorũ Dij aurei, Argentei, Æneí, & ferrei. Lignei & lapidei.

Deut. 27. 15.

Hæretici Idola ſua abſcondunt. *Pſal. 10. 2.*

An Miniſter ſit ligneus aut lapideus. &c.

Hieron. in c. 1. Michae. Hæreſes ſunt Idola.

Idem in cap. 11. Oſeæ.

Idem in cap. 13. Zachariæ.

Tertul. aduerſus Praxean. Hæretici εἰδωλολάτραι

Caluiniſtæ plures Deos cõminiſcuntur.

Idem de præscript. aduersus Hæret.
Hæreses omnes sunt à Diabolo.
August. in Psal. 80.
Hæretici Idola sua in corde posue runt.

his verbis, *Neque à Diabolo immissa esse spiritalia nequitia, ex quibus etiam Hæreses veniunt, dubitare quis debet: neque ab Idololatria distare hæreses, cùm & Auctoris & operis eiusdē sint, cuius & Idololatria Deum aut fingunt alium aduersus Creatorem, aut si vnicum Creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quàm in vero est. Ita omne mendacium de Deo, variatio quodammodo sexus est Idololatria*: His tanquā colophonem hanc Augustini sententiam adiungo: *Multi hæretici cū paganis alios, & alios Deos ipsi finxerunt, alios & alios Deos sibi ipsi fecerunt, & eos etiamsi non in templis, tamen quod est peius, in suo corde posuerunt, & falsorum, ridendorúmque simulachrorum, templa ipsi facti sunt. Magnum opus est intus hæc Idola frangere, & locum Deo viuenti, non recenti mundare.* A vestræ igitur Sectæ portentis, quæ mera sunt Idola, *piæ animæ, quantum saluti suæ consultum cupiunt, omni cura & studio cauebunt.*

CAPVT XXII.

MINISTER. pag. 58.

AN *pictura planè sit repudianda, déque legitimo illius vsu.*

CATHOLICVS.

Qui anteà Imaginem, & Idolum rem eandem esse plane asseuerasti, nunc tandem nouam instituis de *pictura an sit planè repudianda*, disputationem. Noua est hæc differendi ratio de re iam constituta, & firmissimis, vt existimas, Verbi Dei testimoniis confirmata, controuersiam constituere.

MINISTER. pag. 58.

Restat illa aduersus Bezam grauissima ἀντιταγωγή vestra: quòd ex illius, imaginum alioqui vestrarum infensissimi hostis, ore, earum patrocinium defensionémque instituatis.

CATHOLICVS.

Nos Bezæ *Patrocinio & defensione* non egemus, Minister, de cuius studio in consceleratorum hominum Imaginibus typis mandandis, quæ in Thesi scripta fuerunt eò maximè spectabant, vt hominum de grege vestro errorem corrigerent: Christi enim Domini, & Diuorum Imagines exterminare vultis, Lutheri verò, Zuinglij, Caluini, Knoxij ac aliorum Idola in summo apud omnes honore esse procuratis. Si hoc est *ex Beza ore imaginum patrociniū defensionémque instituere*, non pugnabo quin & ipse Beza sit nobiscum Imaginum patronus. Sin autem nullum honorē Bezanis Imaginibus Synagogam vestram deferre affirmaueris, cur, quæso, tanta cura in buxum incisæ sunt? cur in conclauibus vestris tam diligenter asseruātur? Cur Christi sacræ Imagini in ædibus vestris nihil loci relinquitis? Responsionem ad hæc singula ἀκριβῶς expecto.

MINISTER. pag. 58.

Magna profectò industria est, ex ipsius aduersarij verbis aduersarium conuincere.

CATHO

CATHOLICVS.

Nullius sanè est industriæ suo aduersarium gladio conficere, quando ira is est incautus, vt gladium ad se se interficiendum hosti porrigat. Hoc Bezam fecisse nullus ambigit, cùm vestræ Sectæ Antesignanorum Iconas (seu, vt tu vis, Idola) elegantibus formis expressa euulgauit. Quod sanè dum fecit, non intellexit se planè conuellere hanc iuris regulam: *Non licet actori, quod reo non permittitur:* cùm ille, qui nos de Idolis reos agit, sibi Idola exprimere, & ea orbi venditare procuret. *D. de regul. iuris. l. non licet.*

MINISTER. pag. 58.

Quomodo verò id colligitis? Illustrium virorum Iconas, id est, imagines Beza scripsit, & promulgauit.

CATHOLICVS.

Nósne ita colligimus? Miramur tuam proiectam & effrenatam mentiendi cupiditatem, vt non puduerit te in re aperta tam impudenter mentiri. De *scriptione Imaginum*, ne verbum vnum in Thesibus nostris legisti. Ac paucos inuenies, qui siue Bezam siue alium quemuis *Imagines scripsisse* asserant. Nimiùm fidis Dictionariis: mendum quod in Plinij libro irrepserat te forsan fefellit. Noli quæso nobis Logices inscitiam affingere, cuius si libuerit periculum facere, disces præceptionum nos tenere vsum aliquem, at tam ridiculas argumentationes (in quibus nullum est argumentationis, vel simulachrum, tantùm abest vt argumentationes sint dicendę) vt Gebennensis inscitia sibi retineat, lubenter patiemur.

MINISTER. pag. 58.

Hoccine est imagines probare?

CATHOLICVS.

Hoccine est Imagines improbare? Si non probauit Beza Imagines, cur eas *scripsit & promulgauit?*

MINISTER. pag. 58.

Nos, non tam pro Beza quàm pro veritate respondebimus. Estis vobis Iesuita semper similes, id est, versipelles & stelliones.

CATHOLICVS.

Tu quidem Minister, cùm capiti mederi deberes reduuiam curas: Bezæ enim patrocinium suscipiens, omnes alios tuæ Sectæ ζηλωτὰς accusas impietatis, quippe qui ea impiè demoliti sunt, quæ Beza cõstruxit. Simúlquè *te præuaricatorem* constituis, *cùm prodita causa tua propria, aduersam partẽ adiuues.* Nã dic quæso, vel aduersatur Verbo Dei scripto Imaginum vsus, vel nõ: si hoc dicas, nonne animaduertis ea omnia quæ hactenus à te fuerũt disputata corruere, cùm quæcunque pro defensione Imaginum attulerimus, tu ea omnia, tanquam Scripto Verbo repugnantia, eluseris? Si verò illud dixeris, cur Bezam defendis, qui contra scriptum Dei Verbum, vt ais, Imagines has *D. de præuaricatione, lege præuaricator.*

typis mandare vobis ſuis Symmyſtis obtrudere, elogiis ornare, mutas & ſurdas Imagines affari non erubuit.

MINISTER. pag. 58.

Is quippe impoſtor habetur, qui rem dicit alio quàm decet modo, ac proinde veri ſpecie fallit. Ariſtoteles, fallaciæ illius explicandæ rationem propter non cauſam vt cauſam appellauit, id eſt τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, *illiúſque refellendæ hanc viam demonſtrauit, vt verſipellem Sophiſtam ad ipſius rei cauſam adigamus. Ita igitur vobiſcum agemus.*

CATHOLICVS.

Non potuiſti Theſibus reſpondere (vt ſic tecum loquar) quin ex Logica futuræ tuæ Reſponſionis præclara iaceres fundamenta. Expectabam equidem ex Prophetarum, & Apoſtolorum monumentis luculenta teſtimonia, quæ Chriſtianam veritatem (quam in Theſibus noſtris ſumus complexi) tuo iudicio euerterent. At pro Apoſtolorum, & Prophetarum oraculis præceptum Ariſtotelis, Logices Auditoribus Academiæ noſtræ probè cognitum & perſpectum, nobis obtrudere non erubuiſti.

Ariſt. lib. 1 de repr. Soph. ſt. cap. 4.

MINISTER. pag. 58.

Quòd virorum illuſtrium imagines luculenter expreſsit Beza, idcircòne imaginibus veſtris fauet?

CATHOLICVS.

Fauet proculdubio: Quoniam ſi ei licuit profanorum quorũdam hominum Idola luculenter exprimere, eaque paſsim promulgare, cur Chriſti Seruatoris noſtri, Diuorúmque Imagines nobis Chriſtianis habere non licebit? Cur autem homines obſcuro loco natos, ſolíſque nobilitatos ſceleribus, *illuſtres* appellas? Non pertimeſcis principes viros offendere, cùm plebeios homines titulo eis ſolis debito inſignias? Videris nobis Io. Serranum veſtrum voluiſſe imitari, Miniſter, qui natione Gallus, animo autem ξένος, in Epiſtola, quam Platoni præpoſuit, Elizabetham non ſolùm Angliæ, ſed etiam *Franciæ Reginam*, imò verò *omnium Chriſtianorum Principum primam* auſus eſt appellare.

MINISTER. pag. 58.

Num eas in templis, aut ſcholis exhibuit, num in larariis ſepoſuit, vt adorandas cuiquam exhiberet?

CATHOLICVS.

Beza ſuorũ Idolorum librum, *Sacrarium* appellat.

Sacrarium ædes ſacra.

Cicero pro Milone, & 1. in Catil.

Neſcio ſanè in Templís-ne, an in Scholis Idola Bezæ fuerint collocata: Hoc vnum certò ſcio ea Bezam in Sacrarium, vel ipſo teſte repoſuiſſe. Sic enim Franciſcum primum Chriſtianiſsimum alloquitur: *Neque te Rex potentiſsime, pudeat in huius Sacrarij veſtibulo conſiſtere.* Ac ſibi quandam religionem fuiſſe ſcribit, *Eraſmum in ſui Sacrarij limine collocare.* Quid autem obſecro aliud eſt Sacrariũ, niſi ædes Sacra? Quòd ſi mihi non credis audi M. Tulliũ: *Ante ipſum Sacrarium Bonæ Deæ:* Et, *Aquila illa argentea, cui Catilina Sacrarium*

rium ſcelerum domi fecerat. Qui ergo in Sacrarium collocauit, nónne eas in Templo quodammodo exhibuit, vt quaſi Deos gentium augere volens, ſuorum ἀποθεώσεις celebraret?

MINISTER. pag. 58.

Atqui veſtrarum Imaginum hic primarius vſus eſt, (ſi corruptela vſus eſt,) vt proprio loco conſtitutæ adorentur. Ad has genibus flexis proceditis, ad has precationes funditis, eaſdémque omni reuerentiæ genere colitis. Hoc ſi audetis negare, res ipſa vos impudentiæ, & amentiæ coarguet. Sic ex veſtro illo non Scripto Verbo mandatum habetis. Miniſtri ψευδολογία.

CATHOLICVS.

Verum non eſt quod dicis Miniſter: Nam ad recordationem, memoriamque primò fuiſſe inſtitutas 2. Conci. Niceni. canon declarat. Tu autem frequenter nobis *Adorationis* verbum obiicis: At qua ratione Sanctorum Imagines Chriſtiani adorent, abundè ſuprà explicatum eſt. Quod attinet ad preces, quid Catholici hac de re ſentiãt, ex Concilij Tridentini Catechiſmo accipe, *Duplici potiſsimum ratione, quod ad hoc primum præceptum attinet, Dei maieſtatem vehementer lædi perſpicuum eſt. Altera ſi Idola, & Imagines, tãquàm Deus, colantur, aut credatur ineſſe aliqua in his diuinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ: Vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant, quod paſsim ſacræ literæ reprehendunt: Altera, ſi quis conetur diuinitatis formam aliquo artificio effingere, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſsit.*

De Conſecr. diſt 2. c. venerabiles Imagines.

Catech. Concil. Trident. in explicat. primi Præcepti.

Ab Imaginibus nihil petendum, neque ſpes eſt in eis figenda.

Dic amabo te cùm quis ad Regis genua ſupplex prouoluitur, vel aliquid ei porrigens hoc ipſum deoſculatur, an colat eum omni reuerentiæ genere, vel ei diuinos honores tribuat? Quid ſenties de Galliæ Proceribus, qui ſtatuã Regis demortui per quadraginta dies eodem quo Regem, dum viueret, honore ſolent proſequi? Quid prætereà de tuis Anglis dices, qui eam reuerentiam Reginæ ſuæ exhibent, vt ante eius cathedram inanem & vacuam, tecto capite ſtare nefas eſſe ducant, num proptereà καθεδρολάτρας nominabis? Perge, audiamus reliqua.

CAPVT XXIII.

MINISTER. pag. 58.

Picturam certè nemo noſtrum condemnauit vnquam. Eſt enim ſingulare Dei donum, quemadmodum cæteræ omnes artes, etiam mechanicæ: & rectè dictum eſt, ὡς αἱ θεῶν εἰσὶν αἱ τέχναι δῶρα. De Betſalele filio Vri, qui tabernaculum in deſerto conſtruxit, ait Scriptura, Ex nomine vocatum fuiſſe à Deo, id eſt, è cæteris ſelectum, ſingulariq́; huius artis induſtria ornatum: & repletum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, ſcientia, & in omni arte, id eſt, gemmaria, & fabrili, vt vario emblematis genere exquiſitum Tabernaculi opus efformaret.

CATHOLICVS.

Min. picturā malè cōmendat cū Imagines damnarit.

Te nunc picturam probare Minister vehementer miror, qui anteà pictas Imagines plane condemnasti, cùm tuo iudicio omnis Imago sit Idolū: Erit ergo pictura εἰδωλοποιία: Pictoréſque omnes (quod paulò antè nobis atrocissimum maledictum obiecisti) εἰδωλοποιοὶ dicendi erunt. Cæterùm, quomodo audes commendare picturā, qui Platonis benè moratam Rempub. suprà laudasti? Nescis in ea poësi locum esse nō posse? Cúmque ζωγραφία ἡ ποίησις σιωπῶσα sit ab Antiquis dicta, & illud Poëtæ verum sit:

Horat. de art. Poët.

— Pictoribus atque Poetis

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Si poëtica est ex bene morata Repub. exterminanda, sequitur etiam Picturæ in ea locum esse non posse. Neque miror te poeticam non amare, nondum enim, vt video, cum Xenocrate Musis litasti, qui versum Homericum instar Zopyti, tam deformatum hîc attuleris. Nā si θεῶν religio tibi fuit dicere, quare non dixisti

Minister ἄμυνε versum Homeri deprauat. Iliad. 7

ἠδ' ἀποβλητ' ὕμι θεῶν ἐρικυδέα δῶρα. De reliquo, non tantùm pingendi, sed & sculpendi à Deo Beseleel consecutus est intelligentiam, vt perspicuum est iis, qui ca. 31. & 35. Exod. legerunt.

Beseleel pictor & sculptor à Deo.

MINISTER. pag. 59.

Picturam autem in eo genere cēseri, quod ad ornamentum voluptatémque honestam pertinet, quis neget?

CATHOLICVS.

Responde quæso, an non possit cum hac tua *voluptate honesta* pietas etiam coniungi? Si posse responderis: Rogo, cur vos Caluiniani eas euertitis Imagines, quæ cùm ad honestam voluptatem, tum ad pietatem Christianos mouere possunt, cuiusmodi est Christi Domini resurgentis, aut in cælum ascendentis Pictura? Inania verò Ethnicorum simulachra tanti facitis, vt libros vestros eis curetis exornandos?

MINISTER. pag. 59.

Est enim iucunda Naturæ imitatio, quæ hominis animum potentius aliquando afficit, quàm ipsa natura.

CATHOLICVS.

Si à te quærerem, quid *Natura* nomine hoc loco intelligas, mihi crede, quantum ex Scripto tuo coniicere licet, hæreres. Cupimus aliquid de tuis Physicis degustare, vt sciamus quantos in iis progressus feceris.

MINISTER. pag. 59.

Minister hallucinatur: nō enim vuæ, sed linteum Zeuxidem fefellit.

Ecquis enim Apellis Venerem, quàm pulcherrimam mulierem, Parrhasij aut Zeuxidis vuas tanto artificio pictas vt non modò aues, sed peritissimos etiam fallerent artifices, non maiori cum voluptate spectet quàm in ipsa vinea? vt eiusdem generis infinita, quæ non est instituti nostri commemorare, prætermittamus.

CATHO-

CATHOLICVS.

Vbi legisti, *Parrhasij aut Zeuzidis vuas tanto fuisse artificio pictas, vt peritissimos fallerent artifices?* Vellem mihi huius historiæ certum aliquem laudasses auctorem. Quid Plinius hac de re scripto reliquerit, vt Lector, quàm sis in profanorum scriptis euoluendis diligens intelligat, ascribam. *Descendisse hic,* Parrhasius,*in certamen cum Zeuxide traditur, & cùm ille detulisset vuas pictas tanto successu, vt in scenam aues aduolarent, ipse detulisse linteum pictum traditur, ita veritate repræsentata,vt Zeuxis alituum iudicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo,ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore,quoniam ipse volucres fefellisset,Parrhasius autem se artificem. Fertur & postea Zeuxis pinxisse puerũ,vuas ferentem,ad quas cùm aduolasset auis,eadem ingenuitate processit iratus operi,& dixit vuas melius pingi,quàm puerum:nam si & hoc consummasset,auis timere debuerat.* Exerce & oculorum & ingenij aciem, vt ex hac Plinij oratione nobis artifices tuos elicias, quos *Parrhasij, aut Zeuzidis vuæ fefellerunt:* aut certè alium nomina ex veteribus,ne te falsum esse meritò dicamus, quem hac in re auctorem sequeris. Plin nat.hist. lib.35 c.10.

MINISTER. pag. 59.

Non idcirco negamus fas esse imagines,siue pictura,siue sculptura, siue alio quouis modo repræsentatas in templis, aliisve locis haberi, vt picturam,sculpturam, statuariam, aliásve artes voluptatis causa institutas condemnemus, sed ideo vetitas esse Imagines, ne adorentur: quemadmodum dißertè cauet lex Dei ,Non incuruabis te eis , neque coles ea.

CATHOLICVS.

Cur ergo vbi nullum est Idololatriæ periculum, ex Christianorũ templis Imagines deturbatis? *Responde simpliciter,*an Imago Christi Domini, innata vi aliqua, homines ad Idololatriam alliciat, quàm Caluini Idolum non habeat? si ex vtriusque aspectu idem subest Idololatriæ periculum, tuus Beza pietatis hostis erit, qui nulla necessitate impulsus, perditorum hominum Imagines, vt ab omnibus conspicerentur,*promulgauit.* Tu verò semper,quæ de Idolis scripta sunt,ad Imagines importunè transfers. Quod enim anteà scripsisti, * *Lex Dei non modò vetat &c.* A Thoma porrò Vvalden viro doctissimo, (qui contra Vvitcleuistas, quorum errorem vos renouastis,accuratè scripsit) quæ ad hunc locum spectant proferrem, ni iam planè satis superquè argumento vestro me iudicarem satisfecisse. Minister eandem cãtilenam sæpe canit. * Pag. 54. Thom. VValdens. doctrin. antiquit. fidei tomo 3.c. 152.

MINISTER. pag. 59.

Deus quoque suo Templo ornamenta quadam concesit pictura,sculptura,Phrygionica.Eò enim referri debet ingens ille & splendidus columnarum,portarum,vasorum,& in eis cælaturarum apparatus,Boues,leones palma,

nes, palmæ, malogranata, reticula vitium pampinis intertexta, in columnis Templi insculpebantur. Tabernaculi autem peripetasma byssino, hyacintho, linteo, cæterisq; exquisitis operibus conformatum, omnia Phrygia tapetia materia & arte superauit.

CATHOLICVS.

Quorsum hæc omnia, nisi vt tuã impudentiã prodas? Cum enim Deus *Templo suo ornamenta quædam concesserit, picturæ, sculpturæ Phrygionicæ*, cur tu Christianorum templis, quæ non minus sunt Dei, quàm fuit illud Iudæorum, similia ornamenta negas? Audi præclaram Isidori Pelusiotæ sententiam: ναῶ λόγος ἀδεὶς, οἱ ἐ ς ἱφεσι ἄγαλμα, hoc est, *Templi nulla ratio quod non ornatur Imagine.*

Templorũ ornamenta *Theodorus in 2. Synodo Nicena. Act. 1.*

CAPVT XXIIII.

MINISTER. pag. 59.

DE Cherubinis idem statuendum est, quos Tabernaculi ornamentis, Lex intermiscebat: quanquam & puerilis, legalisq; pedagogiæ ea pars erat, vt quemadmodum Angelorum commerciis Patres assueuerant sub hominis forma, quæ Messiæ veri hominis aduentum suo tempore affuturi significaret, ita Cherubini in Tabernaculo conspicerentur: cum aliis quidem, vt præsens illorum sub Dei imperio ministerium significaretur piis efficax: operto autem capite, vt omnis superstitionis ansa præderetur.

CATHOLICVS.

Cherubini in tabernaculo aliquid significabãt.

Non tantùm igitur (vt tu ipse fateris) ad Tabernaculi ornamentũ, sed, etiã ad aliquid designandũ, fuêre Cherubini Dei iussu fabricati. Quid ergo incõmodi, si in Christianorũ tẽplis Cherubinorũ saltem habeantur Imagines, quę in oculos nostros incurrentes, voluptatem nobis afferant, ac quæ ad pietatem promouendam valent, repræsentent? Si verò mysticos sensus discere cupis, lege Ecclesiæ Doctores, qui hanc Scripturæ explicandæ rationem, doctißimis suis commentariis illustrarunt. Vt igitur Augustini sententiam patienter legas, te etiam atque etiam oro. Ex ea enim qua ratione sequaris hanc interpretandi viam si summum Ecclesiæ doctorem imitari velis, discere poteris. *Propitiatorium ad quid dicat superimponendum super arcam quæri solet: sed cum aureum fieri iubeat, eiúsque longitudinem, & latitudinem tantùm exprimat, quanta & ipsius arca dicta est: proculdubio velut tabulam, auream tanta forma fieri præcepit qua tegeretur arca, ita vt in ipso propitiatorio essent duo Cherubin, hinc, atque inde alterutrum attendentes, ita vt vultus eorum in propitiatorium essent, & pennis suis obumbrarent propitiatorium, quod magnum est Sacramentum. Aurum quippe significat Sapientiam, Arca significat secretum Dei, in Arca iussa sunt poni lex & manna, & virga Aaron. In lege præcepta sunt. Virga potestatem significat, manna gratiam, quia nisi cum gratia*

August. in q. 105. super Exod. c. 25.

Veteris tabernaculi mysteria declarantur.

gratia non est potestas praecepta faciendi. Veruntamen quia lex a quouis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium est desuper. Ad hoc enim opus est vt propitius sit Deus, & ideo desuper ponitur, quia superexaltat misericordia iudicium. Duo verò Cherubin pennis suis obumbrant propitiatorium, id est, honorant velando, quoniam mysteria ista ibi sunt, & inuicem se attendunt, quia consonant, duo quippe ibi testamenta figurantur. Et vultus eorum sunt in propitiatorium, quia misericordiam Domini in qua vna spes, valde commendant. Denique hinc se promisit locuturum Deus ad Mosem de medio Cherubin, de sursum propitiatorij. Porro si creatura rationalis in multitudine scientiae (quoniam hanc interpretationem habent Cherubin) duobus ipsis animalibus significatur: ideo duo sunt, vt societatem Charitatis, commendent: ideo pennis suis propitiatorium obumbrant, quia Deo non sibi tribuunt pennas suas, id est Deum honorant virtutibus, quibus praestant, & vultus eorum non sunt nisi in propitiatorium, quia cuicũque, prospectui ad multitudinem scientiae spes non erit, nisi in Dei misericordia. Haec Augustinus: Ex quo quidem patet Cherubinorum Imagines, & res alias Tabernaculi, non voluptatem duntaxat, vel ornamentum, sed mysticam quoque significationem continere. Quare & Diuorum Imagines aliquid mysterij repraesentantes, iure optimo in Templis reponi poterunt. Quod porrò scribis *Cherubinos pueriles legalisq́ paedagogiae partem* fuisse, hoc ante te Caluinus docuerat. Quòd si ad veterum Paedagogiam Cherubini spectarunt, cur sacras Imagines ad rudiorum instructionem in Ecclesia non relinquitis? Atque haec fortassis causa est, cur Caluinus primo legis praecepto vetari dicat ne Angelorum Imagines depingantur lib. 2. Instit. c. 8. §. 17. Quod verò scribis *Cherubinos operto fuisse capite vt omnis superstitionis ansa praecideretur*, in Scripturis non inuenio: sic enim de Cherubinis legimus, *Duos quoque Cherubim* (inquit Deus Mosi) *aureos, & productiles facies, ex vtraque parte oraculi. Cherub vnus sit in latere vno, & alter in altero: vtrunque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantq́ se mutuò versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca.* Et, Beseleel, *fecit duos Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex vtraque parte propitiatorij. Cherub vnum in summitate vnius partis, & Cherub alterum, in summitate partis alterius, duos Cherubim in singulis summitatibus propitiatorij, extendentes alas, & tegentes propitiatorium, seq́ mutuò, & illud respicientes.* Nihil hîc audis de tuo *capite operto*, imò verò versis vultibus se mutuò, & propitiatorium respiciebant. Disce nunc primùm, qua ratione Dictator tuus se tueri possit contra Catholicos contendentes ex Cherubinorum Imaginibus non esse vetitum Christi Domini, & Sanctorum Imagines pingere. Lege quaeso libros Regum, & Paralip. & inuenies Salomonis iussu fuisse Cherubinos & fictos, & pictos, Non tamen *operto capite*. Quod autem Caluinus de Seraphinis dixit, tu, vt nos

Propitiatorium, vt Deus sit propitius.

Duo testamenta per duos Cherubinos designantur.

Charitas mutua per Cherubinos significata.

Caluin. lib. 1. Inst. c. 11 §. 3. Vt Cherubini ad Veterũ instructionẽ erant, sic & Imagines ad nostram.

Ministet vt superstitionẽ adstruat scripturam peruertit. *Exod. 25. 18. 19. &c.*

Exod. 37. 7. 8. 9. Beseleel duos Cherubinos fecit.

3. Reg. 6. & 7. 2. Paralip. 3. Salomon Cherubinos fieri curauit.

Caluin. lib. 1. Inst. c. 11. §. 3.
Minister in Caluini lectione deceptus est.
Hieron. in c. 6 Isa.
An Seraphin velatam faciẽ habeãt.
Cur Seraphim caput Dei & pedes operiant.

falleres Cherubinis tribuere ausus es. *Propheta* (inquit Caluinus) *Seraphim sibi in visione ostensos velata facie nobis pingunt, quo significant tantùm esse diuinæ gloriæ fulgorem, vt Angeli quoque ipsi à recto intuitu arceantur.* Idem tibi est esse *operto capite*, quod Caluino tuo, *velata esse facie.* Quod de Seraphinis scripsit Isaias doctissimis suis commentariis illustrauit D. Hieron: *Vbi*, inquit, *nos diximus, quod vnus de Seraphin velaret faciem & pedes eius, per quod intelligitur Dei, in Hebræo scriptum habetur* רגליו *&* פניו *quod potest interpretari & eius & suam, vt Seraphim iuxta Hebrai sermonis ambiguitatẽ & faciem pedésque Dei, & suam faciem, ac pedes operire dicantur*, & infra, *In Cherubim ostenditur Dominus: in Seraphim ex parte ostenditur, & ex parte celatur, faciem enim & pedes eius operiunt, quia & præterita ante mundum, & futura post mundum scire non possumus, sed media tantùm quæ in sex diebus facta sunt contemplamur. Nec mirum hoc de Seraphim credere, cùm & Apostoli Saluatorem credentibus aperiant, infidelibus, abscondant, & velum ante arcam fuerit testamenti, Alas quoque habere dicuntur propter velocitatem, & in cuncta discursum, siue quia semper in altioribus commorantur* Hæc D. Hieronymus. & de *Cherubinorum operto*, vt tu existimas, *capite* hactenus.

Cur alas habuerint.

CAPVT XXV.

MINISTER. pag. 59.

Verùm de Cherubinis adorandis, Iudæos ne per somnium quidem cogitasse vnquam, ex Prophetis apparet: à quibus tam fœdum in tam sancto loco superstitionis genus, nunquam fuisset haudḋubiè prætermissum, quin grauissimis reprehensionibus traduceretur, si in eo Iudæi peccauissent.

CATHOLICVS.

Iosue 7. 6.
Iosue prostratũ cum aliis ante arcam.

Si adorar Cherubinos, qui ante eos prostratus iacet, Iudæi *de Cherubinis adorandis cogitarunt*: Audi quid scriptum sit: *Iosue scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram Arca Domini vsque ad vesperam, tam ipse quàm omnes senes Israel.* Proba Iosue antè ab Arca Cherubinos remouisse, quàm se abiiceret & prosterneret, & tuum somnium alia ratione excutiemus. Fuit certè Iosue Propheta, cuius submissionem Deus reipsa sibi gratã fuisse testatus est: tantùm abest vt in superstitionis crimen incurrerit. quòd ante Arcam abiectus iacuisset.

MINISTER. pag. 59.

Ex vulgari quoque opinione, non Cherubinos, sed nubes (quæ summo Templi fastigio prostabant) Iudæos adorasse ex Satyrico apparet.

Qui puras nubes (inquit) & cœli numen adorant.

CATHOLICVS.

Te miror equidem Minister, qui Caluini Magistri tui exemplo à profano

profano Poëta contra veritatem argumenta petere audeas: eique potius de Iudæorum adorandi ratione, quàm Prophetarum oraculis assentiaris. Tuque Caluinum impudentia longè superas, quòd is peruersè, & impiè Iuuenalem scripsisse fateatur. Tu verò ex vulgari hominum opinione, eius impietatem coneris excusare. Nubes porrò in summo Templi fastigio semper stetisse, ex occulta fortè Iudæorũ disciplina Cabalistica didicisti: Non enim in Scripturis hoc haberi reperies. Nam nubem solùm in Templi consecratione, Templum ita compleuisse, vt non possent Sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem legimus. Deinceps verò neque nubem, neque nebulam vel in ipso Templo, vel in eius fastigio visam fuisse Scriptura nusquam commemorat. At fortâsis Templi nomine, Tabernaculum in deserto exædificatum intelligis, quod in Scripturis Templum appellatur: Verùm tuam prudentiam desideramus: Nam vsus inter Christianos obtinuit, vt Iudæorum Templum nominari cùm audiunt, nõ Tabernaculum, sed quod Ierosolymis constructum fuit Templum intelligant: Cæterum Iudæi ante nubem adorârunt Deum, quomodo nos ante Imaginem Christi Domini prostrati, Christum adoramus. *Ingresso autem Mose* (ait Scriptura) *Tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebaturq́, cum Mose, cernentibus vniuersis, quòd columna nubis staret ad ostium Tabernaculi, stabántque ipsi, & adorabant per fores Tabernaculorum suorum.* Quid verò mirum si Iuuenalis falsorum Deorum cultor, qui, quã in re cõsisteret vera adoratio ignorabat, existimârit Iudæos cultũ diuinum nubibus tribuere, cùm tu Caluini Minister, Christianos eodem Imagines honore, quo ipsum Deum prosequi fingas, cùm tamen probè scias nostrûm esse neminem, qui Imaginem Deum esse putet. Quòd porro picturæ laudem subiicis, responsione non indiget, cùm inepta sit superiorum repetitio, quibus copiosè supra respondimus: De Poësi verò (quam ζωγραφίαν λαλοῦσαν Simonides, auctore Plutarcho vocabat) & Musica quam adiungis tanquam ἀπροσδιόνυσα prætermimus.

Caluin. lib. 1. Inst. c. 11 §. 3. Minister Caluino impudentior.

3 Reg. 10. 11. 2. Paralip. 13. 14.

Exod. 33. 9. 10. Iudæi ante nubem Deũ adorabant, sicut nos Christum ante ipsius imaginem.

MINISTER. pag. 60.

Mouemur nescio quo pacto vultuum ipsorum commonstratione, in quibus & morum & ingeniorum, eorum quorum virtutem, eruditionémve admiramur, adsunt vestigia.

CATHOLICVS.

Si hæc vera sunt, cur Imaginẽ Christi Domini in minore habetis pretio quàm Idolum Apostatæ alicuius, aut impuri helluonis, qui Christianam turbauit Rempub. Si ipsius admiraris virtutem, & eruditionem, cur non *vultus ipsius commonstratione moueris?* Quòd si vestigia Lutheri, Zuinglij, Farelli, Caluini, &c. quæ in ipsorum Idolis adesse putas, te mouent, cur Seruatoris Imaginem (quæ præclara rerum ab eo gestarum insignia omnium oculis subiicit) ne aspicere

quidem dignaris? Probo autem quod ex Plinio affers: *Non solum ex auro argentóve, aut certè ex ære in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iisdem locis ibi loquuntur, quinimo etiam ea quæ non sunt, finguntur pariúntque desideria non traditi vultus, sicut in Homero euenit. Quo maius (vt equidem arbitror) nullum est felicitatis specimen quàm semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis.* Miror tamen, cur non simul ex eodem loco Plinij sententiam de Varrone notaueris, quem suprà [a] contra Imagines clamantem induxisti, vt scires eum non omnes Imagines condemnasse. Sic igitur Plinius, *Imaginum amorem flagrasse quondam testes sunt & Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, & M. Varro benignissimo inuento insertis voluminum suorum facunditati, non nominibus tantùm septingentorum illustrium, sed & aliquo modo Imaginibus, non passus intercidere figuras, aut vetustatem æui contra homines valere, inuentione muneris etiam Diis inuidiosus, quando immortalitatem non solùm dedit, verumetiam in omnes terras misit, vt præsentes esse vbique & claudi possent.*

In Bibliothecis doctorũ hominum Imagines.

a Pag. 57. Plinius lib. 35 naturalis hiſt. cap. 2.

Varro illustrium Imagines habuit.

CAPVT XXVI.

MINISTER. pag. 60.

Vltus autem illustrium virorum, pictura animos elegantissima poësi expressit Beza: cuius si singularem industriam eruditionémque longè felicissimam (quam vniuersus terrarum orbis in hoc etiam genere admiratur) in optimorum virorũ vultibus animisq; repræsentãdis, vos, Iesuitæ, soli culpatis: cauete ne quis è Bezæ discipulis exoriatur, qui præceptoris penicillo, & coloribus vos ita depingat, sicuti sciagraphiam ex monochromate vestrã reliquit Ioannes in spiritu Prophetiæ, vos Locustarum nomine designans: vt postquam nati educatiq; essetis, alæq; vobis succreuissent, posterorũ aliquis natiuis vos coloribus repræsentaret &c.

ÇATHOLICVS.

Tertul. lib. ad versus Iudæos

Apud Tertullianum legimus magnam esse Hæreticorum, cum Poetis & Pictoribus cognationem, οἷς (vt ait Diphilus) ἐξουσία ἐστὶν λέγειν πάντα, καὶ ποιεῖν μόνοις· Hæreticorum verò summam fuisse semper loquendi, faciendiq; omnia licentiam, Christianorum est nemo qui dubitet: *Libera enim*, vt Tertullianus ait, *sunt Hæreticis omnia & soluta:* Quare non est, cur Bezanos discipulos reformidemus. Poësim verò Bezæ, nequè nos culpauimus, nequè si fecissemus, id nos solos fecisse potuisses dicere, cùm multi alij ante nos eum culpauerint, & nuper Genebrardus in omni disciplinarum genere versatissimus illum *profanum, veternosum, iámque confectum Poëtam vocat.* Sed quàm rectè Poëseos, & Picturæ studia cum Theologia coniunxerit, testantur egregia ipsius illa poemata, quæ Geneuæ anno 1576. excudi iussit (vt de Iuuenilibus à se damnatis nihil dicam) in quibus veteris Testamenti historias, ita obscœnè descripsit, vt alter Catullus, aut Propertius, non Poeta Christianus esse videatur, quale illud est, quod ad præparandos scilicet ad pœnitentiam animos. Psal. 50. præposuit.

Athen. lib. 6. Tertul. lib. de præscript. aduersus Hæret. Geneb. in præfat. in Psal.

Beza in suis Syluis, Sylua 4. pag. 77. & 78.

Tandem ad Bersabes conuertit lumina vultus, &c.
Miratus, patulæ radiantem frontis honorem,
Purpureásque genas, pulchri & discrimina nasi:
Os roseum, & flauos per eburnea colla capillos,
Marmoreúmque sinum, porrectáque brachia longè
Et teretes digitos, &c.

Beza historiam sacram impudicè describit.

Et paucis interiectis:

Callidus aspectans formosam hinc inde puellam,
Obseruat tacitus furtim: tandémque repertis
Sese oculis infert, claróque in lumine condit.
Illa illum sensit venientem, & læta recepto
Hospite, nil præter Veneris iam cogitat artes.
Omnibus arridet, pulchræ sibi conscia formæ:
Nunc sinit extrema crispantes fronte capillos
Ludere, nunc varia discriminat arte vagantes:
Iam celare sinum simulat, mammásque coercet.

Cætera refugit oratio, eò quòd, vt verbis Platonis vtar, οὔ μοι φαίνεται ἐπιτήδεια, διότι ποιεῖ τὸν προφήτην, ὡς τὸν Δία ἰδόντα τὴν Ἥραν, διὰ τὴν ἐπιθυμίαν τῶν ἀφροδισίων ἐκπλαγέντα, ὥστε μηδ' εἰς δωμάτιον ἐθέλειν ἐλθεῖν, ἀλλ' βουλόμενον χαμαὶ ξυγγίνεσθαι, ἢ δηλοῖ Ἄρεώς τε καὶ Ἀφροδίτης ὑπ' Ἡφαίστου δεσμόν, ἢ ἕτερα τοιαῦτα. Quòd si ita est, vt est, certè Beza non minus, quàm reliqui omnes obscœni Poetæ, è bene morata Platonis Repub. expellendus est. Scribat tuus Beza Acāthidi & Psittaco Epitaphia vt habeat in quo animum à curis, quibus perpetuò excruciatur, auocet. Mirabuntur sanè, qui illum non norunt, quid Gebennésium Theologum mouerit, vt Auium, & Canum laudes sua Poësi caneret. De Acanthide quidem inter alia hæc cecinit pag. 100. & 101.

Beza è Platonis Rep. expellédus.

Finieris igitur mea dulcis auicula, postquam
Mortis necessitas iubet.
Finieris (inquam) pariter vitámque modósque:
At canere tibi non desinam, &c.

Beza in Epitaphiis.

Psittaci quoque memoriam, ne otio torperet, celebrare voluit his versibus pag. 108.

Psitaccus, Eois quo nullus missus ab Indis,
Humanos finxit doctius ore sonos, &c.

Idem in epitaphiis.

Et de Catello sic pag. 174.

Idem in epigram.

Catelle simule, mi catelle pætule,
Quo nec deliciæ sunt magis deliciæ, &c.

Si ætatem in auium, & canum laudibus carmine illustrandis insumpsisset Beza, aliquam habuisset leuitatis suæ excusationem.

Quæ verò in nos Minister, ex Apocalypsi euomis, nos non mouent, cùm sciamus vos in Pontificem Christi Domini nostri Vicarium, & in Romanam Ecclesiam ex eodem sacræ Scripturæ libro multò diriora maledicta coniicere. Quòd si à Christo verè dictũ est,
Matth 10 25. εἰ τὸν οἰκοδεσπότην βεελζεβοὺλ ἐκάλεσαν, πόσῳ μᾶλλον τοὺς οἰκιακοὺς αὐτοῦ; Quid mirum si vos, qui Ecclesiæ Catholicæ summum Patrem contumeliis atrocissimis, & horrendis afficere audetis, nos eius quidem
Luc. 17.10. licet δούλους ἀχρείους conuitiis lacessere, & proscindere non veremini? Sed quomodo tu dicis Minister, Bezę discipulum locustas illas, *pòst-*
Apoc. 22 18. *quàm* eis *alæ succreuissent, natiuis coloribus repræsentaturum*? Ergo Bezanus ille *aliquid sacræ illius libri Prophetiæ apponet*, cõtrà quàm à D. Ioanne est contestatum. Caueat ergo quicũque tandem ille sit, id facere *ne apponat Deus super illum plagas scriptas in libro illo.*
Apoc. 9.4. Non es verò nescius *præceptum esse locustis ne læderent, nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Sed quoniam tu mirum in modum in hoc D. Ioannis vaticinio exultas, quamuis id possem facilè à nostro nomine depellere, atque in vos (sicut à quibusdam Catholicis iam factitatum audio) retorquere, non tamen
Io. Lumnius lib. de extre. Dei iudicio. c. 6. lib. 2. id faciam, sed duas tantùm Isaiæ Prophetias proferam, quas Ioãnes Fredericus Lumnius in lib. de extremo Dei iudicio, & Indorum vocatione, est de Societate nostra interpretatus: Non quòd eas ad nos spectare ausim affirmare (hoc enim temeritati tuæ relinquendum est, qui quasi D. Ioanni fuisses à Consiliis, per locustas eum nos voluisse significare (si Deo placet) *sine conuitio affirmas*): Sed vt intelligas plurimos esse nostri nominis commendandi studiosos (quod Dei benignitati acceptum referimus.) Cùm igitur ille hanc Isaiæ vaticinationem ad Indorum populum referendam docuisset:
Isa. 18.2. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius &c.* Adiecit, *Porrò qui per veloces Angelos ad populum terribilem missos intelligendi sint, Nulla apud illos difficultas est, qui nouerunt quàm sanctam, quàm candidam, quàm irreprehensibilem agant vitam Societ. Iesu Patres, qui Romani Pontificis auctoritate suscepta velut Angeli, & deuotione alacres, & spiritu per vastissimi maris pericula, in illum incognitum orbem transuolauerunt. Quare Isaias in Synagogæ persona præ rei nouitate admirabundus intuens eos quærit alibi: Qui sunt isti qui vt nubes volant,*
Isa. 60.8. *& quasi columbæ ad fenestras suas? Nubibus eos comparauit, partim propter celerem eorum obedientiam, partim verò propter affluentem Verbi Dei prædicationẽ, & gratiã qua Spiritusancto corda ipsorũ intus illustrante documenta cœlestia verius fundunt, quàm dicunt: vel partim*
Hilarius in Psal. 67. *(vt verbis Hilarij vtar) Quia vltra terrenam originem, mortalémque degentes se in sensum cælestem & vitam, vt ita dicam, aëream transtulerunt &c.* Ex verbis diuini Vatis Isaiæ habes nostrorum mores, nostrorum ingenia, nostrorum denique professionem ab eo quidem

pictore

pictore σωματικῶς depicta, qui quamuis nostrum Institutum optimè nosset, tamen nunquam in nostram Societ. fuit adscriptus.

CAPVT XXVII.

MINISTER. pag. 60. & 61.

AT ne in (Beza) defendendo nostris verbis vtamur, ex doctiss. illius scriptis, vnus è multis locus hic piis satis erit: eruditæ quidem vetustatis sanctiss. testimonio comprobatus, vt non tantùm Bezam & Ecclesias nostras, sed Hieronymum, Epiphanium, omnémque adeò veterem & Catholicam Ecclesiam, damnari apud omnes constet. Sed age, (inquit in illa verba Ioannis epist. Cath. prioris cap. 5. Filioli, cauete vobis ab idolis) quando ipsis semel decretum est reiicere quicquid à nobis dicitur, audiant saltem Hieronymum, cui se tantùm tribuere gloriantur. Is enim Epiphanij illius acerrimi hæreticorum hostis Epistolam ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum scriptam tanti fecit, vt è Græco etiam in Latinum conuerterit: in qua hæc scripta sunt totidem verbis: Quum venissem ad villam quæ Anablatha dicitur, vidissémque ibi præteriens, Lucernam ardentem, & interrogassem quis locus esset, didicissémque esse Ecclesiam, & intrassem vt orarem: inueni ibi velum pendens in foribus eius Ecclesiæ tinctum, atque depictum, habens imaginem quasi Christi, & Sancti cuiusdam. non enim satis memini, cuius imago fuerit. Quum ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi, contra autoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus eiusdem loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent, & efferrent. Et paulò pòst addit, *Precor vt iubeas presbyteros eiusdem loci deinceps præcipere, in Ecclesia Christi istiusmodi vela, quæ contra Religionem nostram veniunt, non appendi. Hæc scripsit Epiphanius, ita comprobauit Hieronymus. Citatur autoritas Scripturarum, profertur consuetudo Ecclesiæ. Quo igitur iure Hæretici illi appellantur, qui cum Ioanne monent cauendum ab Idolis? Beza igitur vobis erit, Iesuita, hæreticorum Antesignanus, vestrarum imaginum patronus, pietatis hostis.*

Lucerna ardens in templo.

CATHOLICVS.

Si Epiphanij & Hieronymi iudicio, Beza tuus staret, Caluiniana castra desereret. Et quia tu ais, *non tantùm Bezam, & Ecclesias vestras, sed Hieronymum, Epiphanium, omnémque adeò veterem & Catholicam Ecclesiam à nobis damnari*, Ex Epiphanio describam, quæ vestræ Superstitioni omninò repugnãt. De Iosephi enim sanctissimi viri in exædificandis templis studio & diligentia inter alia, & hæc scripsit. *Incipit in Tiberiade ædificare, Templum autẽ maximum prius in vrbe fuit, & puto Adrianum hoc fuisse vocatum. Cùm verò hoc Adrianum imperfectum mansisset, ciues ad publicum balneum id instaurare conabantur. quo comperto, Iosephus ex hoc occasionem habebat, & vbi inuenisset, id per lapides quatuor cubitorum, ac quatuor pedum ad aliquam*

Epiphan. contra hæreses lib. 1. tomo 2. con. a Ebionæos.

Ecclesiam ædificat Iosephus.

ad aliquam altitudinem euectum, hinc incipit facere Ecclesiæ structurã. Erat autem opus calce & alia materia, caminos itaque extra vrbem multos facere iussit, fortè septem numero: fornaces autem vernacula lingua vocant. At verò callidi, & omnia facere audentes Iudæi, à præstigiis, apud ipsos fieri solitis, non abstinuerunt. Incantationibus enim quibusdam, ac curiosa sedulitate, ignem ligare, ac disperdere, generosi illi aggressi sunt, sed non perfectè potuerunt. Cessabat itaque ignis, & non operabatur, sed extra propriam, vt ita dicam, naturam constitutus erat. Vbi autem hi qui combustilem materiam igni addere iussi erant, ligna videlicet, siue sarmenta nihil effecissent, Iosepho rem ipsam significauerunt. Commotus igitur vir ipse, & zelo erga Dominũ correptus, extra ciuitatem currit, & vbi aquam in vase afferri iussisset, accepto vase aquæ coram omnibus (multitudo enim ingens Iudæorum confluxerat ad spectaculum, euentum videre cupidi, & quid Iosephus facturus esset) magna voce Crucis signaculum proprio suo digito vasi impofuit, & inuocato nomine Iesu, sic dixit: In nomine Iesu Nazaræi, quem crucifixerunt Patres mei, & omnium horum circunstantium, fiat virtus in hac aqua, ad reprobationem omnis incantationis, ac magiæ quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini, & sic accepit aquam in manum, & de aqua singulas fornaces respersit, & dissoluta sunt incantamenta, & ignis coram omnibus emersit Turba verò præsentes clamore edito, Vnus Deus qui auxiliatur Christianis, secesserunt. Idem Epiphanius Aërij hæreses à vobis renouatas, tanquam à Christiana religione abhorrentes, execratur. Pro iis qui è viuis excesserunt, Deo sacrificium, & preces offerendum, præscriptis ab Ecclesia diebus ieiunandum, Traditionibúsque non minorem, quàm Scripturæ fidem habendam esse docuit. Atquè, vt paucis multa complectar, quicquid Christi Ecclesia hodierno die profitetur, approbauit. Cæterùm quæ suprà ex D. Hieronymo, præsertim de Inuocatione Sanctorum & Reliquiarum cultu, attulimus, quàm bellè cum ipsa veteri Ecclesia conueniatis dubitare sinũt neminem. Ante Bezam verò, eundem Epiphanij locũ Christianis obiecit tuus Caluinus, quare mirum est, te consectari riuulum, cùm lacũ ex quo haurire potuisses, habeas. *Pater erat*, ait ille, *qui dixit horrendam esse abominationem, videre depictam, vel Christi, vel Sancti vllius imaginem in Christianorum templis.* Et in margine *Epipha. Epistol. ab Hier. vers.* Esto etiam quòd Hieronymus Epistolam hãc *è Græco in Latinum converterit*, non tamen propterea concludet Beza, eum omnia quæ in Epistola scripta sunt, probasse. Vertit enim opera aliqua Origenis, cuius tamen placita plurima improbauit. Huius rei, locupletissimus testis est ipsemet, his verbis ad Paulinum scribens, *Prima (scilicet quæstioni, quare nimirum sit à Deo induratum cor Pharaonis) in libris περὶ ἀρχῶν, quos nuper Pammachio nostro iubente, interpretatus sum, Origenes fortissimè respondet, quo detentus opere implere*

Ignis à Iudæis excantatus.

Signum Crucis, & aqua benedicta Ignis incantamenta dissoluit.

Beza lib. de veris Eccles. Notis, scribit *Crucis signum initio fuisse apertã Christianismi professionem.*

Epiphan. contra hæres. lib. 3. tomo 1. contra Aërium.

Minister Bezæ tribuit quod Caluino debetur. *Caluin. in præfat. Instit.*

Hieronym. epist. 153.

implere non potui quod promiseram tibi, & Danielem nostrum rursum comperendinaui. Et quidem quamuis mei amantissimi, & egregij viri Pammachij, tamen vnius voluntatem in tempus aliud distulissem, nisi omnis penè fraternitas de Vrbe eadem postulasset, asserens multos periclitari, & peruersis dogmatibus acquiescere. Vnde necessitate compulsus sum transferre libros in quibus mali plus quàm boni est, & hanc seruare mensuram, vt nec adderem quid, nec demerem, Græcámque fidem Latina integritate seruarem. Hæc vna sententia, Bezanam captionem sic frangit, vt valde fallar, si ex D. Hieronymi versione, vllum contra nos instituere posit argumentum. Quòd si grauissimi Theologi B. Ioannis Damasceni auctoritas apud te satis ponderis habeat, Hieronymum dices patronum Imaginum extitisse. Perpende igitur quæ ex Diuo Damasceno libro 3. Apologet. pro veneratione sanctarum Imaginum descripsi. *Hieronymi Hierosolymorum Presbyteri. Cùm nusquam vobis permittat Scriptura adorare Crucem, qua tandem gratia vos eam colitis? Respondete nobis Iudæis, & Græcis, denique & vniuersis Gentibus qua causam rogant. Responsio. Ob hoc, ô parum cordati, sed & corde impudentes, fortasse omni Genti Deum colenti, permisit ipse Deus, adorare quidpiam humani operis, vt ne vlla ex parte Christianis intenderetis crimen, de Crucis, ac Imaginum adoratione. Quemadmodum igitur Iudæus Arcam testamenti adorabat, duos item Cherubim & eos ex auro conflatiles, duas insuper Tabulas quas è petra exculpsit Moses, nullatenus tamen permissus hec adorare, aut complecti charius: ita & nos Christiani Crucem ipsam obuiis manibus complectimur, ac salute impertimur, non quidem tanquam sit Deus, sed per hoc declarantes genuinum animæ nostræ affectum erga eum qui est Cruci affixus.* Argue B. Damascenum mendacij, vt nihil esse à D. Hieronymo scriptum quod Imaginum cultū confirmet, nobis probes. Idem Damascenus, Imaginum hostes, qui Epiphanij testimonio, ad suam impietatem comprobandam abuti conabantur, præclarè sanè confutauit his verbis: *Quod si obiicias eximium illum & admirabilem Epiphanium palam interdixisse earum cultu. Primùm quidem responderim, doctrinam illam, à marginaria annotatione fortè relatam in contextum, atque ita esse commentitiam, non item profectam ex eius lucubratione, alterius magis esse qui eodem dictus sit nomine, id quod multi facere consueuerunt. Tum secundo loco si opponis, Scimus beatum Athanasium vetuisse Sanctorum reliquias imponi capsulis siue loculis, verùs præcepisse, vt eædem terra conderentur, ob id quòd modis omnibus cuperet abrogare absurdam Ægyptiorum consuetudinem, qui suorum cadauera non terra tegebant, sed in lectices, & pheretris deponebant: Forsan & Epiphanius eximius, tale aliquid ad rectitudinem reuocare volens, lege cauit ne depingerentur Imagines. Et vt demus ipsius fuisse sententiam. Nam quòd huius propositum non fuerit eas summouere, Ecclesia istius beati Epiphanij, testimonio est, ad no-*

Hier. latinæ facit quæ tamen non probat.

Damasc. lib. de Imaginibus tertio.

Quo modo crux sit adoranda ex Hieronymo.

Damasc. lib. 1. Apolog. pro venerat. Sanctar. Imag. Epiphanij factum interpretatur.

Aristotel. 1. Ethic. c. 7. *stra vsque tempora, exornata omni ex parte Imaginibus. Tertiò responderim: Non infrequens, aut rarum quid inuentu est lex Ecclesiæ traditæ: neque enim vna hirundo facit ver (vti Gregorio Theologo, & ipsi veritati videtur) neque vna sententia potest totius Ecclesiæ Traditionem funditus demoliri, & à termino terræ, ad extremum vsque limitem conuellere. Tu igitur admitte tantum agmen consuetudinum, partim scripto proditarũ, partim a spiritualibus viris per manus Traditarum.* Certè si Epiphanius εἰκονοκλάστης fuit, B. Gregorium (quem contra nos produxisti) inscitiæ condemnabis: Nam Serenum Massiliensem Episcopum propter confractas Imagines grauiter obiurgans, inter alia cum his verbis alloquitur. *Dic frater a quo factum Sacerdote aliquando auditum est quod fecisti?* Potuisset Serenus Epiphanij, sanctissimi Episcopi, exemplo factum suum tueri, si Epistola illa fuisset ab ipso Epiphanio scripta, & à D. Hieronymo in linguam Latinam versa. Et ne tecum de Epistola illa digladier, faciamus eam ab Epiphanio esse scriptam, Imaginum tamen sacrarum fuisse Epiphanium hostem, nó concludes, vt optimè probat Marianus Victorius in illius Epiphánij Epistolæ scholiis. *Mirum est*, inquit, *quàm ex hoc loco Iconomachi hodie exultent, cùm tamen ipsa verba planè demonstrent, non Christi aut Sancti alicuius. Sed puri tantùm hominis eam fuisse Imaginem. Imò si quis diligenter locum expendet, constabit ex eodem contrarium maximè, cùm enim superius dicat, inueni ibi velum pendens in foribus eiusdem Ecclesiæ tinctum, atque depictum, & habens Imaginem quasi Christi, vel Sancti cuiusdam; non enim satis memini cuius Imago fuerit, dicere videtur talem fuisse illam Imaginem, qualis soleat esse vel Christi, vel alicuius Sancti quæ in Ecclesiis depingi solita sit.* Hanc Victorij coniecturam fortè probat aliquorum impietas, qui Christum Dominum Iouis specie pingere consueuerant: qua de re accipe breuem à Nicephoro conscriptam historiam, quæ vobis Imaginum hostibus, terrorem incutere poterit: Si tamen numinis diuini vim, & potestatem pertimescitis. *Gennadio Episcopatum gerente pictor quidam Seruatorem habitu & forma Iouis pingere ausus, facinoris eius mercedem tulit. Nam manus eius exaruit, quam, cùm ille crimen id publicè cõfiteretur, Gennadius restituit.* Pete nouum ex Bezanis Scholiis, & Scholis argumentum, cùm vos Epiphanius, iis (quibus impietatem vestram inniti existimatis) luculenter iugularit.

Gregor. lib. 9. epist. 9.

Victorius in scholiis in D. Hieronym.

Niceph. Ecclesiast. hist. lib. 15. cap. 23.

MINISTER. pag. 61.

At vos qua fronte non modò manifestam impietatem in Idololatria stabilienda audetis defendere, ridiculisq́; verborum tricis Veritatem conspurcare, Sed mendacia etiam rabiosis conuitiis cumulare. Pietatis hostes, sicarios, perditos, eos appellando, quorum pietas, æquitas, humanitas inter omnes optimos celebratur: vt iuuentutem fidei vestræ commissam discatis *nugari, mentiri, conuitiari?*

Minister discatis, pro doceatis, vsurpat.

CATHO

CATHOLICVS.

Voluisti modesta & eleganti scilicet peroratione præclarum hoc tuum Scriptum concludere, vt *colophon frontispicio* responderet. Nos contra Caluinianam impietatem, Christiana tuemur dogmata, & fidei Catholicæ veritatem, ab hominum calumniis, pro viribus vindicamus: mentirique omnes, qui Idolatriæ nos teneri crimine asserunt, facilè conuincimus. Nullum autem est in Thesibus nostris conuitium: Rabiosè itaque nimis, tuum conuitiorum cumulum nobis exprobras. Quod attinet ad pietatis hostes, abunde à nobis in confutatione tuæ contumeliosissimæ Præfationis responsum est. Quod scribis nos *Discere iuuentutem nugari, &c* non potuisti Latinè nos tuis calumniis premere. Docemus Iuuentutem, ad Christianæ Religionis præscriptum, vitam suam instituere: nugas, mendacia, & conuitia, vobis æquo animo relinquimus. Verbum gallicum *apprendre* Ministrum, fefellit.

MINISTER. pág. 61.

Omnino dubium nobis non est quin eorum complures, pij & honesti viri, salutis suæ amantes, qui Romanæ etiam Ecclesiæ autoritatem molesta consuetudine adhuc reuerentur, sine eo nomine vos grauissime reprehensuri: quòd exoletum iam Veritatis fulgore Idolorum furorem renouetis, conuitia argumentorum loco impudenter ingeratis: atque adeò non modò re ipsa, sed infelicissimo quoque exemplo; iuuentutem superstitionis & calumniæ insania (quantum in vobis est) imbuatis.

CATHOLICVS.

Perspicuè falsa, prædicanti Caluiniano (qui certissima fidei Christianæ dogmata in controuersiam vocat) dubia non erunt. Quòd si pij, & honesti viri sunt, qui Romanam Ecclesiam reuerentur, impia ergo est Caluiniana factio quæ hostili odio, Romanam fidem ab Apostolo tantopere laudatam, agitare, & insectari nunquàm intermittit. Rom. 1. 8. Doctrinæ vestræ fulgor euanuit, recondita & penitus abstrusa, quæ indoctæ plebi mysteria, antea venditabatis, nunc ab omnibus contemnuntur, vt hoc vnum vobis reliquum sit Superstitionis vestræ præsidium, mendaciis, & calumniis, Veritatis cultores exagitare, nihilque, quod mentiendi redoleat artificium, prætermittere.

* * *

DE

SACROSANCTO EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

Aſſertio quinta, ex iis quæ Turnoni diſputatæ ſunt anno 1582.

In ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento verum Chriſti corpus, quod in cœlis ſedet ad dexteram Patris, contineri credimus & profitemur: ac Caluini hæreſim deteſtamur, qui in eas Omnipotentis Dei vim & poteſtatem anguſtias redigit, vt eam pluribus in locis vnum poſſe corpus conſeruare neget. Ac quamuis multis verborum inuolucris, idem modo aiens, modo negans, incautos, & parum in Theologicis ſtudiis verſatos fallere conetur, elabi tamen non poterit, quin pro Chriſti corpore, quod Catholici ſub panis forma verè comedunt, ſe panis portionem Sectatoribus ſuis obtrudere confiteatur.

CAPVT XXVIII.

MIrari equidem te ſatis non poſſum Miniſter, qui aliàs, quaſi eſſes Papinianus alter, aut alter Scæuola, illud Iuriſconſultorum ſermone maximè tritum vſurpaſti, *Erubeſcimus ſine lege loqui:* Quique Iuriſcõſultorum loquẽdi formulis ita delectaris, vt quaſi iuſto Sacramẽto nobiſcũ contendere, aut nos ex iure manu conſertum vocare videaris. Miror inquã, te non vidiſſe, quàm diligenter id te obſeruare decuiſſet, quod maximus ille iuris Romani inſtaurator, & penè conditor ſibi maximæ curæ eſſe dixit, * *Litium prolixitatem amputare.* Neque etiam cõſideraſſe, ſtudium tuum tale eſſe debere, quale eorum, qui olim iura ſuſtinebant, idem alio in loco fuiſſe aſſerit: *Ne*, videlicet, *facilè ad litigandum procederes.* Nam cùm in Aſſertionibus noſtris (quibus quaſi terminis omnis noſtra controuerſia concluſa erat) poſt Theſim de Imaginibus, de veritate Euchariſtiæ alteram ſubieciſſemus, tu non ſolùm nobis, de ea litem mouere voluiſti, ſed velut rabulę illi forenſes ſolent facere (in quorum fortè ludo te aliquando exercuiſti)

* *Iuſtinia. in præf. de nouo codice facien.*

Inſtit. lib. 4. de pœn. tem. litig. § nunc admonendi.

exercuisti) vt posses litem contra nos diutius comperendinare, de Transubstantiatione (de qua nullam in iisdem nostris Thesibus mẽtionem feceramus) nobiscum certamen atrociter instituisti: Neque enim nos *improbè, sycophanticè, & imperitè*, (vt tu pro tua singulari modestia loqueris) in disputationem proposuimus Catholicorum sententiam, vt qui linguæ Latinæ prima rudimenta tenet, facilè iudicabit. Neque item *euertimus* (vt tu nugaris) *Ecclesiæ Romanæ de transsubstantiatione doctrinam*, quamuis, non necessariò, qui de Corporis Christi præsentia in Eucharistia, disserit, de Transsubstantiatione disputare cogatur. Non enim te latet quàm contra vestros furores Lutherani, Sacramentariorũ capitales hostes, strenuè Præsentiam corporis Christi tueantur, cùm tamen Transsubstantiationem negent. Cùm verò ais, nos *Disserendi cãcellos tibi pro arbitratu nostro circumscripsisse*, Ignorationis tuæ ridiculã affers excusationem, quòd nullis certis Scriptio tua (disserere enim omninò nescis) cancellis contineatur, & immensus, in quo liberè vagari potuisti, fuerit disputandi campus propositus. Quàm angusti autem fuerint cancelli (quibus tuam nos Scriptionem conclusisse fingis) tu ipse tibi testis es, dicens, *Immensum pelagus, at eius oram legemus tantùm*. Habes cancellorum, quibus te circumscripsimus immensitatem, & tamen, quasi scribendi non habuisses argumentum commento illo *de non seruanda Hæreticis fide* Scriptum tuum augere voluisti. Vbi porro Christianam Ecclesiam, de fide hæreticis data, non seruanda, Decretum edidisse probaueris, nobis non deerit quod respondeamus. Tu deinde ex Theologię Scholasticę Doctorum Scriptis indocto homini multa te descripsisse persuadebis, cùm Scholasticam Theologiam ne primoribus quidem labris degustaueris: Quod verum esse confirmat dist. illa 73. quam in tertia parte D. Thom. extare fingis.* Disputant quidem Scholastici multa subtiliter variis de rebus, quæ in fidei Decretis non numerantur: quod & veteres Ecclesiæ Patres multis ab hinc seculis fecerunt, cuius rei locupletissimus testis est D. August. sic scribens: *Longè aliter se habent Quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur*, Pelagius, *quàm sunt illa in quibus salua fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiua suspenditur, aut aliter quàm est, humana & infirma suspicione conijcitur. Veluti cùm quæritur, qualis, vel vbi sit Paradisus, vbi constituit Deus hominem quem formauit ex puluere*[a]*: cùm tamen esse illum Paradisum fides Christiana non dubitet. Vel cùm quæritur vbi sit nunc Helias*[b]*, vel Enoch,*[c] *an ibi, an alicubi, quos tamẽ non dubitamus in quibus nati sunt, corporibus viuere. Vel cùm quæritur, vtrum in corpore an extra corpus in tertium cælum sit raptus Apostolus,*[d] *quanquam sit ista impudens inquisitio, id scire volentium, quod se ille, cui hoc præstitum est, salua vtique fide nescire testatur. Vel quot sint cæli, in quorum tertium se raptum esse commemorat. Vel vtrum elementa mundi huius conspicabilis, qua-*

Minister extra propositũ de transsubstantiatione agit.
Pag. 63.
Pag. 3.
Pag. 63.
Minister sibi cõtradicit.
Minister in scholasticis nihil versatus, cum eos malè citet.
* Pag. 82.
Augustin. de pe cato Origin. li. contra Pelagium, & Cælestium lib. 2. cap. 23.
De quibus rebus Scholastici inter se disputent.
a Gen. 2. 15.
b 4. Reg. 2. 11.
c Gene. 5. 24.
d 2. Cor. 12. 4.

tuor, an plura sint. Quid faciat Solem Lunámque deficere, his defectibus quos prædicere Astrologi, certa temporum dinumeratione consuerunt. Cur antiqui homines tam diu vixerint, quàm sancta Scriptura testatur, & vtrum proportione longioris ætatis filios sera pubertate gignere cœperint. Vbi potuerit Matusalem viuere, qui in arca non fuit, qui sicut in plerisque codicibus, & Græcis, & Latinis numerantur anni, reperitur superuixisse diluuio, vel vtrum paucioribus qui rarissimi inueniuntur, potius credendum sit, in quibus ita est numerus conscriptus annorum, vt ante diluuium defunctus fuisse monstretur. Quis enim non sentiat in his, atque huiusmodi variis, & innumerabilibus Quæstionibus, siue ad obscurissima opera Dei, siue ad Scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti, ac definire difficile est, & multa ignorari, salua Christiana fide, & alicubi errari sine aliquo Hæretici dogmatis crimine. Habes præclaram D. Augustini sententiam, quæ subtiles Scholasticorum disceptationes, à Caluinianis calumniis apud Christianum Lectorem facilè vindicabit. Ex putido tuo scripto excerpam, quæ eruditus in Caluiniana superstitione, contra Veritatem, momentum aliquod habere iudicabit. Cætera vbi ad certum ordinem ea reuocaueris: & Auctorum, quorum verba affers, si non capita, saltem libros notaueris, de illis mentem nostram aperiemus.

Genes. 5.

In quibusdã quæstionibus Theologicis errari potest sine hæreseos crimine.

CAPVT XXIX.

MINISTER. pag. 65.

EST nudum & simplex ἀξίωμα, Panis est corpus Christi: non Sacramentaliter, sed sensualiter & corporaliter, id est non significandi mysterio, sed rei veritate. Si ita est (vt ex Romanæ Ecclesiæ doctrina reuera est) num vestræ illius Assertionis verba Romanæ illius Ecclesiæ, cui vt optimè de vobis meritæ nomina dedistis, hac de re sententiam verè & fideliter repræsentent, videamus: In sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, verũ Christi corpus, quod in cælis sedet ad dexteram Patris, contineri credimus, & profitemur.

CATHOLICVS.

Tu noua tibi fingis ἀξιώματα Minister. Nemo enim est Catholicorum, qui dicat, *Panem esse Christi corpus.* Et parum fideliter ex Magistro sequentia descripsisti. *Substantia panis modò est corpus Christi, manens enim panis non est corpus Christi, sed substantia mutata, id est, id quod facta est corpus Christi.* Voluisti nos fallere, cùm neque Distinctionem, neque Librum Magistri notaris. At tu ipse falsus es, vt ex perfecta ipsius oratione, quam subieci, omnibus perspicuum fiet. Sic igitur ille lib. 4. Sentent. dist. 11. C. *Alij concedunt illud quod erat panis vel vinum, post consecrationem esse corpus, & sanguinem: non tamen sequitur, Panis est caro Christi, vel vinum est sanguis: quia substantia panis vel vini, postquàm facta est caro Christi vel*

Minister deprauatè citat Magistri sententiam.

vel sanguis, non est substantia panis vel vini, sed caro & sanguis: ideo distinguendum videtur, cùm dicitur substantia panis, vel id quod erat panis, modò est corpus Christi. Manens enim panis non est corpus Christi, sed mutata in id quod facta est, est corpus Christi. Nec dicimus substantiam panis, vel vini materiam esse corporis, vel sanguinis Domini, quia non de ea, vt de materia formatur corpus, sed ipsa formatur in illud, & efficitur illud. Hactenus Magister. Quàm tu *germanè, & candidè, vestro more* (vt tuas voces vsurpem) nobiscum egeris, iudicabit Christianus Lector. Si D. Bonauenturę (cuius testimonio contra nos abuteris) fidem habueris, Magister nō probat hanc propositionem, *Illud quod erat panis vel vinum, post consecrationem est Christi corpus.* Atque vt Scholasticas has cōcertationes silentio prætereamus, negamus te posse, siue ex capite, *Ego Berengarius* (quod tu imperitè *Distinctionem* appellas, sic scribens*, *Decret. 3. part. de consecrat. dist. Ego Berengarius.*) siue ex iis quæ Magister scripsit, posse cōcludere, Panem, esse corpus Christi. Fundamentum præclarè tuæ disputationis, cùm vnico verbo sit planè euersum: quæ tu mira contexuisti loquacitate, inania omninò sunt, vt tu nunc re ipsa disces. Contendis nos ab Ecclesiæ Romanæ doctrina desciuisse: at erras turpiter, & inscitè, ac inquinatè: sic nugatus es, de re grauissima scribens, vt commiserationis potius, quàm vllius confutationis inscitiam tuam indigere iudicem.

Magister Trāssubstantiationem probat.

Pag. 65.

Bona. lib. 4. sent. dist. 2. dubio 2. hāc propositionem explicat.

* Pag. 64.

MINISTER. pag. 68.

Sunt igitur simul, verum Christi corpus & Sacramentum: hoc continet, illud continetur: neque vnum idémque sunt, sed duo sunt simul: ac proinde ἀσύστατο sunt duæ istæ enuntiationes ex maximè disparato contrariorum genere, vt quidem ex luce naturæ non possint vna esse: Verum Christi corpus est in Sacramento, & Sacramentum est Christi corpus: sicuti Romanam Ecclesiam decreuisse, omnésque classicos Interpretes docuisse, hactenus demonstrauimus.

CATHOLICVS.

Numeris Platonis hæc oratio tua videtur esse obscurior Minister, aut tibi contradicas necesse est. Expendimus hæc quæ ὡς τὰ ἀδύνατα collegisti. Fatemur ergo verum Christi corpus, quatenus continetur in Eucharistiæ Sacramento, & Eucharistię Sacramentum quatenus continet Christi corpus simul esse: at non propterea concludes, verum Christi corpus est in Sacramento, & Sacramentum est Christi corpus, non posse vnà esse. Lege Ciceronem, & inuenies duos homines posse, & simul, & vnà esse: cur non & Propositiones etiam repugnantes, vnà esse poterunt? Nunquid non sunt vnà in mente tua, & simul in tuo libro? Disce antè ex Grammatica *Simul*, & *vna* esse aduerbia congregandi, quàm in sp nosis Dialecticorum subtilitatibus te exerceas. Atque si potes, nobis explica tuum *maximè disparatum contrariorum genus.* Quod verò ais, te, *hactenus demonstrasse*

monstrasse omnes classicos Interpretes docuisse has duas enuntiationes verum Christi corpus est in Sacramento, &, Sacramentum est Christi corpus, non posse vnà esse, intolerabile est gloriosi Ministri commentum, cum nullus hactenus fuerit Theologię Doctor, qui ita senserit, & tu solum Magistrum nominasti, dicens: *Huiusmodi quandam conuersionem existere in sacrosancto Eucharistia Sacramento, disertè agnoscit magnus ille Scholasticorum Dictator, cuius autoritatem, atque sententiam omnes Scholasticorum Senatus sequutus est.* Perpende interim tecum, an ad Bezanæ Grammaticæ præscriptum scripseris, *Omnes Senatus sequutus est.* Sed hoc cum multis aliis Typographi negligentiæ tribuimus. Ad rem ergo, experiar an coniicere possim, quid Auctor tui argumenti voluerit. Esse inter se diuersa, Enuntiata illa tua, *Verum Christi corpus est in Sacramento, & Sacramentum est Christi corpus*, non inficiamur, at non propterea nos ab Ecclesiæ Romanæ doctrina desciuisse probabis, quòd verum Christi corpus in sacrosancto Eucharistię Sacramento contineri sentiamus. Magister Sententiarum (quem tu Scholasticorum Dictatorem appellas) si quem tibi Assertionum nostrarum lectio scrupulum iniecerat, facilè exemisset. Verùm quia parum es in euoluendis, siue ipsius, siue alterius viri docti Scriptis versatus, eiusdē verba ascribam, quæ Logicæ tuæ inanes captiones disrumpent. Nam de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento inter alia sic disserit, *Sunt hic tria distinguenda, vnum quod tantùm est Sacramentum: alterum, quod est Sacramentum, & res: & tertium, quod est res, & non Sacramentum. Sacramentū & non res, est species visibilis panis, & vini: Sacramentum & res, caro Christi propria & sanguis: res & non Sacramentum, mystica eius caro.* Nulla est ergo inter duas illas Propositiones repugnantia: Corpus enim Christi est in Sacramento, id est, in eo quod est Sacramentum tantùm, puta in speciebus panis & vini: & corpus Christi est Sacramentum, cùm id sit, quod & Sacramentum & res est. Disputa nunc de *continere, & contineri, vnà, & simul* vt tuam infantiam, infantes meritò irrideant.

Pag. 65.

Petrus Lombard. lib. 4. sent. dist. 8. D.

CAPVT XXX.

MINISTER. pag. 66. 67. & 68.

NON *quærimus, rectiúsne quàm cæteri loquamini: hoc affirmamus, Vestrum illud contineri doctrinā Transsubstantiationis non modò relinquere, sed euertere. Si enim panis non est verè, corporaliter, realiter, sensualiter corpus Christi, quorsum Transsubstantiationis doctrina tam certis decretis constituta, atque stabilita? &c. Vósne elegantius quàm Scholasticorum vulgus loqui voluisse! Miraremur profectò in re tam seria insolentem, importunámque nouitatem, si hoc exciperetis: idemque vobis obiiceremus quod magnus ille Iulius Scaliger medico cuidam Ciceronis munditias & elegantiam effusius vbique affectanti obiecit, De vrinis quoque agit Ciceroni*

nianè:& à vobis quoque grauius peccaretur, quippe qui rem vobis sacram augustámque, in qua fides vestra proram & puppim collocatis, ineleganti planè elegan tia, inuenustáque venustate, auderetis deturpare.

CATHOLICVS.

Erras, Minister, *Nostrum* enim (vt tu loqueris) *Contineri*, Transsubstantiationis doctrinam, tantùm abest vt relinquat, aut euertat, vt eam maximè confirmet: Quæ (*si panis esset verè &c. corpus Christi*) nunquam constituta atque stabilita fuisset. Nulla præterea in Assertionibus nostris vsi sumus nouitate, cùm verum Christi Domini corpus, in sacrosancto Eucharistiæ Sacrmento contineri scripsimus: Sed verus Christianæ Religionis dogma, trita, & veteri oratione explanauimus. Accipe itaque antiquissimi Auctoris Cypriani grauissimam sententiam, vt scias quos habeamus, & rerum, & verborum Doctores. *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia.* Explica nobis quid sit, *diuinam essentiam se visibili Sacramento infudisse?* Imitati etiam sumus Augustinum cuius hæc est oratio: *De Sacramento sanè quod accepit, cùm ei benè commendatum fuerit, signacula rerum diuinarum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari.* Lege & Magistrũ sententiarũ, nobisq; loquẽdi nouitatẽ, si audes, exprobra. *Ait enim Aug:* (inquit Magister) *bonus accipit Sacramentũ, & rẽ Sacramenti: malus verò Sacramentũ & non rẽ. Sacramentũ hic dicit corpus Christi proprium de Virgine natum: Rem verò, spiritualẽ Christi carnem. Bonus ergo vtramque Christi carnem accipit. Malus verò tantùm Sacramentum, id est, corpus Christi sub Sacramento, & non rem spiritualem.* En ait virum improbum accipere Christi corpus sub Sacramento: Quare sensit Christi corpus contineri in Sacramento. Et D. Thomas (quem, tu terriam Summæ Theologiæ partem in distinctiones distribuisse somnias.) species panis & vini appellat Eucharistiã sic scribens: *Eucharistia continet aliquid sacrum absolutè, scilicet ipsum Christum.* Si Eucharistia continet Christum, ergo Christus in Eucharistia continetur, ne existimes nobis esse Relatorum naturam incognitam: Et paucis interiectis: *In Sacramento Eucharistia, id quod est res & Sacramentum, est in ipsa materia.* Atque vt scias nos in Romana fide constantes persistere, Romanæque Ecclesiæ filios esse, accipe quam nos vsurpauimus loquendi ab Ecclesia Romana formam in Concilio Tridentino approbatam. *Principio docet sancta Synodus, & apertè, ac simpliciter profitetur, in almo sancto Eucharistia Sacramento, post panis, & vini consecrationẽ, Dominũ nostrũ Iesum Christũ, verum Deũ, atque hominem verè, realiter, ac substãtialiter sub specie illarum rerum sensibilium Contineri: nec enim hæc inter se pugnant, vt ipse Saluator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat,*

[Marginal notes: Rectè dicitur corpus Christi contineri in Sacramento. — *Cyprian. de Cœna Domini.* — *August. lib. de Catechizãdis rudibus c. 26.* — *Petrus Lombardus lib. 4. sent. dist. 9 C.* — Communio boni, & improbi diuersa. — *Thom. 3. parte q. 73. art. 1. ad 3.* — Minister D. Thom. non legit. — *Concil. Trident. sess. 13. cap. 1.*]

iuxta modum existendi naturalem, & multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitationéque per fidem illustrata assequi possumus, & constantissimè credere debemus. Et idem Concilium Caluinianam Synagogam cùm perfidiæ ream facit, ac propterea Anathemati subiicit, corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento contineri decreuit. *Si quis negauerit, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vnà cum anima, & Diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.* Lege Catechismum ex Decreto Concilij Tridentini ad Parochos, Pij quinti Pont. Max. iussu editum, & nos neglectæ Romanæ fidei accusa. Quòd ille tui Scaligeri Medicus de Vrinis Ciceronianè egerit, nihil ad nos, qui res sacras, verbis in Christi Ecclesia vsitatis explicamus, & non, vt pro tua modestia Caluiniana nobis exprobras, *inelegantis elegantia deturpamus.* Nemo tibi vllam sermonis siue elegantiam, siue venustatē exprobrabit, cùm Grammatices, in tuo Scripto, vsum etiam requiramus.

Idem Concil. Trident. Sess. 13. cap. 1.

CAPVT XXXI.

MINISTER. pag. 68.

QVod si Concilij Lateranensis, Innocentio Pontifice Romæ anno cIↄ ccxv. habiti verba proferatis, Corpus & sanguinem Christi in Sacramento Altaris sub speciebus panis & vini veraciter contineri, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in Sanguinem, potestate diuina: multa habemus quæ excipiamus, aduersus improuidam Innocentij ambitionem, vel ambitiosam imprudentiam: qui dum nouo Decreto, cuius ipse autor circumferretur, nomen gloriámque affectat, non vidit se huiusmodi absurdis implicari, quæ explicari nullo modo possint: non minus ac, Est & non est, ex primæua Veritatis regula: Duæ contradictoria vnà stare non possunt.*

CATHOLICVS.

Mirum est te Episcoporum, qui Concilio Lateranensi interfuerunt, numerum silentio præteriisse, cùm in iis, qui aliis interfuêre Conciliis numerandis, dum accuratè nimis Arithmetices præceptis innitetis (vt libro primo in numero patrum Niceni concilij vidimus) & cùm narras qua ratione Berengarij hæresis à Concilio, vt tu ais, CXIIII. vt autem res ipsa est, CXIII. Episcoporum fuerit condemnata, grauiter sis hallucinatus: & quia annum, quo fuit hoc Concilium habitum diligenter notasti, eorum qui eidem Concilio interfuerunt, numerum adscribam, vt temerariam tuam (qua Concilij huius auctoritatem aspernaris) audaciam omnes perspiciant. Affuerunt ergo in Concilio Patriarchæ duo, Ierosolymitanus, & Constantino-

Pag. 136.

Minister in numero fallitur.

ſtantinopolitanus.Metropolitani 70.Epiſcopi 412. Abbates,& Priores conuentuales 800.Græci & Romani Imperij legati:Regum verò Ieruſalem,Franciæ,Hiſpaniæ, Angliæ, & Cypri oratores. Perpende tecum an ex quo nata eſt veſtra factio, tanta fuerit grauiſsimorum virorum de Caluinianis decretis conſenſio, quanta fuit in Concilio Lateranenſi,eorum qui *Tranſſubſtantiationis* doctrinam verè Chriſtianam eſſe iudicârunt. Quòd Innocentio ſanctiſsimo Pontifici *Improuidam ambitionem*, *vel ambitioſam imprudentiam* tribuis, ipſius ſanctimoniam illuſtras. Probra enim omnia,quæ tu ſine auctore illi affingis,te Caluini eſſe diſcipulum, id eſt,inſignem calumniatorem teſtantur. Concilij huius Lateranẽſis de Tranſſubſtantiatione Decretum nullis implicatur abſurdis,niſi abſurdum eſſe dixeris Chriſtianæ fidei dogma.Interea expende diligenter illam elegantis tuæ infantiæ partem. *Quæ explicari nullo modo poſſunt*, *non minus &c.* Et ſi quid tua dormitans inſcitia prætermiſit,nobis reſtitue, vt animi tui ſenſa tandem intelligamus.

Quinam interfuerint Concilio Lateran.

MINISTER. pag.68.

Summa temeritatis infamiam, Innocentius ille ſibi ita conſlarat, vt prouerbio etiam locus *dediſſet. Innocentius mane dabat indulgentias,& ſerò reuocabat: nouo hoc commento vernaculam temeritatem nocentiſsima audacia impudentia cumulauit, vt Nocentius meritò appellaretur.*

Miniſter locum debuit dicere.

CATHOLICVS.

Liberè & petulanter nimis, multa quæ non probas, de grauiſsimo,& doctiſsimo Pontifice effuſis.De temeritate Innocentij, quod ſcribis,apud hiſtoricum fide dignum vix ac ne vix quidem inuenies. Blondus Innocentium hunc de cuius laude,tu calumniis tuis pro libidine detrahis [a] *Præclarum, præſtantiſsimúmque Pontificem* appellat. Platina verò eundem eximia laude ornat, Scribit enim [b] *fuiſſe virum etiam ante Pontificatum doctrina & moribus inſignem,& in quouis genere vitæ probatiſsimum, dignumq́; qui inter ſanctos pontifices cenſeatur.* & Ioannes [c] Nauclerus Germanus hiſtoriæ Scriptor diligentiſsimus,debitum eius virtuti teſtimonium tribuit,iiſdem planè quibus Platina, verbis. *Innocentius tertius omnium conſenſu pontifex ſufficitur,vir certè doctrina & moribus inſignis.* [d] Sabellicus præterea grauis hiſtoricus *Prouidentia*,inquit,*euenit*(*vt credere æquum eſt*)*non caſu,quòd Innocentio 3.ſedente,multum ſit Innocentia virtus illuſtrata: multùm & religio, Innocentia mater.* Vis adhuc plura de tui *Nocentij* laudibus audire? *Innocentius poſt multos pro Chriſto,& pietate exantlatos labores,cùm ad ſedandos Italiæ motus proficiſceretur,Peruſij fato deceſsit,vir nimirum cunctis inſignis virtutibus,labore ſtrennus, curis peruigil, conſultationibus cautus,iuriſprudentia inſtructus, rerum adminiſtratione amplus,opibus florens,honore præcipuus, dignitate maximus,ſacrarum cognitione literarum eminens, pietatis operibus praeful-*

Innocentius 3 à Miniſtri calũnia vindicatur.

a Blondus decad.2.lib 6.

b Platina in vita Innocentij tertij.

c Ioan. Nauclerus.in vol. 2.Chronographia generat. 40.

d Sabellicus Aenead.9. lib.9.

In vita Innocentij ex fide dignis ſcriptoribus collecta.

gens, ac nihilo minus suo ipsius iudicio paruus & humilis. Sed ad institutum redeamus.

CAPVT XXXII.

Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. §. 15.

Nec res, nec vocabulum transsubstantiationis noua sunt.

QVod transsubstantiationē, *nouū commentū*, appellas, ex Caluini Institutionibus hausisti, qui *Bernardi ætate trāssubstantiationem nondum agnitam fuisse* impudenter scripsit. Certò enim constat, ab Institutione sacrosanctæ Eucharistiæ Catholicum de Transsubstantiatione dogma semper viguisse. Quod si de Vocabulo nobis litem mouisses, paucis tibi respondissem, non esse in Christi Ecclesia nouum, vt antiqua fides nouis vocibus explicetur. Et quia instituta breuitas me digredi ad disserendum de vocibus (quas Ecclesia vt hæreticorum furores reprimeret inuenit) nulla ratione patitur, tibi obiiciam breuem Dictatoris tui orationem, quæ garrulam tuam loquacitatem (si tibi vox Transsubstantiationis displicet, in Christi Ecclesia, trecentis amplius annis vsitata) facilè reprimet. *Expertus pridem sum,* inquit Caluinus, *& quidem sæpius, quicunque de verbis pertinacius litigant, fouere occultum virus: vt magis expedıat eos vltro prouocare, quàm in eorum gratiam obscurius loqui.* D. Bernardum communem nobiscum habuisse de Transsubstantiatione fidem, negare non poterit, qui sequentem ipsius orationem leget. *Aliud latet, aliud patet: Quemadmodum illic species videntur, quorum res vel substantia ibi esse non creduntur, sic res veraciter & substantialiter creditur, cuius species non cernitur. Videtur enim species panis & vini, & substantia panis & vini non creditur. Creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi, & tamen species non cernitur.* Nega iam Caluinum esse ψευδόλογον, si te non pudet. Atque vt tui *noui commenti* vanitas magis illustretur, certissimis antiquissimorū Patrum sentētiis probabo de Trāssubstantiatione dogma. Irenæus itaque sanctissimus Christi Martyr, se Transsubstantiationem his verbis agnouisse profitetur: *Quando & mixtus calix, & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.* Explica nobis, Caluini Minister, quid sit panem fieri Eucharistiam corporis Christi, cùm Dei Verbum percipit. Eandem fidem literarum monumentis consignauit Cyprianus & ipse Christi Martyr, *Panis iste quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro.* Panis non effigie, sed naturâ mutatur, non ergo in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento est substantia panis. D. item Ambrosius Transsubstantiationis doctrinam variis in locis confirmat. *Nos autem,* inquit, *quotiescunque Sacramenta sumimus, quæ per sacra orationis mysterium in carnem Trāsfigurantur & sanguinem, mortem Domini annuntiamus.* Et alio loco grauissima oratione, idem persuadere nititur scribens: *Fortè dicas, aliud video, quomodo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis? Probemus non hoc esse quod natura*

Idem Caluin. lib. 1. Instit. c. 13. §. 5.

Bernardus Serm. in cœna Domini.

De transsubstantiatione dogma probatur.

Lib. 5. aduersus hæreses. cap. 2.

Cyprian. de cœna Domini.

Ambros. lib. 4. de fide ad Gratianum Augustū. c. 5. 1. Cor. 11. 26.

Idem lib. de iis qui mysteriis initiātur. c. 9.

natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maiorémque vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam[a] *tenebat Moses, proiecit eam, & facta est serpens: rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia, bis mutatam esse naturam, & serpentis & virgæ?*[b] *Currebant Aegypti flumina puro aquarum meatu, subitò de fontium venis sanguis cœpit erumpere, non erat potus in fluuiis. Rursus ad Prophetæ preces cruor cessauit fluminum, aquarum natura remeauit.*[c] *Circumclusus vndique erat populus Hebræorum, hinc Aegyptiis vallatus, inde mari clausus: Virgam leuauit Moses, separauit se aqua, & in murorum speciem congelauit, atque inter vndas via pedestris apparuit.*[d] *Iordanis retrorsum conuersus contra naturam in sui fontis reuertitur exordium. Nónne claret naturam vel maritimorum fluctuum, vel fluuialis cursus esse mutatam?*[e] *Sitiebat populus Patrum, tetigit Moses petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, & aquam moueret petra, quam non habebat natura?*[f] *Marath fluuius amarissimus erat, vt sitiens populus bibere non posset. Misit Moses lignum in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subitò gratia temperauit:*[g] *Sub Helisæo Propheta, vni ex filiis Prophetarum excussum est ferrum de securi, & statim mersum est. Rogauit Helisæum qui amiserat ferrum: misit etiam Helisæus lignum in aquam, & ferrum natauit: vtique & hoc præter naturam factum esse cognoscimus. Grauior est enim ferri species, quàm aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris esse virtutis gratiam quàm naturam, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quòd si tantùm valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantùm valuit sermo Heliæ, vt ignem de cælo deponeret,*[h] *non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum. De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare, quàm mutare naturas.* Certè si in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remaneret substantia panis, neque in eo contineretur Christi corpus, non careret reprehensione Ambrosius quòd rem facilem, & minimè mirandam tot miraculis confirmare sit conatus. Ac ne temerè hæc tanto viro excidisse dicas, adiiciam & aliàs eiusdem, sententias, vt Caluinum tuum apertè deceptum esse, omnes intelligant, têque cum tuo *nouo commento* grauiter hallucinatum. Ait ergo Ambros. *Tu forte dicis: Meus est panis vsitatus, sed panis iste, panis est, ante verba Sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus, quomodo potest qui panis est,*

Margin notes: Humana benedictione mutatur rerum natura. — [a] Exod. 4. 3. — [b] Exod. 7. 17. — [c] Exod. 14. 16. — [d] Iosue 3. 16. Psal. 113. 3. — [e] Exod. 17. 6. Psal. 77. 15. — [f] Exod. 15. 25. — [g] 4. Reg. 6. 5. 6. — [h] 4. Reg. 1. 10 & 12. — Consecratio diuina quantū possit. — Idē Ambros. lib. 4 de Sacram c. 4. & de cōsecr. d. st. 2. c. Panis est.

corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu: Nam reliqua omnia quæ dicuntur, Laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: Vbi venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis Sermonibus Sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi: Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is à quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cælum. Iussit Dominus, & facta est terra. Iussit Dominus, & facta sunt maria. Iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant: quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Ergo tibi vt respondeam, non erat corpus Christi ante Consecrationem, sed post Consecrationem dico tibi, quòd iam corpus est Christi: ipse dixit, & factum est: ipse mandauit, & creatum est. Nescio sanè quid de vobis Caluinianis sentiam, qui in luce clarissima nihil omnino videtis, cùm Christianum dogma, Veterum scriptis illustratum, pro vestra libidine *nouum cōmentum* appellatis. Adiungo & tertiā eiusdem Auctoris sententiā. *Vide singula, Qui pridiè quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequàm consecretur, panis est: vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem, Accipite & edite ex eo omnes, Hoc est corpus meum. Et ante verba Christi, Calix est vini & aquæ plenus, vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergò videte quantis generibus, potens est sermo Christi vniuersa conuertere.* Atque vt scias summam fuisse in hoc fidei dogmate Græcorum, cum Latinis Patribus consensionem, aliquot Græcorum Doctorum (qui in Christi Ecclesia floruerunt) sententias afferam; ac primùm Gregorij Nysseni: *Hic panis, vt ait Apostolus, per verbum Dei, & orationem sanctificatur,*[a] *non quia comeditur, eo progrediens, vt Verbi corpus euadat, sed statim per verbum in corpus mutatur, vt dictum est à Verbo, quoniam hoc est corpus meum.*[b] Si panis per verbum mutatur in corpus, non ergo amplius est panis. Explica nobis hanc panis in Christi corpus mutationem. Pete à Gebennensibus Philosophis subsidium, vt ad certam mutationem Aristoteleam Gregorij orationē reuoces. Quid præterea Eusebio Emisseno respōdebis, qui Transsubstantiationē vetus esse Christianæ fidei dogma testatus est. *Quia corpus* inquit *assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat, vt nobis in hac die Sacramentum corporis, & sanguinis sui consecraret: vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium, vt quia quotidiana, & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Verè amica & perfecta hostia, fide æstimanda non specie: nec exteriori cen-*

Sermo Christi sacramentum conficit.
Genes.1.
Psal.148.5.
Idē Ambros. lib.4. de Sacram. cap.5.
1. Cor.11. 23. 24.
Matt.26. 26.
Greg. Nyssen. in oratione catechetica de trāsmutatione Dominici corporis & sanguinis teste Euthymio in Panoplia titulo 21.
a 1. Tim.4.5.
b Matth. 26. 26.
Euseb. Emis. homilia 5. de Paschate & de consecrat. dist.2. c. quia corpus.
Oblatio cur perennis esse debuit.

senda

ſenda viſu, ſed interiori affectu. Vnde meritò cœleſtis cõfirmat auctoritas:[a] *Quia caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor eſt muneris, ipſe etiã teſtis eſt veritatis. Nam inuiſibilis Sacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ſui, verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens: Accipite, & edite.*[b] *Hoc eſt enim corpus meum, & ſanctificatione repetita: Accipite, & bibite, Hic eſt ſanguis meus. Ergo ſicut ad nutum præcipientis Domini repentè ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cælorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum, pari potentia in ſpiritualibus Sacramentis verbo præbetur virtus, & rei ſeruit effectus. Quanta itaque, & quam celebranda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur, attende: & vt tibi nouum, & impoſſibile non debeat videri, quòd in Chriſti ſubſtantiam, terrena & mortalia commutantur, teipſum, qui iam in Chriſto es regeneratus, interroga.*

a Ioan. 6. 55.

Viſibiles creaturæ in ſubſtantiam corporis Chriſti conuertuntur.

b Matt. 26. 26.

Vi diuinæ benedictionis terrena conuertũtur in Chriſti ſubſtãtiam.

Euolue, tuo, id eſt, Caluiniano more, ſingula orationis huius verba, vt ex tuis inuolucris, nouam euadendi ex Euſebij laqueis viam Symmyſtis tuis proferas. Venio ad Cyrillum Ieroſolymitanum, qui pluribus in locis Tranſubſtantiationis veritatẽ confirmat, ſcribens:[c] *Panis, & vinum Eucharistiæ, ante ſacram inuocationem adorandæ Trinitatis, panis & vinum erat merum, peracta verò inuocatione, panis quidem fit corpus Chriſti, vinum autem ſanguis Chriſti.*[d] Et alio loco, *Panis Eucharistiæ poſt ſancti Spiritus inuocationem, non amplius eſt panis communis, ſed eſt corpus Chriſti.* Et alibi:[e] *Aquam aliquando mutauit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ, ſola voluntate, & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in ſanguinem Transmutaſſet?* Si peracta inuocatione, Panis fit Corpus Chriſti, & Vinum ſanguis Chriſti, poſt inuocationem ergo non erunt amplius Panis & Vinum: & ſi Dominus Vinum in ſanguinem transmutauit: vera eſt noſtra de Tranſſubſtantiatione doctrina: Aut certè, vt eam falſam eſſe probes, nouum aliquod aliud commentum afferas opus eſt.

Trãſſubſtantiatio probatur.

c Cyr. Ieroſol. Catecheſi myſtagogica prima.

d Catecheſi myſtagogica 3.

Ioan. 2. 9.

e Catecheſi myſtagogica 4.

Cum Cyrilli Ieroſolymitani ſententiis, luculentam hanc Cyrilli Alexandrini (quæ veſtras ineptias diſpellet) orationem coniungam[f]. *Ne horreremus carnem, & ſanguinẽ appoſita ſacris altaribus, condeſcendens Deus noſtris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in proprietatem propriæ carnis.* Eſt, auctore Cyrillo, oblatorum in proprietatem carnis Chriſti Domini conuerſio: ſi Tranſſubſtantiationẽ non intelligit, neceſſe eſt, modò temerariæ impudentiæ notam velis effugere, nobis aliam excogites ab eo cognitam Conuerſionem.

f Cyril. Alex. in epiſtola ad Caloſyrium.

Cur ſub ſpecie panis detur caro Chriſti.

Chryſoſtomus etiam variis in locis cõtra vos teſtimonium dicit[g], *Non ſunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa Cœna confecit: ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit: miniſtrorum nos ordinem tenemus, qui verò hæc ſanctificat, & transmutat, ipſe eſt.* Et alio loco,[h] *Num vides panem? num vinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? abſit. Ne ſic cogites. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita, illi aſsimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet: ſic & hic puta myſteria conſumi corporis ſubſtantiá.*

g Chryſoſt. homil. 83 in Matth.

h Idẽ Chryſo. in ſermon. de Eucharistia in Encaniis.

Habes

Habes auream orationem, quæ splendore suo tenebricosis vestris luminibus officiet. Panis & vinum, ex sententia D. Chrysostomi, Dei omnipotentis vi Transmutantur, & consumuntur corporis substantia. Quid amplius à nobis expectas, vt te cum Magistro tuo Caluino, mentiri conuincamus, Transsubstantiationé veteribus fuisse cognitam inscitè negantê? Longũ esset omnia, quæ hac de re disserit B. Ioannes Damascenus, describere. Excerpam ergo pauca, quibus si fidem adhibueris, commentum tuum in Christianum dogma commutabis. *Quemadmodum omnia* (inquit ille) *quæcunque fecit Deus, Spiritusancto operante fecit: Sic & nunc Spiritussancti operatione hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides. Quomodo fiet mihi istud, dicit sancta Virgo, quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel Archangelus: Spiritussanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, & nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi, & vinum & aqua sanguis Christi? Respondeo tibi & ego, Spiritussanctus obumbrat, & hæc operatur super sermonem & intelligentiam. Panis autem & Vinum Transsumuntur.* Et paucis interiectis: *Neque & hoc etiam dictu promptum, quo modò naturaliter per comestionem panis, & vinum: & aqua per potionem, in corpus & sanguinem comedentis & bibentis Transmutatur, & non fit aliud corpus, præter id quod prius erat ipsius. Sic & Propositionis Panis, Vinúmque & aqua, per inuocationem & aduentum Spiritussancti supernaturaliter Transmutatur in Corpus & Sanguinem Christi.* Si verè scripsit Damascenus panem & vinum Transsumi, & Transmutari, Transubstantiationem iure negare non poteris. Atque tandem hunc locum sic concludat Theophylactus, *Dicens, Hoc est corpus meum, ostendit quòd ipsum corpus Domini, est Panis qui sanctificatur in Altario, & non respondens figura: Non enim dixit, Hoc est figura: sed, hoc est Corpus meũ. Ineffabili enim operatione Transformatur, etiamsi nobis videatur Panis: quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem: & ideo Panis quidem apparet, sed reuera caro est.* Et alio loco, *Hoc est corpus meum, hoc inquam, quod sumitis. Non enim figura tantùm; & exemplar quoddam Dominici corporis panis est, sed in illud ipsum Conuertitur Corpus Christi, Dominus enim dicit, Panis quem ego dabo caro mea est, non dixit figura carnis mea, sed caro mea est. Et iterum: Nisi ederitis carnem filij hominis. Et quomodo, inquis, caro non videtur? O homo propter nostram infirmitatem istud fit. Quia enim panis quidem, & vinũ ex his sunt quibus assueuimus, ea non abhorremus: sanguinem verò propositum & carnem videntes, nõ ferremus, sed abhorreremus: idcirco misericors Deus nostræ infirmitati condescendens, speciem quidem panis & vini seruat, in virtutem autem carnis & sanguinis Transelementat.* Et alibi: *Attende autem quòd panis qui à nobis in mysteriis manducatur, non est tantùm figuratio quædam carnis Domini, sed ipsa Caro Domini.*

Ioan. Dama. lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14.

Luc. 1 34 35.

Vt cibus in corpus sic panis in Carnem Christi transmutatur.

Theophyla. in 26. c. Mat.

Carnes crudas comedere abhorremus.

Idẽ Theophyl. in c. 14. Marc.

b Ioan. 6. 51.

Ibidem 53.

Theophyl. in c. 6. Ioan.

Domini. Non enim dixit: Panis quem ego dabo figura est carnis, sed caro mea est. Transformatur enim arcanis verbis Panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem sancti Spiritus in Carnem Domini, Et paucis interiectis: *Quomodo, inquis, non apparet nobis caro, sed panis? vt non abhorreamus ab eius esu. Nam siquidem caro apparuisset, insuauiter affecti essemus erga cõmunionem. Nunc autem condescendente Domino nostræ infirmitati, talis apparet nobis mysticus cibus, qualibus alioquin assueti sumus.* Atque hæc de Patrũ, qui Transubstantiationem probarunt, sententiis dicta sint. Quid etiam respondebis, si Lutheranos & Caluinianos tuos Transsubstantiationẽ probare docuero? Magnus itaque ille tuus Beza, cùm Lutheranos suo more petulanter exagitaret, inter alia & hanc orationem scripto consignauit. *Hoc quidem sæpè diximus, quod nunc quoque repetam, re- ipsa non posse retineri τὸ ῥητὸν in his Christi verbis, Hoc est corpus meum, quin Transsubstantiatio Papistica statuatur.* At Lutherani τὸ ῥητὸν certissimis argumentis retinendum probarunt: Transsubstantiatio ergo est Christianæ fidei dogma. Si negaueris τὸ ῥητὸν esse retinendum, cùm omnia ad scriptum Verbum reuoces, erit tibi sudandum, vt Scripti Verbi testimonio τὸ ῥητὸν te meritò reiicere doceas. Ad tuas ineptias redeo. *Beza in tract. de cæna Domini contra VVestphalũ.*

CAPVT XXXIII.

MINISTER. pag. 6.

T*Otam autem illam siue Lateritiam siue Latrocinantem Lateranensis Concilij molem antiquioribus Romanæ Ecclesiæ Decretis deturbari profligarique debere, vel vnus testis fuerit Pythagoras ille vester, Thomas qui eo nomine perpetuum cum Innocentio bellum gessit, vt Romanæ Ecclesiæ de Transsubstantiatione sententiam sartam tectámque tueretur.*

CATHOLICVS.

Quid iuuat petulanter in sacrosanctum Lateranense Concilium inuehi? *Nihil est facilius quàm maledicere*, vt tu verè in *frontispicio* tui libri scripsisti. Ais verò, Minister, D. Thomam perpetuum cum Innocentio bellum gessisse: Quod tibi probandũ erat, aut si aliquando Innocentij, & D. Thomæ libros legisti, facilè fuit Lectorem, Locorum notatione, magno euoluendi varia horum opera, leuare. Vterque sanè Transsubstantiationem probat: Ac de Innocentio nec tu ipse inficiaris cùm eum Decreti illius scribas fuisse auctorem, quod tibi, pro tua Caluiniana modestia, *nouum commentum* appellare visum est. Ac ne vllus sit dubitandi locus, eandem de Transsubstantiatione Veritatem confirmat Innocentius, aiens, *Cùm enim Sacerdos illa Christi verba pronunciat, Hoc est corpus meũ,* *Pag. 3.* *Innocent. PP. 3. mysteriorum Missæ. lib. 4. cap. 7.*

Hic est sanguis meus, panis & vinum in Carnem & Sanguinem conuer-
a Ioan.1.14. *tuntur, illa verbi virtute, qua Verbum* [a] *caro factum est & habitauit in*
b Psal.148.5. *nobis.* [b] *Qua dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt: Qua fœ-*
* Gen.19.26. *minam mutauit * in statuā †, & virgam conuertit in colubrum: Qua*
† Exod.4.3. *fontes* [c] *mutauit in sanguinem: & aquam* [d] *conuertit in vinum. Nam*
c Exod.7.20. *si verbum* [e] *Heliæ potuit ignem de cælo deponere, Verbum Christi non*
d Ioan.2.9. *potuit panem in carnem mutare? Quis hoc audeat opinari de illo, cui*
e 4.Reg.1.10.12 *nullum verbum* [f] *est impossibile, per* [g] *quem omnia facta sunt, & sine quo*
f Luc.1.37. g Ioan.1.3. *factum est nihil? Certè maius est creare quod non est, quàm mutare quod est: ac longè maius, quod non est, de nihilo procreare, quàm quod est in aliud transmutare. Illud autem nemo est qui dubitet, & de hoc aliquis dubitabit? Absit omnino. Incomparabiliter maius est, quòd Deus ita factus est homo, quòd non desiit esse Deus, quàm quòd panis ita fit Caro quòd desinit esse panis. Illud per Incarnationem semel est factum, istud per Consecrationem iugiter fit. Sed dixerit aliquis. Certus sum omnino quod valet, sed non sum certus aliquo modo quòd velit. Aduertat ergo,*
h Matt.26.26. *quod Christus cùm accepisset panem, benedixit, & dixit,* [h] *Hoc est cor-*
Marc.14.22. *pus meum. Veritas enim hoc dixit, & ideò verum est omnino, quod dixit.*
Luc.22.19. *Quod ergo panis fuerat cum accepit, corpus suum erat cùm dedit. Panis*
1.Cor.11.24. *itaque mutatus erat in corpus ipsius, & similiter vinum in sanguinem. Non enim vt hæreticus sapit, sed desipit, ita debet intelligi quod Domi-*
i 1.Cor.10.4. *nus ait, Hoc est corpus meum, id est hoc signat corpus meum, sicut quod dicit Apostolus,* [i] *Petra autem erat Christus, id est petra significabat Christum.* Et paucis interiectis, *Sicut autem Ioannes Baptista quod di-*
k Ioan.1.29. *xerat,* [k] *Ecce agnus Dei, per adiunctum determinauit, Ecce qui tol- lit peccata mundi: Sic & Christus quod dixerat, Hoc est corpus meum,*
l 1.Cor.11.24. *per adiunctum determinauit* [l] *quod pro vobis tradetur. Sicut ergo Cor- pus Christi veraciter tradebatur, ita verè demonstrabatur, non in figu- ra, quæ iam cessauerat, sed in veritate, quæ iam aduenerat.* Et ne om-
m 3.Reg.17.16. nia describam, caput illud his verbis concludit. [m] *Sicut vidua Sare- ptana quotidie comedebat, & nunquam diminuebat farinam de hydria, oleum de lecytho, sic vniuersalis Ecclesia quotidie sumit, & nūquā con- sumit carnem, & sanguinem Iesu Christi, sub diuersa specie Sacramen- ti. Sicut ergo corpus Christi quotidie manducatur, & non deficit nec decrescit, ita panis quotidie transit in corpus Christi, sed ipsum corpus nec in aliquo proficit, nec accrescit. Non enim de pane, vel de vino mate- rialiter formatur caro, vel sanguis. Sed materia panis, & vini mutatur in substantiam carnis, & sanguinis, nec adiicitur aliquid corpori, sed transsubstātiatur in corpus.* D. Thomas (quem tu [illegible] Pythagoram
Thomas 3. parte quæst. 75. art. 4. appellas) ab Innocentio (quod ad Trāsubstantiationem attinet) non dissensit, vt sequens ipsius oratio non obscurè testatur. *Deus est actus infinitus, vnde eius actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solum potest perficere conuersionem formalem, vt scilicet diuersæ formæ sibi in eodem subiecto succedant: sed conuersionem totius entis, vt scilicet tota sub-*

tota substantia huius conuertatur in totam substantiam illius. Et hoc agitur diuina virtute in hoc Sacramento: Nam tota substantia panis conuertitur in totam substantiam Corporis Christi, & tota substantia vini, in totam substantiam Sanguinis Christi. Vnde hæc conuersio non est formalis, sed substantialis: nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici trãssubstantiatio. De tuo bello, quod scribis D. Thomam cum Innocentio gessisse, summum est silentium. Profer saltem libros in quibus belli huius mentio facta est, vt duos hos grauissimos Auctores inter se, sine vestra opera, conciliemus. Qualis sit Transsubst. conuersio.

MINISTER. pag. 68. & 69.

Vt vberiorem huius controuersiæ siue ἀντιλογίας considerationem opportuniori loco relinquamus, hoc à vobis quærimus, Iesuitæ: Ecclesiane Romanæ dogma de Transsubstantiatione retinetis, necne? Si repudiatis, quid moratur Ecclesia Romana, quin vos ἀποσυναγώγους è communione sua exterminet: & vos tantùm minuat, quantùm auxit? Sin retinetis, hoc dicimus, hoc affirmamus, Vos non modò absurda, sed penitus impossibilia conferruminare, id est asserimus quod supra est à nobis demonstratum. Disparatas planè esse & ἀντιφατικῶς ἐναντίας propositiones has, Panem Eucharistiæ transsubstantiari in corpus Christi, & vinum in Sanguinem, & (vt vos dicitis) corpus Christi sub forma panis contineri, &c.

CATHOLICVS.

Si tibi suppetunt argumenta, quibus te, de Transubstantiatione dogma, improbare posse existimas: Cur nunc temporis cùm tibi nemo certos disputandi fines præscripsit, ea in medium, vt à nobis dissoluerentur, non attulisti? Quid opus fuit in Scholasticorum opinionibus commemorandis immorari, & quæ, tuo iudicio, maximè pro vobis facere videntur silentio præterire? Nihil in Thesibus nostris de Transsubstantiatione, fidei Catholicæ repugnans, legisti. Nos nulla ἄτοπα, nedũ ἀδύνατα *conferruminauimus.* Disce à Dialecticis an eædem Propositiones inter se *Disparata,* & ἀντιφατικῶς ἐναντίαι sint. Nunquam probabis enunciata illa *Panem Eucharistiæ trãssubstantiari in corpus Christi,* & *corpus Christi sub forma panis contineri*, inter se dissidere. Quæ enim suprà à te de *Continere* & *Contineri*, allata sunt, inscitiam tuam planè produnt, vt ex iis, quæ paulò antè à me disputata sunt, eruditus Lector iudicare facilè poterit. Atque vt de tua amentia (quæ te impulit vt Scholasticis Doctoribus *Tragelaphos Centauros, Pegasos, Chimæras, Gorgonas, monstrosarúmque aliarum naturarum importuna & ridicula commenta* impudenter tribueres nihil dicam, ad alia pergamus obsecro. Pag. 72.

CAPVT XXXIIII.

MINISTER. pag. 73.

Licet aduersus Caluini quam vocatis heresin, oratio illa vestra(pro Christi corpore portionem panis comedere, & omnipotentiam Dei in angustias quasdam redigere) propriè debacchetur, nemini tamen obscurum est, Caluini nomine, Ecclesias nostras inuidiosè notari: quæ non Caluini quidem doctrinam, sed veritatem ex puro Verbo Dei fideliter à Caluino expressam constanter amplectantur, &c.

CATHOLICVS.

Si *vestra Ecclesia veritatem ex puro Verbo Dei fideliter à Caluino expressam constanter amplectuntur*, non solo igitur Dei Verbo contenti estis, cùm Caluini operam, vt ex Dei Verbo Veritas exprimeretur, necessariam fuisse, profiteamini. Et, si Caluinus, quam Ecclesiæ vestræ amplectuntur, Veritatem expresit, ante Caluinum nemo fuit in Christiano orbe cui hæc vestra Veritas cognita fuerit, atquè perspecta. Huius vestræ Veritatis nouitas, nobis Christianis, qui Antiquitatem suspicimus, & summam veteris Ecclesiæ in fidei rebus cõsensione vestræ dissensioni semper opponimus, meritò est suspecta. In eo deinde quod ais *nostrum fuisse locos notare in quibus Caluinus modo aiens, modo negans, portionem panis pro vera Christi corpore sectatoribus suis obtrudat*, grauiter hallucinaris: Atque vt tuo te gladio cõfodiã, magnus ille tuus Theologus Beza in Thesibus Geneuæ disputatis 5. Aprilis anno 1582. ne vnum locum notauit, quamuis inter detestanda, quæ ipse appellat, dogmata, quod sequitur octauo loco numeret: *Christum conciliare bonis nostris operibus dignitatem meriti, quod est nonum Iesuitarum commentum.* Quod Bezanæ Doctrinæ repugnat, commentum est scilicet. Conuerte orationis tuæ aci leos in Præceptorem tuum, qui fortassis te monitore locos ex quibus sua excerpsit commenta, vt respondere possimus, in lucem proferet. Tu igitur audacter (nescio tamen quo ore) vt quibus in locis Caluinus secum pugnet doceamus, à nobis exigis, cùm tamen Claudius Sanctesius Episcopus Ebroicensis hoc pridem diligẽter præstiterit. Verùm, vt tibi, modestissimo Caluini discipulo, morem hac in re geram: Quòd à nobis fieri cupis, paucis perficiam. Atque vt tecum tabellis obsignatis agam, Hæc perpende diligenter, quæ ex Caluini libris descripsi[g]. *Mihi verò adeo molestum non est, in Cõcilio Romano, cui prefuit Nicolaus secundus: & Vercellensi, quod auspiciis Gregorij septimi coactum est, damnatam fuisse quam sequor doctrinam, vt mihi eo nomine plurimum gratuler, quòd manifestis Dei hostibus & Antichristis semper exosam fuisse video. Certè eorum approbatio suspectam quodamodo ipsam mihi redderet.* Quòd ait (vt obiter hoc dicã) *Vercellense Cõciliũ Gregorij septimi auspiciis fuisse coactũ*, parum se in historiis fuisse versatũ prodit [h], cũ Leo nonus Conciliũ Vercellense coegerit.

Minister Bezam negligentiæ condemnat.

Cl. de Sainctes in exam. doct. Caluin. & Bezana de Cæna.

g In vltim. admonitione ad Ioachimum VVestphalũ. vide tractatus omnes Theologicos Caluini Geneuæ apud Petrum Santandreanum anno 1576. pag. 1098.

b Guitmdus lib. 1. de Sacram.

gerit. Fatetur ergo doctrinam suam in Conciliis Romano, & Vercellensi damnatam, quare Berengarij hæresim tuetur. Qualis autem ea fuerit, te non latet, qui sic Berengarij Palinodiam descripsisti, vt qui Scriptum tuum legerit, te nunquam Ius Canonicum vidisse facile cognoscat. Nullam enim in Iure Canonico Distinctionem inuenio, cuius inscriptio sit, *Ego Berengarius*, vt tu somnias. *Anathematizo* (inquit Berengarius) *omnem hæresim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur panem, & vinum quæ in altari ponuntur post consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & non posse sensualiter, nisi in solo Sacramento manibus Sacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri.* Profitetur ergo Caluinus in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, tantùm esse panem & vinum, & non Christi corpus: Rectè ergo scripsimus, *Caluinum elabi non posse quin pro Christi corpore, se panis portionem sectatoribus suis obtrudere confiteatur.* Et quamuis hic vnus locus adeò sit perspicuus, vt de Caluini sententia nemo dubitare possit, ex aliis eiusdem libris afferre non grauabor, quæ tuam incredibilem vanitatem magis prodent. *Tametsi carnem suam à nobis sustulit, & corpore in cælum ascendit, ad dexteram tamen Patris sedet: hoc est in potentia & maiestate & gloria Patris regnat. Hoc regnum nec vllis locorum spatiis limitatum, nec vllis dimensionibus circunscriptum, quin Christus virtutem suam, vbicunque placuerit, in cælo & in terra exerat: qui se præsentem potentia & virtute exhibeat, quin suis semper adsit, vitam ipsis suam inspirans, in iis viuat, eos sustineat, confirmet, vegetet, conseruet incolumes, non secus, ac si corpore adesset: quin denique suo ipsius corpore eos pascat, cuius cõmunionem spiritus sui virtute in eos transfundit, secundum hanc rationem, corpus & sanguis Christi in Sacramento nobis exhibetur.* Fatetur Caluinus virtute tantùm, & potentia corpus, & sanguinem Christi nobis in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento exhiberi. Et alio loco, *Longè autem falluntur qui nullam carnis Christi præsentiam in Cœna concipiunt nisi in pane sistatur. Ita enim arcanæ Spiritus operationi, quæ nobis Christum ipsum vnit, nihil reliquum faciunt. Christus præsens illis non videtur nisi ad nos descendat. Quasi verò si ad se nos euehat, non æquè potiamur eius præsentia. Ergo tantum de modo quæstio est: quia Christum ipsi in pane locant, nobis autem non ducimus fas esse eum è cælo detrahere. Vtrum rectius sit iudicent lectores. Tantum facessat calumnia illa, auferri Christum à sua Cœna nisi sub panis integumento lateat. Nam quum mysterium hoc cæleste sit, necesse non est, Christum elicere in terras, vt nobis sit coniunctus.* Negat Christum esse in terris, quare non est in Sacramento. Et, si Christus Dominus ad se vos euehit, ergo vos nunc in cælis estis. Quod si ita sit, nos Catholici hallucinamur, qui vos in terra degere existimamus. Eripite nobis hunc errorem, aut vos à Caluino decipi, credito.

Pag 64. De consecrat. dist. 2. c. ego Bereng.

Caluinus Berengarij hæresim secutus solum signum in cœna agnoscit.

Caluin lib. 4. Instit. cap. 17. § 18.

Corpus Christi virtute solùm & potentia in cœna exhiberi Caluinus asserit.

Idē Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17 § 31.

Caluinistæ Cœnantes euehuntur in cælum.

Idē Caluin. in consensione mutua in re Sacramentaria Ministrorū Tigurinæ Ecclesiæ & Ioannis Caluini.

Idé Cal. qui probè nunc ad Lutheranorū, nūc ad Zuinglianorū prout suis rebus expedire iudicabat, arbitriū & nutū fingere orationē cōsue uerat, Tigurinis se planè Zuinglianū esse, persuadere conatus est, his verbis: *Materia aquæ, panis, aut vini, Christum non nobis offert, nec spiritualiū eius donorū compotes nos facit, sed promissio magis spectāda est: cuius partes sunt, nos recta fidei via ad Christum ducere, quæ fides nos Christi participes facit.* Negat Caluinus Sacramēta nobis offerre Christū, solā autem fidem esse existimat, quæ nos Christi participes facit. Et in eadem Consensione, *Christus* (inquit) *quatenus homo est, non alibi quàm in cælo, nec aliter, quàm mente & fidei intelligentia, quærendus est. Quare peruersa, & impia superstitio est, ipsum sub elementis huius mundi includere.* Si Christus non alibi, quàm in cælo quærendus est, Caluiniani Ministri tantùm panis portionem, & non Christi Domini corpus suis obtrudunt Sectatoribus. Denique sic Consensionem illam concludit: *Ac ne qua ambiguitas restet, quum in cælo quærendum Christum dicimus, hæc locutio, locorum nobis distantiam sonat & exprimit. Tametsi enim philosophicè loquendo, suprà cælos locus non est: quia tamen Corpus Christi, vt fert humani corporis natura & modus, finitum est, & cælo, vt loco continetur: necesse est à nobis tanto locorum interuallo distare, quanto cælum abest à terra. Quòd si imaginatione nostra Christum pani, & vino affigere fas non est, multò minus licet eum in pane adorare. Quanquam enim panis, in symbolum, & pignus eius, quam habemus cum Christo cōmunionis, nobis porrigitur: quia tamen signum est, non res ipsa, neque rem in se inclusam habet, aut affixam, Idolum ex eo faciunt, qui mentem suam in eum conuertunt, Christum adoraturi.* Vult itaque Magister tuus, vt quæratur Christus Dominus in cælo, ac à Synagogæ vestræ pane, tanto absit interuallo, quanto cælum à terra disiungitur. Et tu tamen criminis loco nobis obiicis, quòd *Caluinum*, scripsimus *pro Christi Domini corpore, Sectatoribus suis portionem panis obtrudere.* Si instituta breuitas pateretur, aliis eiusdem sententiis, Christū Dominū à sanctissimo Eucharistiæ Sacramento omnino eū seiunxisse, facilè probarem. Verùm tuus Beza hac in re non minus quàm ille varius fuit & inconstans, quod neque tu, si sequentia consideres, inficiaberis. *Hactenus*, ait Beza, *præsentiam corporis, & sanguinis ponimus, non quòd nunc sit in terra Christi caro, sed quòd manens in cælis, nobis tamen per fidem in cælum vsque euectis, verè per Spiritussancti omnipotentiam communicetur in vitam æternam. Quatenus dicamus Christi sanguinem, & corpus abesse, iam anteà sum testatus. Hactenus videlicet, vt sciamus nunc illa in cælis, & non alibi, nos autem in terris, & non alibi, & tamen virtute spiritus fieri, vt corpore & sanguine Christi pascamur, quia fidei est præsentissimum, quod tantùm locorū interuallo est disiunctissimum.* Fide tantùm, ex eius sententia, corpore, & sanguine Christi pascimur, non ergo in Eucharistia est Christi corpus, quare erit Eucharistiæ panis, corpore Christi nudus: Et qui

Christus nō est in Sacramento ex Caluini sententia.

Perpēde hęc Minister.

Portio panis tantum in Cœna Caluiniana.

Beza lib. 1. de re Sacramentaria.

Fide tantum non re ipsa Corpus Christi est in Sacramēto, si Bezæ creditur.

Eucharistiam dat, aut accipit, panem tantùm, & non Christi corpus dare, aut accipere ex vestræ doctrinæ Principiis conuincitur. Ac ne de Bezana minus quàm Caluiniana sententia lector certus sit, adiiciam & aliam Bezæ orationem, qua perspicuis verbis testatur Corpus & sanguinem Domini, fide tantùm in Eucharistia accipi. *Minimè*, inquit, *ambigimus quin sicut ordinationis verba testantur, verū corpus, & verus sanguis Domini, id est, ipse Iesus Christus cum omnibus suis opibus, verè & sine vlla fraude offeratur, non ore, sed fide, per Spiritus sancti efficaciam percipiendus ad vitam æternam, idq, non minus verè quàm corporeis nostris sensibus offeruntur panis & vinum, quæ propterea etiam vocantur corpus & sanguis Iesu Christi, quoniam videlicet certa sunt nota, & tessera visibiles & corporea, earum rerum quas nobis Dominus spiritualiter offert, id est, veri corporis & sanguinis Iesu Christi.* Et infrà, *Instrumentum quo Christus recipitur fides est*. Hæc Bezana doctrina, Caluinum pro Christi corpore panis portionem Sectatoribus suis obtrudere, maximè confirmat. Si enim Christus Dominus, *non ore, sed fide offertur percipiendus*, & si *Instrumentum, quo Christus recipitur est fides*, Ergo Ministri manibus non datur Christus, sed tantùm panis. Si enim Caluini Minister, manibus suis dat Christum, erit in terris Christus, aut certè immensa brachiorum Ministri longitudo in cælos penetrabit, vt Christum Dominum Caluiniana vi à dextris Patris æterni deturbatum, iis obtrudat Minister, quibus ad Caluini præscriptum Cœnam dare consueuit. Et cùm fide, tanquam instrumēto recipiatur Christus, lubenter à te discerem, quo instrumento detur Christus. Manibus enim hominis non video, qua ratione à vobis dari possit, cùm à mortalium nemine, vestro iudicio, tractari possit. Scio incredibile Bezæ hac in re esse acumen, qui secum ipse ad hūc modum disserit. *Quæstio, ergo integrum quoque Sacramentum præbent indigni Ministri. Responsio. Concedo. Quæstio, Ergo accipiunt quoque integrum Sacramentum quamuis indignè accedentes, quum id accipiunt quod præbetur. Responsio. Sæpe sum miratus spiritum erroris eficaciam in hac planè sophistica conclusione. Error autem vnus alterum peperit. Hoc enim constituto, vtrunque, id est, tum elementa, tum rem significatam, id est, Christum cum ipsius donis corporis, & quibusuis præberi, concluserunt nonnulli à quibusuis qui elementa acciperet, rem quoque accipi. At istud eorum fundamentum falsissimum est. Nec enim res Sacramenti (id est Christus ipse) manibus & ori, sed menti & fidei offertur, spiritualiter nimirum apprehendendus, sicuti corporea signa sensibus externis testificantur.*

Idem Beza in confessione Christiana fidei. cap. 4. art. 50.

Fides instrumentum est quo Christus in cœna sumitur, iuxta Bezam.

Beza in lib. quæstionū & responsionum Christianarū de Sacramentis quæst. 199.

Respondeat Beza te monitore, cùm nondum è viuis excesserit; Si Christus non manibus & ori, sed menti, & fidei offertur, ergo Apostoli neque manibus tractarūt, neque ore comederūt corpus Christi Domini, sed mente, & fide tantùm. Et tamen præcepit illis Christus Dominus vt acciperent & comederent corpus suum, *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum*. Ac ne in re perspicua operam consummam

Matt. 26. 26.

Beza in libro qui inscribitur, Ample discours des Actes de Poissy. 1561. contra Caluinianorum excusso anno 1562.

sumant, quid hac de re senserit Beza, testis est illa, quam Pisiaci ad Christianissimum Regem Carolum habuit, oratio. *Quant à la distance des lieux, Iesus Christ est esloigné du pain & du vin, autant que le plus haut ciel est esloigné de la terre, attendu que nous & les Sacremens sommes en terre, & sa chair est au ciel.* Habes ergo quibus in locis Praeceptores tui, Christum Dominum ab Eucharistiae Sacramento tanto ablegant interuallo, quanto caelum à terra seiungi videmus. Adducam & Caluini locos, in quibus Christum Dominum cum panis & vini symbolis coniungit, quò intelligas verum esse, quod in Thesibus nostris de Caluino diximus, eum nempe modo affirmare, modo negare. Atque vt ab Institutionibus ordiar.

Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. § 10.

Summa sit, (inquit ille) *non aliter animas nostras carne, & sanguine Christi pasci, quàm panis & vinum corporalem vitam tuentur, & sustinent. Neque enim aliter quadraret analogia signi, nisi alimentum suum animae in Christo reperirent, quod fieri non potest, nisi nobiscum Christus verè in vnum coalescat, nosque reficiat carnis suae esu, & sanguinis potu. Etsi autem incredibile videtur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis sit in cibum, meminerimus quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, & quàm stultum sit eius immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, spiritum verè vnire, quae locis disiuncta sunt. Iam sacram illam carnis & sanguinis sui communicationem, qua vitam suam in nos transfundit Christus, non secus ac si in ossa & medullas penetraret, in Coena etiã testatur & obsignat: & quidem non obiecto inani aut vacuo signo, sed efficaciam Spiritus sui illic proferens, qua impleat quod promittit. Et sanè rem illic signatam offert, & exhibet omnibus qui ad spirituale illud epulum accumbunt, quanquam à fidelibus solis cum fructu percipitur, qui tantam benignitatem vera fide animique gratitudine suscipiunt* Et paulò pòst. *Nisi quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipso Symbolum proponi, nunquam dicere audeat. Itaque si per fractionem panis Dominus corporis sui participationem verè repraesentat., minimè dubium esse debet quin verè praestet atque exhibeat, &c.* Nõ pauca sunt in hac Caluini oratione, quae politulum tuum, & censorium requirunt iudicium.

Caluinus sibi contradicens ait iam in Coena verũ Christi corpus exhiberi.

Caluinum symbolis corpus Domini coniungit.

Absurda quaedam ex Caluini doctrina.

Si Christus nos reficit carnis suae esu & sanguinis potu, & si ad nos penetrat caro Christi: Ergo, caro Christi Domini caelũ ipsum deserit (cùm ex vestra sententia duobus in locis esse non possit,) vt ad nos penetret. Et, *si Spiritus verè vnit quae locis disiuncta sunt,* ergo eadem sunt inter se & coniuncta, & disiuncta. Explica nobis, quae sit haec rerum locis disiunctarum copulatio, quam Spiritui tribuit Caluinus. Negat quoque humanam mentem commentitiam suam coniunctionem comprehendere: *Quod mens nostra non comprehendit, concipiat fides.* Intende mentis tuae aciem, & fortassis, quod Caluinus, homo ad intelligẽdum hebes, ad comminiscendum verò promptus.

ptus.

ptus assequi non potuit, tu qui rerum & Theologicarum & philosophicarum scientiam tibi arrogas, animo sic facilè complecteris, vt illud nobis nullo negotio posis exponere. Vult præterea Caluinus cum symbolis rei veritatem coniungi. *Atque omnino* dicens, *isthæc piis tenenda est regula, vt quoties symbola vident à Domino instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certò cogitent, ac sibi persuadeant &c.* Rei signatæ veritas quod ad Eucharistiam attinet, vt vos docetis, est ipse Christus Dominus: Quare Christus adest illic, id est, in symbolis panis & vini. Quære à Grammaticis quis sit vsus vocis *Illic*, & me rectè ex Caluini verbis dices concludere, Domini Corpus, & Sanguinem, cum panis & vini symbolis copulari, ita vt vbi sunt panis & vinum Caluinianæ cœnæ, ibi sint corpus, & sanguis Domini. At panis, & vinum sunt in terris, quare corpus & sanguis Domini in terris erunt. Et quia longum esset de singulis disputare, venio ad alteram Caluini sententiam, qua Christi Domini corpus, & sanguinem in terris esse cum pane & vino fatetur, sic scribens. *Obsecro, an ex Physicis didicimus, Christum perinde animas nostras è cælo pascere carne sua, atque corpora pane, & vino aluntur? Vnde hæc carni virtus, vt animas viuificet? Naturaliter nō fieri omnes dicent. Humanæ rationi nihilò magis placebit, penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis sit alimentum.* Deinde subiungit, *Dicimus Christum tam externo symbolo, quàm spiritu suo ad nos descendere, vt verè substantia carnis suæ, & sanguinis sui animas nostras viuificet &c.* Cùm Caluinus scribat, *Christum perinde animas nostras è cælo pascere carne sua, atque corpora pane, & vino aluntur: & penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis sit alimentum*, necesse est eandem Christi carnem in terris esse fateatur. At aliàs idem scripsit vos in cælum euehi, nunc vult Christi carnem ad vos in terra existentes penetrare: Tu ipse facilè perspicis, quàm secum ipse bellè consentiat. Si præterea *Christus ad nos descendit, vt verè substantia carnis suæ, & sanguinis sui animas vestras viuificet*, quid opus fuit Caluino vos in cælum euchere, vt ibi vos Christus carne sua, & sanguine suo pasceret? Mira sunt hæc opinionum portenta, quæ mundo persuadere nititur. Tandem miraculum esse ait, *quod res toto celi, & terræ spatio dissita, ac remota in tanta locorum distantia non solùm coniungantur, sed vniantur.* Si eiusmodi res loco cōiungi, & vniri existimat, nemo est qui rem esse admirandam non fateatur. Qui verò res loco disiūctas cogitatione, & inani Caluiniana fide copulari, sine miraculo nō posse arbitratur, indignus planè est, qui res Theologicas tractet, cùm in primis Philosophiæ rudimentis turpiter hallucinetur. Nullus enim est (modò intelligentiæ vsum habeat) qui cælum & terram, cogitatione non facilè copulet. Quòd si corpus Christi Domini cum hominibus loco coniungit, erit ergo Christi Domini corpus in terris. Si cum alio mihi negotium esset, molesta hæc sententiarum Caluini descriptione

Caluin. lib. 4. Instit. c. 17. § 24.

Caluinus modo, ait, modo negat.

Caluin. ἀφιλόσοφος.

P

ſuperſederem. At tempori parendum eſt, volo vt æquus tuus Iudex, rei veritatem ex ſententiarum Caluini,& numero,& perſpicuitate,vbi intellexerit,te aut planum eſſe, qui perſpicuam veritatem negare ſis auſus: aut certè in eius ſcriptis penitus hoſpitem iudicet,qui rem minimè dubiam (vt Magiſtri tui apud homines indoctos exiſtimatio ſarta tecta conſeruaretur) in controuerſiam vocaueris. Caluinus ergo, vt in verbis Chriſti Domini, *Hoc eſt corpus meum*, Metonymiam eſſe probet,in omnem ſe partem verſat, dicēs: *Quærenda Metonymiæ ratio.Hic reſpondeo, non ideo tantùm ſigno imponi nomen rei ſignatæ, quoniam ſit figura,ſed magis quia ſymbolum ſit quo res exhibetur.Similitudines enim quas mutuantur quidam à rebus profanis,aut terrenis: quoniam à Sacramentis Domini habent aliquid diuerſum, non admitto. Vocatur Hercules ſtatua Herculis, ſed quid illic eſt præter nudam inanémque figuram? Columba autem Spiritus vocatur,quia certa ſit teſſera inuiſibilis Spiritus præſentiæ. Ergo panis eſt Chriſti corpus:quia certò teſtetur exhiberi nobis corpus illud quod figurat, vel quia Dominus viſibile illud ſymbolum nobis porrigendo,vnà dat etiam nobis ſuum corpus: neque enim fallax eſt Chriſtus,qui vacuis figuris nos ludat &c.* Panis igitur, auctore Caluino, eſt ſymbolum quo res exhibetur. Nomine verò *Rei*, corpus Chriſti intelligit: quare cùm panis ſymbolo, Chriſti corpus coniungitur. Atquè exemplum,quo vtitur, copulationem corporis Chriſti Domini, cum pane maximè confirmat. *Columba* (inquit) *Spiritus vocatur, quia certa ſit teſſera inuiſibilis Spiritus præſentiæ. Ergo panis eſt Chriſti corpus &c.* Certè ſi corpus Chriſti Domini ſic eſt cum Caluiniano pane copulatum,vt fuit Spiritus ſanctus cum Columba coniunctus, Corpus Domini in terris erit: & *veritas*, ait, *eſt cum ſuo ſigno coniuncta.* Ergo corpus Chriſti, quod eſt veritas, eſt cum ſuo ſigno,pane videlicet,coniunctum. Inani deinde verborum varietate ludere conatur Lectorem,dum coniunctionem corporis Chriſti Domini,cum ſymbolo ad *ſpiritalem vim transfert:* & cùm ſcribit,*Chriſtum è cælo præſentem in nos carnis ſuæ virtutem tranſmittere.* Nam ſic,Corpus tantùm Domini copularetur cum pane, quia virtus corporis Domini,pane tanquam inſtrumento è Cælo ad nos tranſmitteretur, quod ſuperiori eius doctrinæ apertè aduerſatur. Nolo amplius in re perſpicua immorari: Qui enim verba Caluini, à me iam fideliter ex ipſius libris tranſcripta legerit, nihil à veritate alienū,illā Theſis noſtræ partē (quam tu nunc improbas) complecti iudicabit. Caluinus enim *idem modò aiens,modò negans,pro Chriſti Domini corpore panis portionem ſectatoribus ſuis obtrudit.* Ac ne me iniuria illum accuſare putes, ſubiiciam quod me ab omni calumniæ nota vindicabit.[g] *Conclude,ait,realiter(vt vulgò loquuntur)hoc eſt verè nobis in Cœna dari Chriſti corpus,vt ſit animis noſtris in cibum ſalutarē, loquor vulgari more,ſed intelligo ſubſtantia corporis paſci animas noſtras,vt*

Matth 26.26 Marc.14.22. Luc.22.19. 1. Cor.11.24. Caluin.in ca. 11.epiſt.1. ad Cor.§.24.

Metonymiā in Chriſti verbis quærit.

Ex Caluino Corpus Chriſti verè eſt in ſymbolo.

Spiritus S. erat in columba. Matth.3. Marc.1. Luc.3. Ioan.1.

Caluini aperta contradictio.

g Caluin.in c. 11.epiſt.1.ad Cor.§ 24.

Realiter Caluini iudicio in Cœna nobis datur Chriſti Corpus.

ſtras, vt verè vnum efficiamur cum eo: vel quod idem valet, vim ex Chriſti carne viuificam in nos per Spiritum diffundi, quamuis longè à nobis diſtet, nec miſceatur nobiſcum. Scribit ſe loqui vulgari more, cùm tamen ſe à vulgo intelligi minimè patiatur, imò neque ſeipſe intelligit inanes verborum præſtigias fundens, vt ipſemet teſtatur, ſic ſcribens. *Erit mihi longior cum hyperbolicis Doctoribus diſputatio qui dum pro ſua craſsitie abſurdum edendi & bibendi modum fabricāt, Chriſtum quoque carne ſua exutū in phantaſma transfigurant. Si tamen vllis verbis complecti tantùm myſteriū liceat, quod ne animo quidem ſatis me comprehendere video, & libenter ideo fateor, ne quis eius ſublimitatem infantiæ meæ modulo metiatur, &c.* Si Caluinus, ſua commenta intelligere non potuit, quid mirum ſi tu, in illis explicandis hæreas? Atque vt tandem de Caluino loqui deſinam: Contende nobiſcum Miniſter, coram æquo iudice, non deerunt nobis rationes, quę Caluinum ſecum pugnaſſe apertè conuincent. Sed quomodo tu nos ad æquum iudicem iam prouocas, qui antea ſolum Deum veritatis eſſe iudicem profeſſus es, ſcribens: *Vnicum iudicem veritatis agnoſcimus, Deum ex illo ſuo Verbo ſcripto, quod voluntatis ſuæ expreſſam declarationem eſſe voluit.* Tu nobis deinde obtrudis *Summam* neſcioquam *Doctrinæ de Sacramentis.* Quotidie Caluini & Bezæ ingentia Commentorum volumina tractamus, & nunc in hominis bardi nobis incogniti, Summa excutienda, tempus teremus? Vehementer nobis probatur Illuſtriſsimi Cardinalis Turnonij, Mecenatis noſtri, de veſtris *Summis & Cōfeſsionibus* iudicium quod Sanctesij verbis adſcribam, vt Academia Turnonia, à Parente ſuo diſcat, quàm ſitis in *Summis, & Confeſsionibus* conſcribendis vafri, & in portentoſis opinionum commentis pro Chriſtiana Religione ſubſtituendis, exercitati. *Nono Octobris* (inquit Sanctesius) *congregati ſunt Patres* (qui colloquio Piſsiaci interfuerunt) *& quicquid egiſſent, expoſuerunt deputati, cenſurámque, ac ſubiunctam Catholicam confeſsionem tradiderunt in manus præſidentis Cardinalis à Turnone: qui ſemel, atque iterum lectis, & conſideratis quæ ſcripta eſſent in Papyri folio, reſpondit Senex, & veteranus Catholicus, facilè ſe eiuſmodi præſtigiis potuiſſe decipi, cùm exiſtimaſſet Miniſtros ex vultu tanquam bonos viros cum bonis benè voluiſſe agere. Tot dolis tamen, & contra veritatem inſidiis detectis, ſe ex animo deteſtari profeſſus eſt collocutorum formulam, & Catholicam confeſsionem amplecti, ac precari Deum vt ſepulchro proximus in ea emori poſſet.* Aſcribat Auctor Summæ nomen ſuum, ac noſtrum de ea iudicium propediem habebis.

Idem Caluin. lib. 4. Inſtit. c. 17 § 7. Caluin. ſua commenta non intelligit.

Pag. 42.

Sanctesius in reſponſione ad Apologiam Theod. Bezæ.

Iudicium Cardinalis Turnonij de confeſsionibus Caluiniſtarum.

CAPVT XXXV.

MINISTER. pag. 78. & 79.

Licet humana Chriſti natura ad ſummum illum Glorificationis gradum euecta ſit, non tamen idcirco immutata eſt ipſius eſſentia. Hac

antè conditio qua omnia humana corpora loco cōtinentur, vt suis nimirū dimensionibus finita sint, atque circumscripta, nō est infirmitatis, sed naturæ. Atqui, vt Verbum Dei docet, Christum esse verum hominem, & verum Deum: sic eundem exhibere debent Sacramenta. Negatur igitur Veritas carnis Christi, si in pane contineatur, quum disertè testetur Scriptura, Christum ascendisse in Cælum, &, Necesse esse vt Cælum capiat siue contineat illum vsque ad tempora restitutionis omnium. Sunt enim ipsa illa verba ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως. *Act. 3. 21. quod* δέξασθαι *vestro illo pane Contineri opponimus. Itaque sicut corpus Christi, dum versaretur in terris, aberat à cælo, secundum humanæ naturæ proprietatem: ita nunc post Ascensionem abesse à terris & Cælo contineri siue comprehendi, ex illo Verbo credimus: cum summa quidem illa & infinita Maiestate quæ ei data est in cælo & in terra, ita tamen vt carnis veritas inconfusa ei constet.*

CATHOLICVS.

Minister argumenta perturbatè cumulat.

Perturbato ordine omnia scribis, vt hoc vnum tibi propositum fuisse videatur (libri tui modo iusta sit magnitudo) de argumētorum vi & pondere, ac scribendi ordine nihil omnino laborare. Verùm Caluinianæ hoc condonandum est industriæ. Si *Sacramenta exhibere debent Christum, vt Verbum Dei docet Christum esse verum hominem & verum Deum*, necessariò Sacramenta verè, & reipsa Christum exhibebūt: Quare nō modò Eucharistia, sed & Baptismus Christum, exhibebit: Vt ergo panis dicitur, vestro iudicio, corpus Christi, quia corpus Christi exhibet: Sic & Baptismus dicetur Christus, imò corpus Christi. Hæc est præclara vestra Theologia, quam à te explicari, cùm sis apprimè in Euoluendi Disciplina eruditus, vehementer cupimus. Cæterum non legisti in Thesibus nostris Christum in pane contineri, sed *in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento verum Christi corpus contineri*: At propterea non negatur veritas carnis Christi. Ascendit enim Christus Dominus in cælum, & simul continetur in Eucharistiæ Sacramento. Neque verò locus ille Actuum 3. 21. contra fidem catholicam de præsentia Christi Domini in Eucharistia facit. Cùm enim vox δέξασθαι sit ambigua, & rarò significet *continere*, Sæpius autem recipere, vt Matth. 10. 40. ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται· καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος, δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με, &c. *Qui vos recipit, me recipit, &c.* infirmum planè est tuum, quod ex vi verbi pètis, argumentū. Non videris Caluinum legisse, qui Lucam ambiguè loquutum scribit. *Quoniam*, inquit, *ad crassum terrenúmque Dei & Christi aspectum semper propendent hominum sensus, poterat in mentem Iudæis venire, Christum quidem prædicari à mortuis excitatum, sed vbinam esset non ostendi. Præuenit ergo Petrus quum in cælo esse dicit. Vnde sequitur tollendas in altum esse mentes, vt Christum fidei oculis requirant, quanuis immensa locorum distantia sit remotus, quanuis cælesti gloria extra mūdum habitet. Cæterum locutio est ambigua: quia tam intelligere possumus*

Ex Ministri absurda doctrina, Baptismus Christus dici potest.

Caluin. in ... Actor. Apost. § 21.

Ex ambiguo nihil certū colligitur.

sumus Christum cælo capi, vel contineri, quàm cælum capere. Ad hæc, si Christus *extra mundum habitat*, ergo Cælo neque capitur, neque continetur, aut certè Cælum, Mundi pars non est. Caue ne pro vno Mundo, innumerabiles nobis cum Democrito substituas. Qui verò Christum Dominum cælo contineri, & capi existimas, Quid respon debis Apostolo asserenti Christum *ascendisse supra omnes cælos.* Si est suprà omnes Cælos, quomodò Cælo capitur & continetur? Si fidem D. Paulo non habes, Pythagoræ tuo saltem non repugnabis. Accipe ergo, quam tradidit verborum Apostoli Caluinus sententiam, *Super omnes cælos: Perinde est, ac si diceret, extra hunc mundum creatum.* Tu vis Christum in Cælo concludere, quem Apostolus, Caluini iudicio, *extra mundum hunc creatum* ascendisse scribit. Posteà se ipse Caluinus explicat: *Quũ dicitur Christus in cælo esse, non sic accipere debemus, quasi resideat inter sphæras, vt stellas numeret, sed illic Cælum significat locum sphæris omnibus superiorem, qui post resurrectionem filio Dei est destinatus, non quòd propriè locus sit extra mundum, sed quia de Regno Dei loqui, nisi more nostro non possumus.* Ecce, Caluinus negat Christum capi, siue contineri Cælo. Responde quæso simpliciter, an Cælum illud in quo Christum Dominum concludiris, sit res aliqua à Deo procreata? & versus quam Mundi plagã Christus existat, & an vinculis ita coerceatur, vt se loco mouere non possit? Quæro deinde, vbinam Christus esset, cùm Paulo visus est nouissimè? nam Apostolum verè ipsum Dominum vidisse, si negaueris omnem, Scripturæ auctoritatem adimes, vt rectè obseruauit D. Thomas; scribens: *Christus semel ascendens in cælum, adeptus est sibi, & nobis in perpetuum, ius & dignitatem mansionis cælestis. Cui tamen dignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione Christus quandoquè corporaliter ad terram descendat, vel vt ostendat se omnibus, sicut in iudicio, vel vt ostendat se alicui specialiter sicut Paulo, vt habetur Act. 9. & ne quis credat hoc factum fuisse, non Christo ibi corporaliter præsente, sed aliqualiter apparente, contrarium apparet per hoc quòd ipse Apostolus dicit prime ad Corinth. 15. ad confirmandam resurrectionis fidem, Nouissimè omnium tanquàm abortiuo visus est & mihi. Quæ quidem visio veritatem resurrectionis non probaret, nisi verum Christi corpus visum fuisset ab eo.* Quod si in Cælo corpus Domini ab Apostolo visum esse dixeris, qua ratione constabit illa Ananiæ oratio, *Saule frater, Dominus misit me Iesus qui apparuit tibi in via, qua veniebas,* cum eiusmodi responsione? Ipse etiam Apostolus Agrippæ Regi, qua ratione ad Christianam se adiunxerit religionem, sic narrat: vt nemo dubitare possit, quin Christum Dominum verè viderit. Nunquid perspicua sunt illa verba Pauli. *Non sum Apostolus? Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Hoc nominatim adiecit*, inquit Caluinus, *ne qua in parte reliquis Apostolis haberetur inferior: nam hoc vnum identidem*

Ephes. 4. 10.
Christus supra omnes Cœlos.
Caluin. in cõment. in c. 4. epist. ad Eph. §. 10.
Cal. negat Christum cœlo contineri.
1. Cor. 15. 8.
Act. 9. 3.
Thomas 3. p. q. 57. art. 6. ad 3.
Paulus verè Christũ vidit in via.
Actor. 9. 17.
Actor. 22.
1. Cor. 9. 1.
Caluin. in c. 9. epist. 1. ad Cor. § 1.

latrabant maleuoli & æmuli, per hominum manus ipsum accepisse quicquid habebat Euangelij, quum nunquam Christum vidisset. Et certè non versatus erat cum Christo in mundo: Sed Christus illi post resurrectionem apparuerat: non minus autem est Christum vidisse in gloria immortali, quàm in humilitate carnis mortalis. Caluinus non audet negare Apostolum vidisse Dominum, quamuis, vt homo fuit vafer, leui brachio hac de re disserat: Imo cùm maximam nonnunquam haber, qua ratione D. Paulus oculis suis Dominum conspexerit, explicandi occasionem, ad alia orationem diuertit: Ac ne pluribus de re minimè dubia agam: Nos Christum Dominum pluribus esse in locis certò nobis persuademus: hácque breui oratione omnes Caluinianas ineptias planè dispellimus. Lege[a] Hegesippū, Origenē,[b] Athanasium[c] & Ambrosium[c], ac D. Petrum, Romæ Dominum vidisse, si grauissimis Auctoribus fidem vllam existimas habendam, non inficiaberis.

Petrus Christum Romæ vidit.

a Hegesippus lib. 3. de excidio Ierosolymit.

b Tomo 21. in Ioan.

c In apologia de fuga.

d Contra Auxentiū de Basilicis tradendis.

MINISTER. pag. 79.

Nec vero Christus ita discerpitur, nec minus præsens est in Cœna. Affirmamus enim nusquam esse Christi corpus, quin ibi sit Diuina natura ὑποστατικῶς cum carne coniuncta, & ideo Totum Christum vbique esse fatemur, sed non Totum Christi, id est, non secundum carnis proprietatem, sed secundum personæ vnitatem.

CATHOLICVS.

Institue ex tuis pronuntiatis rationem aliquam, & tibi respondebimus. Nemo est Christianorum, qui Christi carnem vbique esse contendat. Brentius quidem vester germanus hanc hæresim tuetur. Verùm tuam ratiocinationem audire cupimus, qua Christi carnem non esse vbique propterea concludis, quòd diuina natura sit cum ea ὑποστατικῶς coniuncta, hanc enim, cur *Totum Christi* non sit vbique, caussam reddis.

MINISTER. pag. 79.

Vt verum est quod in Ecclesiis nostris quotidie sonat, Christum adesse in Cœna, & à fidelibus verè & efficaciter recipi, ita falsum est, corpus Christi eliciis illis vestris verbis in pane contineri, & in terra esse: quum in cœlum ascenderit, & cœlo contineatur, donec veniat iudicaturus viuos, & mortuos.

CATHOLICVS.

Vósne in terris degentes Christum verè recipitis, quem cœlo conclusum esse affirmatis? Dic porro cùm vos Caluiniani Cœnam recipitis, aut personam tãtum Christi Domini, aut naturam diuinam, aut humanam eiusdem naturam vos recipere profitemini: Si personam tantùm, imò si personam cum natura diuina (quam vbique esse vt suspicor, non negabitis) vos recipere dixeritis, Ergo tantùm comeditis & personam & naturam diuinam. Atque hic comedendi modus erit à te explicãdus. Quòd si ad Caluinianam fidem confugeris: superuacaneus erit vestræ Cœnæ vsus. Si verò Naturam humanam

vos

vos verè recipere responderis, semper in tua Caluiniana fide hærebis. Aut certè in Cælum(vt verè Christum comedatis) conscendere vos oportebit. Quia verò frequenter nobis obiicis quod in Assertionibus nostris non legisti, Christi corpus in pane contineri: Quid hac de re sentiamus, paucis aperiam. Fatemur ergo, corpus Domini in Scripturis, panem vocari, at non propterea concedimus in Eucharistia remanere Panis naturam, & substantiam. *Panis* [a] (inquit Apostolus) *quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est?* [b] *Quotiescunque manducabitis panem hunc.* Cuius quidem appellationis ratio duplex assignari potest, tum quòd panis, propter accidentia quæ remanent, esse videatur: tum quòd panis anteà fuerit. Vt enim Eua [c] dicitur os, & caro Adami, quia ex Adami costa eam Deus fecit: & Adam, quem Deus ex terra finxit, [d] puluis appellatur. Et serpens in quem conuersa fuit Virga Mosis [e], Virgę nomen retinet, ita & corpus Domini, in quod panis substantia est conuersa: panis nuncupatur. Tua illa ἁπλῶς, καὶ κατά τι distinctio, quæ ἀπὸ τῆς παρωνυμίας panis petis argumenta, vt dissoluamus, non paruam nobis ansam præbet. In Scripturis enim corpus Christi Domini nunquam simpliciter, sed cum aliqua adiectione, *Panis* appellatur vt [f] τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν *Panis quem frangimus.* [g] *Quotiescumque manducabitis* τὸν ἄρτον τοῦτον *panem hunc.* Et ipse Dominus antè, se panem appellauit, quàm sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum institueret. [h] *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane.* Si omnes Caluini discuterē captiones, omne tibi respondēdi argumentum præriperem: Quare vt tibi gratificer, de industria plurima prætereo, quibus opinionum vestrarum commenta inniti non sum nescius.

a 1. Cor. 10. 16.
b 1. Cor. 11. 26.
c Gen. 2. 23.
d Genes. 3 19.
e Exod. 7. 12.
Corpus Christi nunquā simpliciter panis appellatur.
f 1. Cor. 10. 16
g 1. Cor. 11. 26
h Ioan. 6. 52.

CAPVT XXXVI.

MINISTER. pag. 80.

Hic ad Omnipotentiæ asylum confugitis, non sine grauissima nostri accusatione, quasi infinitam, liberrimámque Dei omnipotentiam certis quibusdam cancellis ita circumscribamus, & quasi circumuallemus, vt pluribus in locis vnum corpus Deus conseruare non possit.

CATHOLICVS.

Christiani sumus, quare mirum non est si diuini numinis Omnipotentem vim, & potestatem agnoscamus: Caluinianámque Sectam propterea accusemus, quòd Dei præpotentis maiestatem in ordinē redigere, certósque ei agendi fines constituere non obscurè conetur. Quòd verò Deum, pluribus in locis vnum posse conseruare corpus negeris, tu ipse (vt paulò post videbimus) testis es locupletissimus: Perspice oro, quid asserat Caluinus, & diuinam eum minuisse maiestatem nega, si audes. *Placuit Christum fratribus per omnia similem fieri excepto peccato. Qualis est nostra caro? nónne quæ certa sua dimensione constat, quæ loco continetur, quæ tangitur, quæ videtur?* Tum

Cal. minuit Omnipotentiā Christi.
Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. § 24.

Catho

Catholicorum personam induens, subiicit. *Et cur (inquiunt) non faciat Deus vt caro eadem plura, diuersaq́; loca occupet, vt nullo loco contineatur, vt modo & specie careat. Insane, quid à Dei potentia postulas, vt carnem faciat simul esse & non esse carnem? Perinde ac si instes vt lucem faciat simul esse lucē, & tenebras. At lucem, vult esse lucem: tenebras, tenebras: carnē, carnē. Conuertet quidē quū volet tenebras in lucem, & lucem in tenebras: sed quum exigis vt lux, & tenebræ non differant, quid aliud quàm ordinem sapientiæ Dei peruertis? Carnem igitur carnem esse oportet: Spiritum Spiritum: vnumquodque qua à Deo lege & conditione creatum est.* Igitur, auctore Caluino, Si corpus Christi Domini pluribus esset in locis, simul esset corpus, & non corpus, & ordo diuinæ sapientiæ peruerteretur: Verùm nemo est qui vel cogitatione complecti queat, qua ratione corpus simul sit corpus, & non corpus, seu (vt Caluini vocem vsurpem) *caro simul sit, & non sit caro, lux simul sit lux & tenebræ.* Hæc ex iis esse, quæ fieri non possunt, Catholici non grauatè concedent. At caro quamuis varia occupet loca, non propterea caro esse desinit. Vt autem Beza, magistri sui opinionem confirmaret à Petro Pseudomartyre inanes captiones aliquot mutuatus est. Is enim clarius impietatem sic prodidit suam *Querimur*, inquit, *quod semper Dei potentiam obiiciatis, cùm hoc ex illarum sit rerum genere, ad quas Dei potentia se non extendat: nempe vt multis in locis eodem tempore corpus humanum salua natura sua diffundatur.* Nega nunc vestræ Caluinianæ nationis homines certos Dei maiestati cancellos circundedisse. Tibi certè erit ad nouum impietatis asylum confugiendum, vt Theses nostras veritati repugnare probes.

Beza contra Heshussium. Petrus Martyr in defensione doctrinæ de Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento aduersus Gardinerū. part. 1. ad 11. obiectiō. vide quæ idē scribit ad obiect. 12.

MINISTER. pag. 80.

Hæc est vestra crambe: ecquid etiam aliud quàm easdem veritatis responsiones ei opponemus? Agemus tamē breuiter, idque ex vestri Thomæ principio. In agentibus per voluntatem, potentia sequitur voluntatem velut imperantem. Rectè igitur Tertullianus, Temerè & importunè de Omnipotentia Dei quæstionem moueri, priusquam de eius voluntate constet.

CATHOLICVS.

Hæc quidem crambe tibi mors est Minister, ex qua te tuæ illæ omnes *veritatis responsiones* eripere nunquam poterunt. Quod autem ex D. Thomæ sententia refers: *In agentibus per voluntatem, potentiam sequi voluntatem velut imperantem*: Si non distinctionem, aut quæstionem, saltem librum Auctoris si ascripsisses, certi aliquid de doctissimi viri sententia respondissem. Quod apud ipsum reperi huic tuo principio affine, subiiciam. *In his* (inquit Thomas) *quæ aguntur per voluntatem, vt dicitur 9. Metaph. potentia & scientia determinantur ad opus per voluntatem, & ideo scientia, & potentia in Deo quasi non determinata, vniuersaliter pronuntiantur, vt cùm dicitur omnisciens, vel omnipotens: Sed voluntas qua determinat, non potest esse*

Thom. de potentia Dei. q. 1. art. 7.
Cur Deus non dicatur omniuolens vt omnipotens.

omnium. Sed eorum tantùm ad quæ potentiam, & scientiam determinat: & ideo non potest dici omnisuolens. Principio tuo solum concludes, Voluntatem imperare aliis facultatibus, vt nihil liberè ab vlla facultate producatur, nisi ad voluntatis imperium. At non proptereà tua *agentia per voluntatem*, nihil amplius præstare posse probabis. Potuisti pluribus cauillationibus librum tuum refercire quàm feceris, & tamen manus tua dum scriberet, & intelligentia tua, dum animo quid scribendum esset cogitares, ac cæteræ animi corporísque tui facultates (in quibus aliqua agendi libertas extitit) secutæ sunt voluntatem tuam veluti imperantem: non propterea tamen, tam angustis intelligendi scribendísque potestatem tuam cancellis vis concludi, vt nihil amplius in posterum scribere valeas. Quod, si licet conijcere, ex summa Philosophiæ ignoratione principium illud tuum hoc loco nobis obiecisti. Quia *in agentibus per voluntatem potentia sequitur voluntatem velut imperantem*, necessariò sequi existimasti: *agentia per voluntatem* (vt sic tecum loquar) ea tantùm perficere posse quę ipsis Voluntas præscripsit. Cùm tamen neque Voluntatis, neque cæterarum facultatum vis & potestas antegressis actionibus sit omninò exhausta. Breuem responsionem habes ad Principium tuum, quam nunquam firmo aliquo argumento improbabis. Quòd verò Tertulliani librum non notaueris, non leuem nobis de tua inscitia suspicionem facit. Pauca tamen quæ Dei omnipotentis vim & maiestatem, antiquissimum hunc Auctorē semper suspexisse confirmāt in medium afferam. *Deus* (inquit Tertul.)[a] *non alia lege credēdus est, quàm vt omnia posse credatur*, & alio loco.[b] *Sed nihil Deo difficile. Quis hoc nesciat? Et impossibilia apud seculum, possibilia apud Deum quis ignoret? Et* [c] *stulta mundi elegit Deus vt confundat sapientia. Legimus omniā. Ergo inquiunt difficile non fuit Deo, ipsum se & Patrem, & Filium facere, aduersus traditū formam rebus humanis. Nam & sterilem parere contra naturam difficile Deo non fuit, sicut nec Virginem. Planè nihil Deo difficilè. Sed si tam abruptè in præsumptionibus nostris hac sententia vtamur, quiduis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideóque credendum est illum fecisse, etiam quod non fecerit. Sed an fecerit requirendum. Potuit, (ita saluus sim) Deus pennis hominem ad volandum instruxisse, quod & miluis præstitit: non tamen quia potuit, statim & fecit. Potuit & Praxeam & omnes pariter Hæreticos statim extinxisse, non tamē quia potuit, extinxit: Oportebat enim & miluos esse, & Hæreticos.* Vbi librum Tertulliani notaueris, ac ipsa Auctoris verba descripseris tibi lubenter respondebo.

[a] *Lib. de Resurrectione.*
[b] *Lib. aduersus Praxean.*
[c] *1. Cor. 1. 27.*

Deus non omnia facit quæ potest.

Deus potuit omnes Hæreticos extinxisse, non tamen extinxit.

MINISTER. pag. 80.

Probate Deum velle corpus Christi esse in pluribus locis, & Deum posse confitebimur: quum quicquid velit haud dubiè possit. At quum Deus voluerit nos per Christum hominem seruari, verúmque corpus illi in eum finem

dederit, nibil certè aliud euinci poteſt, quàm corpus illud proprietatibus vero corpori eſſentialibus conſtare: inter quas hauddubiè numerantur ea dimenſiones, quibus verum corpus neceſſariò circumſcribitur. Voluit igitur nos Deus per verum hominem ſeruari: Non eſt ſibi ipſi contrarius, qui Naturæ opifex, Naturæ quidem legibus minimè obligatur, quædam tamen in rebus ipſis, tam ἀσύστατα creauit, & ita in illis inſita, vt ſi mutentur, rerum ipſarum interitus neceſſariò conſequatur, quum in iis ſit, τὸ τί τῶν ἦν, & natura ipſarum rerum: ac proinde ſaluis rebus Deus illa mutare, nec velit, nec poſsit: quoniam ipſe ſibi hanc legem volens, & vltrò quaſi indixit. Huiuſmodi eſt Neceſsitas principiorum, numerorum, ponderum, menſurarum, ipſarumq́, adeò dimenſionum illarum quibus corpora definiuntur.

CATHOLICVS.

Factionem veſtram de immenſa Dei maieſtate detrahere, nunc planè confiteris. Faciamus non poſſe nos, probare corpus Chriſti eſſe in pluribus locis, an propterea ſempiterni Numinis immenſam poteſtatem negabis? Suprà probauimus Chriſti Domini corpus eſſe in ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, quare & in pluribus illud eſſe locis, neceſſariò concludimus: Atque (vt ego te viciſsim interrogem) Vbinam ſcriptum eſt, Chriſtum Patrem rogaſſe, vt Angelos ſibi mitteret ſubſidio, aut Patrem æternum amplius duodecim Angelorum legiones miſiſſe? Potuit certè Chriſtus Patrem rogare, vt in ſubſidium Angeli mitterentur, & Pater voluntati Chriſti facere ſatis nullo negotio potuit. Perſpicua ſunt Domini verba, *An putas, quiâ non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Nemo Catholicorum eſt, qui Chriſti Domini corpori adimat *proprietates eſſentiales, inter quas haud dubiè non numerantur ea dimenſiones, quibus verum Corpus neceſſariò circumſcribitur*: Tuum eſt, Scripturæ teſtimoniis, has tuas Proprietates cum Chriſti Domini corpore ſic conglutinare, vt nec interminata ſempiterni Numinis poteſtate ab eo diuelli poſsint. Inſaniret penitus, qui corporis naturam ex dimenſionibus eſſe cōflatam exiſtimaret. Diſce quæſo à Logicis, in quo rerum ordine Dimenſiones collocentur: in qua item Categoria, Corpora ſedem obtineant, ne rerum omnium, cum tua noua Philoſophia, ſummam in Chriſtianorum Scholas inuehas confuſionem. Profer legem hanc qua Deus omnipotentem ſuam vim, & poteſtatem ſic coercuit, vt quantitatem à corpore amplius ſeiungere nō poſsit. Et, ſi *Deus* (vt tu ais) *ipſe ſibi hanc legem volens, & vltrò quaſi indixit*, Scripturæ teſtimonio (modò velis vt tibi credamus) Deum hanc Legem compoſuiſſe probabis. Profitemur ergo omnes Chriſti dimenſiones, cum ipſius corpore perpetuò eſſe copulatas. Quid nunc ais Miniſter? Quæ tu longa oratione inaniter effutire voluiſti, paucis verbis diſcuſsimus.

Deus multa potuit facere quæ non fecit.

Matth. 26. 53.

Corpus ſine quantitate eſſe poteſt.

MINISTER. pag. 80.

Rectè aiebat Auguſtinus verè auguſtus Theologus, Tolle ſpatia locorum corpori

corporibus,& nusquam erunt, & si nusquam, nec erunt: non tamen id.rco Omnipotentiam Dei in angustias redigebat.

CATHOLICVS.

Augustinum,nunc Augustum appellas,cùm ipsius contra nos sententia abuteris,quem tuus Caluinus, propterea impium fuisse sentit,quod eorum qui ex hac vita excesserunt memoriam, in piorum hominum precibus iure fieri docuerit. Putas fortasis grauissimum Ecclesiæ Doctorem adeò fuisse in rebus philosophicis rudem,vt supremum Cælum in corpore aliquo inclusum existimarit. Si ipsius opera legisses,locum ex quo tui Præceptores verba illa,quæ tu nobis obiicis, excerpserunt,notasses. Ascribam integram sententiam, *Quomodo enim vbique* (Deus) *si in seipso? Vbique scilicet quia nusquam est absens. In seipso autem, quia non continetur ab eis quibus est presens,tanquam sine eis esse non possit. Nam spatia locorum tolle corporibus,nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit vbi sint: & ideo necesse est vt non sint.* Agit hoc loco D.Augustinus de corporibus, quę locis circumscribuntur, eiusmodi enim corpora, naturaliter sine locis consistere nequeunt. De diuina autem potestate iam non loquitur, quam ipse frequenter immensam, & interminatam esse profitetur. Excute Caluini Minister,quæ sequuntur,vt discas Deum posse corpora sine loco conseruare. *Super motum, cursúmque rerum naturalem,potestas Creatoris habet apud se posse de omnibus facere aliud, quàm eorum quasi seminales rationes habent:non tamen id quod in eis posuit, vt de his fieri vel absque ipso possit.* Euolue diligenter quod ait, *De omnibus Deum posse facere aliud &c.* Certè & Corpus, & Quantitatem his verbis est complexus, pugnabit ergo secum, si corpus sine loco conseruare Deum posse Epistola ad Dardanum negauit. Est & alia præclara eiusdem sententia,quam tuæ Caluinianæ Philosophię opponā. *Sicut non fuit* (inquit) *impossibile Deo, quas voluit instituere: sic ei non est impossibile in quicquid voluerit, quas instituit mutare naturas.* Huic adiungo præclaram, & luculentam Hugonis Victorini orationē,ne Scholasticos Doctores solos,tibi aduersari existimes. *Dices mihi,quomodo corpus vnum eodem tempore in diuersis locis esse potest? hic est,ibi est, totum vtrobique est, & in multis locis similiter. Noli mirari,qui fecit locum, fecit corpus,& fecit locum in corpore,& corpus in loco. Sed qui fecit vt corpus vnum in vno loco esset,fecit sicut voluit: & si voluisset aliter,facere potuisset. Nam & quando vult, aliter nunc facit: & est semper sicut ipse vult.* Si vis omnia corpora in locis includere, innumerabiles Sphæras,procreare te oportebit,aut certè nouam quandam philosophiam excogitare,quæ nobis supremum Cælum corpore aliquo cingi, & concludi persuadeat.

Caluin.lib 3. Inst.c.5 §.10. Aug.li.9.Confess c.12.

Aug.epist.57. ad Dardanū.

Idē August. de Genesi ad literam lib.9. c.17.

Deus de omnibus potest aliud facere.

Idē August. lib.21.de Ciuit.Dei ca.8

Deus naturas mutare potest.

Hugo de S. Victore part. 8.lib.2. de Sacram.cap.11.

MINISTER. pag.80.& 81.

Quid plura? Idem qui principium huic responsioni dedit, eidem finem imponat Thomas, cuius hæc sunt diserta verba. Sed ea quæ sunt secundum seipsa impossibilia Deus facere non potest: vt, non potest facere quod affirmatio & negatio sint simul vera, nec aliquid eorum in quibus hoc impossibile includitur. Nec hoc dicitur non posse facere propter defectū potentiæ, sed propter defectum possibilis, quòd à ratione possibilis deficit: propter quod dicitur à quibusdam, quòd Deus potest facere, sed non potest fieri. lib.1.sentent.dist. 24.

CATHOLICVS.

Minister im peritè citat D Thomā.

Te nè D.Thomam legisse existimabimus, qui Summam Theologiæ in *distinctiones*, & Scriptum in Sententiarum libros, in dist. partitis? In distinct.24.lib.1.Sentent. hæc tua diserta verba nō extant.[a] Disputat. namquè in dist. illa vicesima quarta, *De nominibus significantibus vnitatem & pluralitatem in diuinis, & de nominibus significantibus ea, quæ sunt pluralitati annexa.* & ne operas tuas accuses. lib.1. Sentent. diserta illa tua verba inuenire non potui. Quæ autem alio loco à D.Thoma scripta reperi, subiiciam: Nam is ex cuius libro hanc sententiam transcripsisti non tantùm Scribę sibi, verùm & Interpretis partes sumpsit. *Aliquid dicitur impossibile fieri tribus modis,* inquit D.Thom. *Vno modo propter defectum actiuæ potentiæ, siue in transmutando materiam, siue in quocunque alio. Alio modo propter aliquod resistens vel impediens. Tertio modo propter hoc, quòd, id quod dicitur impossibile fieri, non potest esse terminus actionis. Ea ergo quæ sunt impossibilia in natura primo, vel secundo modo, Deus facere potest. Quia eius potentia cùm sit infinita, in nullo defectum patitur, nec est aliqua materia quam transmutare non possit ad libitum. Eius enim potentiæ resisti non potest. Sed id quod tertio modo dicitur impossibile, Deus facere non potest, cùm Deus sit actus maximè & principale ens. Vnde eius actio non nisi ad ens terminari potest, & ad non ens consequenter. Et ideo non potest facere quòd affirmatio, & negatio sint simul vera: nec aliquod eorum in quibus hoc impossibile includitur. Nec hoc dicitur non posse facere, propter defectum suæ potentiæ: sed propter defectum possibilis, quod à ratione possibilis deficit, propter quod dicitur à quibusdam, quòd Deus potest facere, sed non potest fieri.* Habes diserta nunc D. Thomæ verba, quæ quidem vera esse credimus: In quibus nihil omnino reperies contra omnipotentis Dei immensam vim, & potestatem: Nam, vt in Theologiæ summa ab eodem scriptum est, *Ea, quæ contradictionem implicant, sub diuina Omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem. Vnde conuenientius dicitur, quòd ea non possunt fieri, quàm quòd Deus ea non possit facere.* Disce quæso, modestissimè Caluini Minister, à Scholasticis Doctoribus rectè non modo de rebus diuinis sentire, sed etiam loqui.

[a] *Pag.81.*

Thom. de potentia Dei q.1.art.3.

Aliquid esse impossibile tribus modis dicitur

Quæ impossibilia Deus possit facere.

Idem Thom. 1.part.q 25. art.3.

MINISTER. pag. 81.

In summa, respondemus tum valere argumentum ab Omnipotentia Dei quum constat Deum velle: sicuti rectè colligunt fideles in Psalmo 115. Certè Deus noster est in cælo: omnia quæ voluit fecit.

CATHOLICVS.

Obscuritatis nunc latebras quæris, *tum valere* dicens *argumentũ ab Omnipotentia Dei, quum constat Deum velle.* Explica nobis, quod argumentum intelligas: *Fideles tui in psal. 115.* suo iudicio, collegerunt Deum esse peccati auctorem. Lege Caluinum in versum tertiũ illius psalmi, quem vos cum Iudæis 115. facitis, Ecclesia verò Catholica 113. ei locum tribuit. Deus potuit tuam effrænem scribendi licentiam coercere, non tamen coercuit. Multa itaquè Deus facere potest, quæ neque fecit, neque vnquam facturus est. Vt veteris Ecclesiæ de Christi Domini corpore in pluribus locis sententiam intelligas, D. Chrysostomum afferam, qui orationis suæ vbertate, & copia, aridam tuam loquacitatem reprimet[b]. *O Miraculum,* inquit, *ò Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se tradit volentibus ipsum accipere, & complecti: fit autem nullis præstigiis, sed apertis, & intuentibus omnium circumstantium oculis.* Nihil clarius contra tuas nugas dici potuit: euolue illa Chrysostomi verba, *Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Accipe etiã quæ aliis in locis idẽ Auctor scripsit. [b] *Recolite quia illius corpus est & sanguis, qui suprà cælos residet, qui ab Angelis suppliciter adoratur. Illius inquam, qui proximè assistit immortali Dei potentiæ: huius delibamus sanguinem, & proprium corpus nobis sumendum tradidit.* Ac in oratione quam nunc subiiciam clarè, & dilucide loquitur, [c] *Elias Meloten discipulo, filius autem Dei ascendens, suam nobis carnem reliquit: sed Elias quidem exutus, Christus autem ascendens, & eam nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.* Si Christus Dominus suam carnem nobis reliquit, & ipsam carnem habens ascendit, erit caro Domini, & in Cælis, & in terris. Et iterum, *Elias vestem ouillam dimisit discipulo, filius verò hominis ascendens, suam ipsius carnem nobis reliquit.* Vbi has tanti Doctoris sententias euolueris, non deerunt firmissima Veritatis præsidia, quæ vestris captionibus opponamus.

b Chrysost. li. 3. de Sacerdotio.

Corpus Christi est in pluribus locis.

b Idẽ Chryso. Homil. 3. ad Ephesios.

c Idẽ homil. 2. ad populum Antiochenũ

4. Reg. 2. 13

d Idẽ homil. de Diuitiis & paupertate.

CAPVT XXXVII.

MINISTER. pag. 81.

Omnesne perequè Catholicos, id est eos qui sunt in Ecclesiæ Catholicæ sinu, censetis verè comedere corpus Christi: quemadmodum ait Augustinus, vnum de societate comedisse panem Domini, cæteros verò panem Dominum? Hic enim esus fidelibus propriè quadrat. Quod à vobis distingui primum omnium oportuit: sicuti disertè Romanum illud Concilium Berenga

Beza in libro qui inscribitur, Ample discours des Actes de Poissy. 1561. opera Caluinianorum excusso anno 1562.

sumant, quid hac de re senserit Beza, testis est illa, quam Pissiaci ad Christianissimum Regem Carolum habuit, oratio. *Quant à la distance des lieux, Iesus Christ est esloigné du pain & du vin, autant que le plus haut ciel est esloigné de la terre, attendu que nous & les Sacremens sommes en terre, & sa chair est au ciel.* Habes ergo quibus in locis Praeceptores tui, Christum Dominum ab Eucharistiae Sacramento tanto ablegant interuallo, quanto caelum à terra seiungi videmus. Adducam & Caluini locos, in quibus Christum Dominum cum panis & vini symbolis coniungit, quò intelligas verum esse, quod in Thesibus nostris de Caluino diximus, eum nempe modo affirmare, modo negare. Atque vt ab Institutionibus ordiar.

Caluin. lib. 4 Instit. cap. 17. § 10.

Caluinus sibi contradicens ait iam in Coena verũ Christi corpus exhiberi.

Summa sit, (inquit ille) *non aliter animas nostras carne, & sanguine Christi pasci, quàm panis & vinum corporalem vitam tuentur, & sustinent. Neque enim aliter quadraret analogia signi, nisi alimentum suum anima in Christo reperirent, quod fieri non potest, nisi nobiscum Christus verè in vnum coalescat, nosque reficiat carnis suae esu, & sanguinis potu. Etsi autem incredibile videtur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis sit in cibum, meminerimus quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, & quàm stultum sit eius immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, spiritum verè vnire, quae locis disiuncta sunt. Iam sacram illam carnis & sanguinis sui communicationem, qua vitam suam in nos transfundit Christus, non secus ac si in ossa & medullas penetraret, in Coena etiã testatur & obsignat: & quidem non obiecto inani aut vacuo signo, sed efficaciam Spiritus sui illic proferens, qua impleat quod promittit. Et sanè rem illic signatam offert, & exhibet omnibus qui ad spirituale illud epulum accumbunt, quanquam à fidelibus solis cum fructu percipitur, qui tantam benignitatem vera fide animique gratitudine suscipiunt* Et paulò pòst. *Nisi quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipso Symbolum proponi, nunquam dicere audeat. Itaque si per fractionem panis Dominus corporis sui participationem verè repraesentat, minimè dubium esse debet quin verè praestet atque exhibeat, &c.* Nõ pauca sunt in hac Caluini oratione, quae politulum tuum, & censorium requirunt iudicium. *Si Christus nos reficit carnis suae esu & sanguinis potu, & si ad nos penetrat caro Christi:* Ergo, caro Christi Domini caelũ ipsum deserit (cùm ex vestra sententia duobus in locis esse non possit,) vt ad nos penetret. Et, *si Spiritus verè vnit quae locis disiuncta sunt,* ergo eadem sunt inter se & coniuncta, & disiuncta. Explica nobis, quae sit haec rerum locis disiunctarum copulatio, quam Spiritui tribuit Caluinus. Negat quoque humanam mentem commentitiam suam coniunctionem comprehendere: *Quod mens nostra non comprehendit, concipiat fides.* Intende mentis tuae aciem, & fortassis, quod Caluinus, homo ad intelligẽdum hebes, ad comminiscendum verò promptus.

Caluinus cum symbolis corpus Domini coniungit.

Absurda quaedam ex Caluini doctrina.

ptus.

ptus assequi non potuit, tu qui rerum & Theologicarum & philosophicarum scientiam tibi arrogas, animo sic facilè complecteris, vt illud nobis nullo negotio possis exponere. Vult præterea Caluinus cum symbolis rei veritatem coniungi. *Atque omnino* dicens, *isthæc piis tenenda est regula, vt quoties symbola vident à Domino instituta, illic rei signatæ veritatem adesse certò cogitent, ac sibi persuadeant &c.* Rei signatæ veritas quod ad Eucharistiam attinet, vt vos docetis, est ipse Christus Dominus: Quare Christus adest illîc, id est, in symbolis panis & vini. Quere à Grammaticis quis sit vsus vocis *Illic*, & me rectè ex Caluini verbis dices concludere, Domini Corpus, & Sanguinem, cum panis & vini symbolis copulari, ita vt vbi sunt panis & vinum Caluinianæ cœnæ, ibi sint corpus, & sanguis Domini. At panis, & vinum sunt in terris, quare corpus & sanguis Domini in terris erunt. Et quia longum esset de singulis disputare, venio ad alteram Caluini sententiam, qua Christi Domini corpus, & sanguinem in terris esse cum pane & vino fatetur, sic scribens. *Obsecro, an ex Physicis didicimus, Christum perinde animas nostras è cælo pascere carne sua, atque corpora pane, & vino aluntur? Vnde hæc carni virtus, vt animas viuificet? Naturaliter nō fieri omnes dicent. Humanæ rationi nihilò magis placebit, penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis sit alimentum.* Deinde subiungit, *Dicimus Christum tam externo symbolo, quàm spiritu suo ad nos descendere, vt verè substantia carnis suæ, & sanguinis sui animas nostras viuificet &c.* Cùm Caluinus scribat, *Christum perinde animas nostras è cælo pascere carne sua, atque corpora pane, & vino aluntur: & penetrare ad nos Christi carnem, vt nobis sit alimentum*, necesse est eandem Christi carnem in terris esse fateatur. At aliàs idem scripsit vos in cælum euehi, nunc vult Christi carnem ad vos in terra existentes penetrare: Tu ipse facilè perspicis, quàm secum ipse bellè consentiat. Si præterea *Christus ad nos descendit, vt verè substantia carnis suæ, & sanguinis sui animas vestras viuificet*, quid opus fuit Caluino vos in cælum euehere, vt ibi vos Christus carne sua, & sanguine suo pasceret? Mira sunt hæc opinionum portenta, quæ mundo persuadere nititur. Tandem miraculum esse ait, *quod rès toto cæli, & terra spatio dissita, ac remota in tanta locorum distantia non solùm coniungantur, sed vniantur.* Si eiusmodi res loco cōiungi, & vniri existimat, nemo est qui rem esse admirandam non fateatur. Qui verò res loco disiūctas cogitatione, & inani Caluiniana fide copulari, sine miraculo nō posse arbitratur, indignus planè est, qui res Theologicas tractet, cùm in primis Philosophiæ rudimentis turpiter hallucinetur. Nullus enim est (modò intelligentiæ vsum habeat) qui cælum & terram, cogitatione non facilè copulet. Quòd si corpus Christi Domini cum hominibus loco coniungit, erit ergo Christi Domini corpus in terris. Si cum alio mihi negotium esset, molesta hac sententiarum Caluini descriptione

Caluin lib. 4. Instit c. 17. § 24.

Caluinus modo, ait, modo negat.

Caluin. ἀσύλλογος.

supersederem. At tempori parendum est, volo vt æquus tuus Iudex, rei veritatem ex sententiarum Caluini, & numero, & perspicuitate, vbi intellexerit, te aut planum esse, qui perspicuam veritatem negare sis ausus: aut certè in eius scriptis penitus hospitem iudicet, qui rem minimè dubiam (vt Magistri tui apud homines indoctos existimatio sarta tecta conseruaretur) in controuersiam vocaueris. Caluinus ergo, vt in verbis Christi Domini, *Hoc est corpus meum*, Metonymiam esse probet, in omnem se partem versat, dicés: *Quærenda Metonymiæ ratio. Hic respondeo, non ideo tantùm signo imponi nomen rei signatæ, quoniam sit figura, sed magis quia symbolum sit quo res exhibetur. Similitudines enim quas mutuantur quidam à rebus profanis, aut terrenis: quoniam à Sacramentis Domini habent aliquid diuersum, non admitto. Vocatur Hercules statua Herculis, sed quid illic est præter nudam inanémque figuram? Columba autem Spiritus vocatur, quia certa sit tessera inuisibilis Spiritus præsentiæ. Ergo panis est Christi corpus: quia certò testetur exhiberi nobis corpus illud quod figurat, vel quia Dominus visibile illud symbolum nobis porrigendo, vnà dat etiam nobis suum corpus: neque enim fallax est Christus, qui vacuis figuris nos ludat &c.* Panis igitur, auctore Caluino, est symbolum quo res exhibetur. Nomine verò *Rei*, corpus Christi intelligit: quare cùm panis symbolo, Christi corpus coniungitur. Atquè exemplum, quo vtitur, copulationem corporis Christi Domini, cum pane maximè confirmat. *Columba* (inquit) *Spiritus vocatur, quia certa sit tessera inuisibilis Spiritus præsentiæ. Ergo panis est Christi corpus &c.* Certè si corpus Christi Domini sic est cum Caluiniano pane copulatum, vt fuit Spiritus sanctus cum Columba coniunctus, Corpus Domini in terris erit: & *veritas*, ait, *est cum suo signo coniuncta*. Ergo corpus Christi, quod est veritas, est cum suo signo, pane videlicet, coniunctum. Inani deinde verborum varietate ludere conatur Lectorem, dum coniunctionem corporis Christi Domini, cum symbolo ad *spiritalem vim transfert*: & cùm scribit, *Christum è cælo præsentem in nos carnis suæ virtutem transmittere*. Nam sic, Corpus tantùm Domini copularetur cum pane, quia virtus corporis Domini, pane tanquam instrumento è Cælo ad nos transmitteretur, quod superiori eius doctrinæ apertè aduersatur. Nolo amplius in re perspicua immorari. Qui enim verba Caluini, à me iam fideliter ex ipsius libris transcripta legerit, nihil à veritate alienũ, illã Thesis nostræ parté (quam tu nunc improbas) complecti iudicabit. Caluinus enim *idem modò aiens, modò negans, pro Christi Domini corpore panis portionem sectatoribus suis obtrudit*. Ac ne me iniuria illum accusare putes, subiiciam quod me ab omni calumniæ nota vindicabit. [g] *Concludo, ait, realiter (vt vulgò loquuntur) hoc est verè nobis in Cœna dari Christi corpus, vt sit animis nostris in cibum salutarẽ, loquor vulgari more, sed intelligo substantia corporis pasci animas nostras, vt*

Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. Caluin. in ca. 11. epist. 1. ad Cor. § 24.

Metonymiã in Christi verbis quærit.

Ex Caluino Corpus Christi verè est in symbolo.

Spiritus S. erat in columba. Matth. 3. Marc 1. Luc. 3. Ioan. 1.

Caluini aperta contradictio.

g Caluin. in c. 11. epist. 1. ad Cor. § 24.

Realiter Caluini iudicio in Cœna nobis datur Christi Corpus.

stras, vt verè vnum efficiamur cum eo: vel quod idem valet, vim ex Christi carne viuificam in nos per Spiritum diffundi, quamuis longè à nobis distet, nec misceatur nobiscum. Scribit se loqui vulgari more, cùm tamen se à vulgo intelligi minimè patiatur, imò neque seipse intelligit inanes verborum præstigias fundens, vt ipsemet testatur, sic scribens. *Erit mihi longior cum hyperbolicis Doctoribus disputatio qui dum pro sua crassitie absurdum edendi & bibendi modum fabricāt, Christum quoque carne sua exutū in phantasma transfigurant. Si tamen vllis verbis complecti tantùm mysteriū liceat, quod ne animo quidem satis me comprehendere video, & libenter ideo fateor, ne quis eius sublimitatem infantia mea modulo metiatur, &c.* Si Caluinus, sua commenta intelligere non potuit, quid mirum si tu, in illis explicandis hæreas? Atque vt tandem de Caluino loqui desinam: Contende nobiscum Minister, coram æquo iudice, non deerunt nobis rationes, quę Caluinum secum pugnasse apertè conuincent. Sed quomodo tu nos ad æquum iudicem iam prouocas, qui antea solum Deum veritatis esse iudicem professus es, scribens: *Vnicum iudicem veritatis agnoscimus, Deum ex illo suo Verbo scripto, quod voluntatis suæ expressam declarationem esse voluit.* Tu nobis deinde obtrudis *Summam* nescioquam *Doctrinæ de Sacramentis.* Quotidie Caluini & Bezæ ingentia Commentorum volumina tractamus, & nunc in hominis bardi nobis incogniti, Summa excutienda, tempus teremus? Vehementer nobis probatur Illustrissimi Cardinalis Turnonij, Mecenatis nostri, de vestris *Summis & Cōfessionibus* iudicium quod Sanctesij verbis adscribam, vt Academia Turnonia, à Patente suo discat, quàm sitis In *Summis, & Confessionibus* conscribendis vafri, & in portentosis opinionum commentis pro Christiana Religione substituendis, exercitati. *Nono Octobris* (inquit Sanctesius) *congregati sunt Patres* (qui colloquio Pisiaci interfuerunt) *& quicquid egissent, exposuerunt deputati, censurámque, ac subiunctam Catholicam confessionem tradiderunt in manus præsidentis Cardinalis à Turnone: qui semel, atque iterum lectis, & consideratis quæ scripta essent in Papyri folio, respondit Senex, & veteranus Catholicus, facilè se eiusmodi præstigiis potuisse decipi, cùm existimasset Ministros ex vultu tanquam bonos viros cum bonis benè voluisse agere. Tot dolis tamen, & contra veritatem insidiis detectis, se ex animo detestari professus est collocutorum formulam, & Catholicam confessionem amplecti, ac precari Deum vt sepulchro proximus in ea emori posset.* Ascribat Auctor Summæ nomen suum, ac nostrum de ea iudicium propediem habebis.

Idem Caluin. lib. 4. Instit. c. 17 § 7. Caluin. sua commenta non intelligit.

Pag. 42.

Sanctesius in responsione ad Apologiam Theod. Bezæ.

Iudicium Cardinalis Turnonij de confessioni bus Caluinistarum.

CAPVT XXXV.

MINISTER. pag. 78. & 79.

L*Icet humana Christi natura ad summum illum Glorificationis gradum euecta sit, non tamen idcirco immutata est ipsius essentia. Hac*

autē conditio qua omnia humana corpora loco cōtinentur, vt suis nimirū dimensionibus finita sint, atque circumscripta, nō est infirmitatis, sed naturæ. Atqui, vt Verbum Dei docet, Christum esse verum hominem, & verum Deum: sic eundem exhibere debent Sacramenta. Negatur igitur Veritas carnis Christi, si in pane contineatur, quum disertè testetur Scriptura, Christum ascendisse in Cælum, &, Necesse esse vt Cælum capiat siue contineat illum vsque ad tempora restitutionis omnium. Sunt enim ipsa illa verba ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως. *Act. 3. 21. quod* δέξασθαι *vestro illo pane Contineri opponimus. Itaque sicut corpus Christi, dum versaretur in terris, aberat à cælo, secundum humanæ naturæ proprietatem: ita nunc post Ascensionem abesse à terris & Cælo contineri siue comprehendi, ex illo Verbo credimus: cum summa quidem illa & infinita Maiestate quæ ei data est in cælo & in terra, ita tamen vt carnis veritas inconfusa ei constet.*

CATHOLICVS.

Minister argumenta perturbatè cumulat.

Perturbato ordine omnia scribis, vt hoc vnum tibi propositum fuisse videatur (libri tui modo iusta sit magnitudo) de argumētorum vi & pondere, ac scribendi ordine nihil omnino laborare. Verùm Caluinianæ hoc condonandum est industriæ. Si *Sacramenta exhibere debent Christum, vt Verbum Dei docet Christum esse verum hominem & verum Deum*, necessariò Sacramenta verè, & reipsa Christum exhibeḃūt: Quare nō modò Eucharistia, sed & Baptismus Christum, exhibebit: Vt ergo panis dicitur, vestro iudicio, corpus Christi, quia corpus Christi exhibet: Sic & Baptismus dicetur Christus, imò corpus Christi. Hæc est præclara vestra Theologia, quam à te explicari, cùm sis apprimè in Euoluendi Disciplina eruditus, vehementer cupimus. Cæterum non legisti in Thesibus nostris Christum in pane contineri, sed *in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento verum Christi corpus contineri*: At proptereà non negatur veritas carnis Christi. Ascendit enim Christus Dominus in cælum, & simul continetur in Eucharistiæ Sacramento. Neque verò locus ille Actuum 3. 21. contra fidem catholicam de præsentia Christi Domini in Eucharistia facit. Cùm enim vox δέξασθαι sit ambigua, & rarò significet *continere*, Sæpius autem recipere, vt Matth. 10. 40. ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος, δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με, &c. *Qui vos recipit, me recipit, &c.* infirmum planè est tuum, quod ex vi verbi petis, argumentū. Non videris Caluinum legisse, qui Lucam ambiguè loquutum scribit. *Quoniam, inquit, ad crassum terrenúmque Dei & Christi aspectum semper propendent hominum sensus, potèrat in mentem Iudæis venire, Christum quidem prædicari à mortuis excitatum, sed vbinam esset non ostendi. Præuenit ergo Petrus quum in cælo esse dicit. Vnde sequitur tollendas in altum esse mentes, vt Christum fidei oculis requirant, quanuis immensa locorum distantia sit remotus, quanuis cælesti gloria extra mūdum habitet. Cæterum locutio est ambigua: quia tam intelligere possumus*

Ex Ministri absurda doctrina, Baptismus Christus dici potest.

Caluin. in Actor. Apost. § 21.

Ex ambiguo nihil certū colligitur.

sumus Christum in cælo capi, vel contineri, quàm cælum capere. Ad hæc, si Christus *extra mundum habitat*, ergo Cælo neque capitur, neque continetur, aut certè Cælum, Mundi pars non est. Caue ne pro vno Mundo, innumerabiles nobis cum Democrito substituas. Qui verò Christum Dominum cælo contineri, & capi existimas, Quid respondebis Apostolo asserenti Christum *ascendisse supra omnes cælos.* Si est suprà omnes Cælos, quomodò Cælo capitur & continetur? Si fidem D. Paulo non habes, Pythagoræ tuo saltem non repugnabis. Accipe ergo, quam tradidit verborum Apostoli Caluinus sententiam, *Super omnes cælos: Perinde est, ac si diceret, extra hunc mundum creatum.* Tu vis Christum in Cælo concludere, quem Apostolus, Caluini iudicio, *extra mundum hunc creatum* ascendisse scribit. Posteà se ipse Caluinus explicat: *Quū dicitur Christus in cælo esse, non sic accipere debemus, quasi resideat inter sphæras, vt stellas numeret, sed illic Cælum significat locum sphæris omnibus superiorem, qui post resurrectionem filio Dei est destinatus, non quòd propriè locus sit extra mundum, sed quia de Regno Dei loqui, nisi more nostro non possumus.* Ecce, Caluinus negat Christum capi, siue contineri Cælo. Responde quæso simpliciter, an Cælum illud in quo Christum Dominum concluditis, sit res aliqua à Deo procreata? & versus quam Mundi plagā Christus existat, & an vinculis ita coerceatur, vt se loco mouere non possit? Quæro deinde, vbinam Christus esset, cùm Paulo visus est nouissimè: nam Apostolum verè ipsum Dominum vidisse, si negaueris omnem, Scripturæ auctoritatem adimes, vt rectè obseruauit D. Thomas; scribens: *Christus semel ascendens in cælum, adeptus est sibi, & nobis in perpetuum, ius & dignitatem mansionis cælestis. Cui tamen dignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione Christus quandoquè corporaliter ad terram descendat, vel vt ostendat se omnibus, sicut in iudicio, vel vt ostendat se alicui specialiter sicut Paulo, vt habetur Act. 9. & ne quis credat hoc factum fuisse, non Christo ibi corporaliter præsente, sed aliqualiter apparente, contrarium apparet per hoc quod ipse Apostolus dicit prima ad Corinth. 15. ad confirmandam resurrectionis fidem, Nouissimè omnium tanquàm abortiuo visus est & mihi. Quæ quidem visio veritatem resurrectionis non probaret, nisi verum Christi corpus visum fuisset ab eo.* Quod si in Cælo corpus Domini ab Apostolo visum esse dixeris, qua ratione constabit illa Ananiæ oratio, *Saule frater, Dominus misit me Iesus qui apparuit tibi in via, qua veniebas*, cum ciusmodi responsione? Ipse etiam Apostolus Agrippæ Regi, qua ratione ad Christianam se adiunxerit religionem, sic narrat: vt nemo dubitare possit, quin Christum Dominum verè viderit. Nunquid perspicua sunt illa verba Pauli. *Non sum Apostolus? Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Hoc nominatim adiecit*, inquit Caluinus, *ne qua in parte reliquis Apostolis haberetur inferior: nam hoc vnum identidem*

Ephes. 4. 10. Christus supra omnes Cælos. *Caluin. in cõment. in c. 4. epist. ad Eph. §. 10.*

Cal. negat Christum cælo contineri.

1. Cor. 15. 8. Act. 9. 3. Thomas 3. p. q. 57. art. 6. ad 3.

Paulus verè Christū vidit in via.

Actor. 9. 17.

Actor. 22.

1. Cor. 9. 1. Calu. in c. 9. epist. 1. ad Cor. § 1.

latrabant maleuoli & æmuli, per hominum manus ipsum accepisse quicquid habebat Euangelij, quum nunquam Christum vidisset. Et certè non versatus erat cum Christo in mundo: Sed Christus illi post resurrectionem apparuerat: non minus autem est Christum vidisse in gloria immortali, quàm in humilitate carnis mortalis. Caluinus non audet negare Apostolum vidisse Dominum, quamuis, vt homo fuit vafer, leui brachio hac de re disserat: Imo cùm maximam nonnunquam habet, qua ratione D. Paulus oculis suis Dominum conspexerit, explicandi occasionem, ad alia orationem diuertit: Ac ne pluribus de re minimè dubia agam: Nos Christum Dominum pluribus esse in locis certò nobis persuademus: hácque breui oratione omnes Caluinianas ineptias planè dispellimus. Lege [a] Hegesippũ, Origenẽ, [b] Athanasium [c] & Ambrosium [c], ac D. Petrum, Romæ Dominum vidisse, si grauissimis Auctoribus fidem vllam existimas habendam, non inficiaberis.

Petrus Christum Romæ vidit.
a Hegesippus lib. 3. de excidio Ierosolymit.
b Tomo 21. in Ioan.
c In apologia de fuga.
d Contra Auxentiũ de Basilicis tradendis.

MINISTER. pag. 79.

Nec vero Christus ita discerpitur, nec minus præsens est in Cœna. Affirmamus enim nusquam esse Christi corpus, quin ibi sit Diuina natura ὑποστατικῶς cum carne coniuncta, & ideo Totum Christum vbique esse fatemur, sed non Totum Christi, id est, non secundum carnis proprietatem, sed secundum personæ vnitatem.

CATHOLICVS.

Institue ex tuis pronuntiatis rationem aliquam, & tibi respondebimus. Nemo est Christianorum, qui Christi carnem vbique esse contendat. Brentius quidem vester germanus hanc hęresim tuetur. Verùm tuam ratiocinationem audire cupimus, qua Christi carnem non esse vbique propterea concludis, quòd diuina natura sit cum ea ὑποστατικῶς coniuncta, hanc enim, cur *Totum Christi* non sit vbique, causam reddis.

MINISTER. pag. 79.

Vt verum est quod in Ecclesiis nostris quotidie sonat, Christum adesse in Cœna, & à fidelibus verè & efficaciter recipi, ita falsum est, corpus Christi eliciis illis vestris verbis in pane contineri, & in terra esse: quum in cœlum ascenderit, & cœlo contineatur, donec veniat iudicaturus viuos, & mortuos.

CATHOLICVS.

Vósne in terris degentes Christum verè recipitis, quem cœlo conclusum esse affirmatis? Dic porro cùm vos Caluiniani Cœnam recipitis, aut personam tãtum Christi Domini, aut naturam diuinam, aut humanam eiusdem naturam vos recipere profitemini: Si personam tantùm, imò si personam cum natura diuina (quam vbique esse vt suspicor, non negabitis) vos recipere dixeritis, Ergo tantùm comeditis & personam & naturam diuinam. Atque hic comedendi modus erit à te explicãdus. Quòd si ad Caluinianam fidem confugeris: superuacaneus erit vestræ Cœnæ vsus. Si verò Naturam humanam

vos

vos verè recipere responderis, semper in tua Caluiniana fide hærebis. Aut certè in Cælum (vt verè Christum comedatis) conscendere vos oportebit. Quia verò frequenter nobis obiicis quod in Assertionibus nostris non legisti, Christi corpus in pane contineri: Quid hac de re sentiamus, paucis aperiam. Fatemur ergo, corpus Domini in Scripturis, panem vocari, at non propterea concedimus in Eucharistia remanere Panis naturam, & substantiam. *Panis* [a] (inquit Apostolus) *quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est?* [b] *Quotiescunque manducabitis panem hunc.* Cuius quidem appellationis ratio duplex assignari potest; tum quòd panis, propter accidentia quæ remanent, esse videatur: tum quòd panis anteà fuerit. Vt enim Eua [c] dicitur os, & caro Adami, quia ex Adami costa eam Deus fecit: & Adam, quem Deus ex terra finxit, [d] puluis appellatur. Et serpens in quem conuersa fuit Virga Mosis [e], Virgę nomen retinet, ita & corpus Domini, in quod panis substantia est conuersa: panis nuncupatur. Tua illa ἁπλῶς, καὶ κατά τι distinctio, quæ ἀπὸ τῆς παρωνυμίας panis petis argumenta, vt dissoluamus, non paruam nobis ansam præbet. In Scripturis enim corpus Christi Domini nunquam simpliciter, sed cum aliqua adiectione, *Panis* appellatur vt [f] τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν *Panis quem frangimus.* [g] *Quotiescumque manducabitis* τὸν ἄρτον τοῦτον *panem hunc.* Et ipse Dominus antè, se panem appellauit, quàm sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum institueret. [h] *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane.* Si omnes Caluini discuterē captiones, omne tibi respondēdi argumentum præriperem: Quare vt tibi gratificer, de industria plurima prætereo, quibus opinionum vestrarum commenta inniti non sum nescius.

a 1.Cor.10.16.
b 1.Cor.11.26.
c Gen.2. 23.
d Genes.3 19.
e Exod.7. 12.
Corpus Christi nunquā simpliciter panis appellatur.
f 1.Cor.10.16
g 1.Cor.11.26
h Ioan.6.52.

CAPVT XXXVI.

MINISTER. pag. 80.

Hic ad Omnipotentiæ asylum confugitis, non sine grauissima nostri accusatione, quasi infinitam, liberrimámque Dei omnipotentiam certis quibusdam cancellis ita circumscribamus, & quasi circumuallemus, vt pluribus in locis vnum corpus Deus conseruare non possit.

CATHOLICVS.

Christiani sumus, quare mirum non est si diuini numinis Omnipotentem vim, & potestatem agnoscamus: Caluinianámque Sectam propterea accusemus, quòd Dei præpotentis maiestatem in ordinē redigere, certósque ei agendi fines constituere non obscurè conetur. Quòd verò Deum, pluribus in locis vnum posse conseruare corpus negetis, tu ipse (vt paulò post videbimus) testis es locupletissimus: Perspice oro, quid asserat Caluinus, & diuinam eum minuisse maiestatem nega, si audes. *Placuit Christum fratribus per omnia similem fieri excepto peccato. Qualis est nostra caro? nónne quæ certa sua dimensione constat, quæ loco continetur, quæ tangitur, quæ videtur?* Tum

Cal. minuit Omnipotentiā Christi.
Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. § 24.

Catho-

Catholicorum personam induens, subiicit. *Et cur (inquiunt) non faciat Deus vt caro eadem plura, diuersaq; loca occupet, vt nullo loco contineatur, vt modo & specie careat. Insane, quid à Dei potentia postulas, vt carnem faciat simul esse & non esse carnem? Perinde ac si instes vt lucem faciat simul esse lucẽ, & tenebras. At lucem, vult esse lucem: tenebras, tenebras: carnẽ, carnẽ. Conuertet quidẽ quũ volet tenebras in lucem, & lucem in tenebras: sed quum exigis vt lux, & tenebra non differant, quid aliud quàm ordinem sapientiæ Dei peruertis? Carnem igitur carnem esse oportet: Spiritum Spiritum: vnumquodque qua à Deo lege & conditione creatum est.* Igitur, auctore Caluino, Si corpus Christi Domini pluribus esset in locis, simul esset corpus, & non corpus, & ordo diuinæ sapientiæ peruerteretur: Verùm nemo est qui vel cogitatione complecti queat, qua ratione corpus simul sit corpus, & non corpus, seu (vt Caluini vocem vsurpem) *caro simul sit, & non sit caro, lux simul sit lux & tenebra.* Hæc ex iis esse, quæ fieri non possunt, Catholici non grauatè concedent. At caro quamuis varia occupet loca, non propterea caro esse desinit. Vt autem Beza, magistri sui opinionem confirmaret à Petro Pseudomartyre inanes captiones aliquot mutuatus est. Is enim clarius impietatem sic prodidit suam *Querimur*, inquit, *quod semper Dei potentiam obiiciatis, cùm hoc ex illarum sit rerum genere, ad quas Dei potentia se non extendat: nempe vt multis in locis eodem tempore corpus humanum salua natura sua diffundatur.* Nega nunc vestræ Caluinianæ nationis homines certos Dei maiestati cancellos circundedisse. Tibi certè erit ad nouum impietatis asylum confugiendum, vt Theses nostras veritati repugnare probes.

Beza contra Heshussium. Petrus Martyr in defensione doctrinæ de Sacrosãcto Eucharistiæ Sacramento aduersus Gar dinerũ. part 1. ad 11. obiectiõ. vide quæ idẽ scribit ad obiect. 12.

MINISTER. pag. 80.

Hæc est vestra crambe: ecquid etiam aliud quàm easdem veritatis responsiones ei opponemus? Agemus tamẽ breuiter, idque ex vestri Thomæ principio. In agentibus per voluntatem, potentia sequitur voluntatem velut imperantem. Rectè igitur Tertullianus, Temerè & importunè de Omnipotentia Dei quæstionem moueri, priusquam de eius voluntate constet.

CATHOLICVS.

Hæc quidem crambe tibi mors est Minister, ex qua te tuæ illæ omnes *veritatis responsiones* eripere nunquam poterunt. Quod autem ex D. Thomæ sententia refers: *In agentibus per voluntatem, potentiam sequi voluntatem velut imperantem*: Si non distinctionem, aut quæstionem, saltem librum Auctoris si ascripsisses, certi aliquid de doctissimi viri sententia respondissem. Quod apud ipsum reperi huic tuo principio affine, subiiciam. *In his* (inquit Thomas) *quæ aguntur per voluntatem, vt dicitur 9. Metaph. potentia & scientia determinantur ad opus per voluntatem, & ideo scientia, & potentia in Deo quasi non determinata, vniuersaliter pronuntiantur, vt cùm dicitur omnisciens, vel omnipotens: Sed voluntas quæ determinat, non potest esse*

Thom. de potentia Dei. q. 1. art. 7.
Cur Deus non dicatur omniuolens vt omnipotens.

omnium. Sed eorum tantùm ad quæ potentiam, & scientiam determinat: & ideo non potest dici omnivolens. Principio tuo solum concludes, Voluntatem imperare aliis facultatibus, vt nihil liberè ab vlla facultate producatur, nisi ad voluntatis imperium. At non propterea tua *agentia per voluntatem*, nihil amplius præstare posse probabis. Potuisti pluribus cavillationibus librum tuum refercire quàm feceris, & tamen manus tua dum scriberet, & intelligentia tua, dum animo quid scribendum esset cogitares, ac cæteræ animi corporísque tui facultates (in quibus aliqua agendi libertas extitit) secutæ sunt voluntatem tuam veluti imperantem: non propterea tamen, tam angustis intelligendi scribendíque potestatem tuam cancellis vis concludi, vt nihil amplius in posterum scribere valeas. Quod, si licet conijcere, ex summa Philosophiæ ignoratione principium illud tuum hoc loco nobis obiecisti. Quia *in agentibus per voluntatem potentia sequitur voluntatem velut imperantem*, necessariò sequi existimasti: *agentia per voluntatem* (vt sic tecum loquar) ea tantùm perficere posse quę ipsis Voluntas præscripsit. Cùm tamen neque Voluntatis, neque cæterarum facultatum vis & potestas antegreßsis actionibus sit omninò exhausta. Breuem responsionem habes ad Principium tuum, quam nunquam firmo aliquo argumento improbabis. Quòd verò Tertulliani librum non notaueris, non leuem nobis de tua inscitia suspicionem facit. Pauca tamen quæ Dei omnipotentis vim & maiestatem, antiquißimum hunc Auctorē semper suspexisse confirmāt in medium afferam. *Deus* (inquit Tertul.)[a] *non alia lege credēdus est, quàm vt omnia posse credatur*, & alio loco.[b] *Sed nihil Deo difficile. Quis hoc nesciat? Et impoßibilia apud seculum, poßibilia apud Deum quis ignoret? Et*[c] *stulta mundi elegit Deus vt confundat sapientia. Legimus omnia. Ergo inquiunt difficile non fuit Deo, ipsum se & Patrem, & Filium facere, aduersus traditū formam rebus humanis. Nam & sterilem parere contra naturam difficile Deo non fuit, sicut nec Virginem. Planè nihil Deo difficile. Sed si tam abruptè in præsumptionibus nostris hac sententia vtamur, quiduis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideóque credendum est illum fecisse, etiam quod non fecerit. Sed an fecerit requirendum. Potuit, (ita saluus sim) Deus pennis hominem ad volandum instruxisse, quod & miluis præstitit: non tamen quia potuit, statim & fecit. Potuit & Praxeam & omnes pariter Hæreticos statim extinxisse, non tamē quia potuit, extinxit: Oportebat enim & miluos esse, & Hæreticos.* Vbi librum Tertulliani notaueris, ac ipsa Auctoris verba descripseris tibi lubenter respondebo.

[a] *Lib. de Resurrectione.*
[b] *Lib. aduersus Praxean.*
[c] 1. Cor. 1. 27.

Deus non omnia facit quæ potest.

Deus potuit omnes Hæreticos extinxisse, non tamen extinxit.

MINISTER. pag. 80.

Probate Deum velle corpus Christi esse in pluribus locis, & Deum posse confitebimur: quum quicquid velit haud dubiè poßit. At quum Deus voluerit nos per Christum hominem seruari, verúmque corpus illi in eum finem

dederit, nihil certè aliud euinci potest, quàm corpus illud proprietatibus vero corpori essentialibus constare: inter quas hauddubiè numerantur ea dimensiones, quibus verum corpus necessariò circumscribitur. Voluit igitur nos Deus per verum hominem seruari: Non est sibi ipsi contrarius, qui Naturæ opifex, Naturæ quidem legibus minimè obligatur, quædam tamen in rebus ipsis, tam ἀσειδῆν creauit, & ita in illis insita, vt si mutentur, rerum ipsarum interitus necessariò consequatur, quum in iis sit, τό τι τῶν εἶ), & natura ipsarum rerum: ac proinde saluis rebus Deus illa mutare, nec velit, nec possit: quoniam ipse sibi hanc legem volens, & vltrò quasi indixit. Huiusmodi est Necessitas principiorum, numerorum, ponderum, mensurarum, ipsarumque adeò dimensionum illarum quibus corpora definiuntur.

CATHOLICVS.

Factionem vestram de immensa Dei maiestate detrahere, nunc planè confiteris. Faciamus non posse nos, probare corpus Christi esse in pluribus locis, an propterea sempiterni Numinis immensam potestatem negabis? Suprà probauimus Christi Domini corpus esse in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quare & in pluribus illud esse locis, necessariò concludimus: Atque (vt ego te vicissim interro-

Deus multa potuit facere quæ non fecit.

gem) Vbinam scriptum est, Christum Patrem rogasse, vt Angelos sibi mitteret subsidio, aut Patrem æternum amplius duodecim Angelorum legiones misisse? Potuit certè Christus Patrem rogare, vt in subsidium Angeli mitterentur, & Pater voluntati Christi facere

Matth. 26. 53.

satis nullo negotio potuit. Perspicua sunt Domini verba, *An putas, quid non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Nemo Catholicorum est, qui Christi Domini corpori adimat *proprietates essentiales, inter quas haud dubiè non numerantur eæ dimensiones, quibus verum Corpus necessariò circumscribitur*: Tuum est, Scripturæ testimoniis, has tuas Proprietates cum Christi Domini corpore sic conglutinare, vt nec interminata sempiterni Numinis potestate ab eo diuelli possint: Insaniret penitus, qui corporis naturam ex dimensionibus esse cōflatam existimaret. Disce quæso à Logicis, in quo rerum ordine Dimensiones collocentur: in qua item Categoria, Corpora sedem obtineant, ne rerum omnium, cum tua noua Philosophia, summam in Christianorum Scholas inuehas confusionem. Profer legem hanc qua Deus omnipotentem suam vim, & potestatem sic coercuit, vt quantitatem à corpore amplius seiungere nō possit. Et, si *Deus* (vt tu ais) *ipse sibi hanc legem volens, & vltrò quasi indixit,* Scripturæ testimonio (modò velis vt tibi credamus) Deum hanc Legem composuisse probabis. Profitemur ergo omnes Christi dimensiones, cum ipsius corpore perpetuò esse copulatas. Quid nunc ais Minister? Quę tu longa oratione inaniter effutire voluisti, paucis verbis discussimus.

Corpus sine quantitate esse potest.

MINISTER. pag. 80.

Rectè aiebat Augustinus verè augustus Theologus, Tolle spatia locorum corpori

corporibus,& nusquam erunt, & si nusquam, nec erunt: non tamen idcirco Omnipotentiam Dei in angustias redigebat.

CATHOLICVS.

Augustinum, nunc Augustum appellas, cùm ipsius contra nos sententia abuteris, quem tuus Caluinus, propterea impium fuisse sentit, quod eorum qui ex hac vita excesserunt memoriam, in piorum hominum precibus iure fieri docuerit. Putas fortaßis grauißimum Ecclesiæ Doctorem adeò fuisse in rebus philosophicis rudem, vt supremum Cælum in corpore aliquo inclusum existimarit. Si ipsius opera legisses, locum ex quo tui Præceptores verba illa, quæ tu nobis obiicis, excerpserunt, notasses. Ascribam integram sententiam, *Quomodo enim vbique (Deus) si in seipso? Vbique scilicet quia nusquam est absens. In seipso autem, quia non continetur ab eis quibus est præsens, tanquam sine eis esse non possit. Nam spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit vbi sint: & ideo necesse est vt non sint.* Agit hoc loco D. Augustinus de corporibus, quę locis circumscribuntur, eiusmodi enim corpora, naturaliter sine locis consistere nequeunt. De diuina autem potestate iam non loquitur, quam ipse frequenter immensam, & interminatam esse profitetur. Excute Caluini Minister, quæ sequuntur, vt discas Deum posse corpora sine loco conseruare. *Super motum, cursúmque rerum naturalem, potestas Creatoris habet apud se posse de omnibus facere aliud, quàm eorum quasi seminales rationes habent: non tamen id quod in eis posuit, vt de his fieri vel absque ipso possit.* Euolue diligenter quod ait, *De omnibus Deum posse facere aliud &c.* Certè & Corpus, & Quantitatem his verbis est complexus, pugnabit ergo secum, si corpus sine loco conseruare Deum posse Epistola ad Dardanum negauit. Est & alia præclara eiusdem sententia, quam tuæ Caluinianæ Philosophię opponā. *Sicut non fuit* (inquit) *impoßibile Deo, quas voluit instituere: sic ei non est impoßibile in quicquid voluerit, quas instituit mutare naturas.* Huic adiungo præclaram, & luculentam Hugonis Victorini orationē, ne Scholasticos Doctores solos, tibi aduersari existimes. *Dices mihi, quomodo corpus vnum eodem tempore in diuersis locis esse potest? hic est, ibi est, totum vtrobiquè est, & in multis locis similiter. Noli mirari, qui fecit locum, fecit corpus, & fecit locum in corpore, & corpus in loco. Sed qui fecit vt corpus vnum in vno loco esset, fecit sicut voluit: & si voluisset aliter, facere potuisset. Nam & quando vult, aliter nunc facit: & est semper sicut ipse vult.* Si vis omnia corpora in locis includere, innumerabiles Sphæras, procreare te oportebit, aut certè nouam quandam philosophiam excogitare, quæ nobis supremum Cælum corpore aliquo cingi, & concludi persuadeat.

Caluin. lib. 3. Inst. c. 5 §. 10. Aug. li. 9. Confess. c. 12.

Aug. epist. 57. ad Dardanū.

Idē August. de Genesi ad literam lib. 9. c. 17.

Deus de omnibus potest aliud facere.

Idē August. lib. 21. de Ciuit. Dei ca. 8

Deus naturas mutare potest.

Hugo de S. Victore part. 8. lib. 2. de Sacram. cap. 11.

MINISTER. pag.80.& 81.

Quid plura? Idem qui principium huic responsioni dedit, eidem finem imponat Thomas, cuius hæc sunt diserta verba. Sed ea quæ sunt secundum seipsa impossibilia Deus facere non potest: vt, non potest facere quod affirmatio & negatio sint simul vera, nec aliquid eorum in quibus hoc impossibile includitur. Nec hoc dicitur non posse facere propter defectũ potentiæ, sed propter defectum possibilis, quòd à ratione possibilis deficit: propter quod dicitur à quibusdam, quòd Deus potest facere, sed non potest fieri. lib.1.sentent.dist. 24.

CATHOLICVS.

Minister im peritè citat D Thomã.

Te nè D.Thomam legisse existimabimus, qui Summam Theologiæ in *distinctiones*, & Scriptum in Sententiarum libros, in dist. partiris? In distinct.24.lib.1. Sentent. hæc tua diserta verba nõ extant.[a] Disputat. namquè in dist. illa vicesima quarta, *De nominibus significantibus vnitatem & pluralitatem in diuinis, & de nominibus significantibus ea, quæ sunt pluralitati annexa.* & ne operas tuas accuses. lib.1. Sentent. diserta illa tua verba inuenire non potui. Quæ autem alio loco à D. Thoma scripta reperi, subiiciam: Nam is ex cuius libro hanc sententiam transcripsisti non tantùm Scribę sibi, verùm & Interpretis partes sumpsit. *Aliquid dicitur impossibile fieri tribus modis*, inquit D.Thom. *Vno modo propter defectũ actiuæ potentiæ, siue in transmutando materiam, siue in quocunque alio. Alio modo propter aliquod resistens vel impediens. Tertio modo propter hoc, quòd, id quod dicitur impossibile fieri, non potest esse terminus actionis. Ea ergo quæ sunt impossibilia in natura primo, vel secundo modo, Deus facere potest. Quia eius potentia cùm sit infinita, in nullo defectum patitur, nec est aliqua materia quam transmutare non possit ad libitum. Eius enim potentiæ resisti non potest. Sed id quod tertio modo dicitur impossibile, Deus facere non potest, cùm Deus sit actus maximè & principale ens. Vnde eius actio non nisi ad ens terminari potest, & ad non ens consequenter. Et ideo non potest facere quòd affirmatio, & negatio sint simul vera: nec aliquod eorum in quibus hoc impossibile includitur. Nec hoc dicitur non posse facere, propter defectum suæ potentiæ: sed propter defectum possibilis, quod à ratione possibilis deficit, propter quod dicitur à quibusdam, quòd Deus potest facere, sed non potest fieri.* Habes diserta nunc D. Thomæ verba, quæ quidem vera esse credimus: In quibus nihil omnino reperies contra omnipotentis Dei immensam vim, & potestatem: Nam, vt in Theologiæ summa ab eodem scriptum est, *Ea, quæ contradictionem implicant, sub diuina Omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem. Vnde conuenientius dicitur, quòd ea non possunt fieri, quàm quòd Deus ea non possit facere.* Disce quæso, modestissimè Caluini Minister, à Scholasticis Doctoribus rectè non modo de rebus diuinis sentire, sed etiam loqui.

a Pag.81.

Thom. de potentia Dei q.1.art.3.

Aliquid esse impossibile tribus modis dicitur

Quæ impossibilia Deus possit facere.

Idem Thom. 1.part.q 25. art.3.

MINISTER. pag. 81.

In summa, respondemus tum valere argumentum ab Omnipotentia Dei quum constat Deum velle: sicuti rectè colligunt fideles in Psalmo 115. Certè Deus noster est in cælo: omnia quæ voluit fecit.

CATHOLICVS.

Obscuritatis nunc latebras quæris, *tum valere* dicens *argumentũ ab Omnipotentia Dei, quum constat Deum velle.* Explica nobis, quod argumentum intelligas: *Fideles tui in psal. 115.* suo iudicio, collegerunt Deum esse peccati auctorem. Lege Caluinum in versum tertiũ illius psalmi, quem vos cum Iudæis 115. facitis, Ecclesia verò Catholica 113. ei locum tribuit. Deus potuit tuam effrænem scribendi licentiam coercere, non tamen coercuit. Multa itaquè Deus facere potest, quæ neque fecit, neque vnquam facturus est. Vt veteris Ecclesiæ de Christi Domini corpore in pluribus locis sententiam intelligas, D. Chrysostomum afferam, qui orationis suæ vbertate, & copia, aridam tuam loquacitatem reprimet[b]. *O Miraculum,* inquit, *ô Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se tradit volentibus ipsum accipere, & complecti: fit autem nullis præstigiis, sed apertis, & intuentibus omnium circumstantium oculis.* Nihil clarius contra tuas nugas dici potuit: euolue illa Chrysostomi verba, *Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Accipe etiã quæ aliis in locis idẽ Auctor scripsit. [b] *Recolite quia illius corpus est & sanguis, qui suprà cælos residet, qui ab Angelis suppliciter adoratur: Illius inquam, qui proximè assistit immortali Dei potentiæ: huius delibamus sanguinem, & proprium corpus nobis sumendum tradidit.* Ac in oratione quam nunc subiiciam clarè, & dilucide loquitur, [c] *Elias Meloten discipulo, filius autem Dei ascendens, suam nobis carnem reliquit: sed Elias quidem exutus, Christus autem ascendens, & eam nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.* Si Christus Dominus suam carnem nobis reliquit, & ipsam carnem habens ascendit, erit caro Domini, & in Cælis, & in terris. Et iterum, *Elias vestem ouillam dimisit discipulo, filius verò hominis ascendens, suam ipsius carnem nobis reliquit.* Vbi has tanti Doctoris sententias euolueris, non deerunt firmissima Veritatis præsidia, quæ vestris captionibus opponamus.

b Chrysost. li. 3. de Sacerdotio.

Corpus Christi est in pluribus locis.

b Idẽ Chryso. Homil. 3. ad Ephesios.

c Idẽ homil. 2. ad populum Antiochenũ.

4. Reg. 2. 13

d Idẽ homil. de Diuitiis & paupertate.

CAPVT XXXVII.

MINISTER. pag. 81.

Omnesne periquè Catholicos, id est eos qui sunt in Ecclesiæ Catholicæ sinu, censetis verè comedere corpus Christi: quemadmodum ait Augustinus, vnum de societate comedisse panem Domini, cæteros verò panem Dominum? Hic enim esus fidelibus propriè quadrat. Quod à vobis distingui primum omnium oportuit: sicuti disertè Romanum illud Concilium Berenga

rianum cauerat, fidelium dentibus atteri &c. Ecquid verò illud est, Comedere? Estne dentibus atterere, vt totidem verbis Nicolaum Papam cum CXIIII. Episcopis Lateranensi Concilio decreuisse ostendimus.

CATHOLICVS.

Cogor & hîc Minister, inconditæ tuæ Orationis, ex Caluino sensum petere. Ipsius ergo verba, quæ tu nondum euoluere didicisti subiiciam: vt Christianus Lector & argumenti vim perspicuè intelligat, & tuam ex aliorum Scriptis delibandi imperitiam obseruet.

Caluin. lib. 4. Instit. ca. 17. §. 34.

Audimus (inquit Caluinus, de quadam D. Augustini sententia dissetens) *rursum opponi visibile signum spirituali manducationi. Quo refellitur error ille, corpus Christi inuisibile sacramentaliter reuera comedi, quamuis nō spiritualiter. Audimus etiam profanis, & impuris nihil concedi præter visibilem signi sumptionem. Hinc celebre eius dictum, reliquos Discipulos panem Dominum manducasse, Iudam verò panem Domini, quo incredulos clarè excludit à participatione corporis, & sanguinis.* Probare ergo contendit, improbos non comedere corpus Domini: Sed abutitur Augustini sententia, vt inter omnes constat, qui D. Augustinum diligenter legerunt.

August. in Euang. Ioan. Tract. 59.

Apostoli panem dominum acceperunt: Iudas autem panē Domini.

1 Cor. 11. 29.

Scit, Dominus, *quos ad societatem beatitudinis huius elegerit: non est ex eis iste, qui panem illius sic edebat, vt super eum leuaret calcaneum. Illi manducabant panem Dominum, ille panem Domini, contra Dominum: illi vitam, ille pœnam. Qui enim manducat indignè, ait Apostolus, iudicium sibi mādacat.* Tuo igitur iudicio, scripsit Augustinus, *Vnum de societate, &c.* cùm tamen ab aliorum societate apertè Iudam excludat his verbis, *Scit quos ad societatem beatitudinis huius elegit, non est ex eis iste, &c.* Tuum autem erat Minister, quod Catholici iam Caluino responderunt, refutare, non veterem nobis occinere cantilenam.

Iudas cū cæteris corpus Domini comedit ex sententia Aug.

Certum enim est D. Augustinum sentire Iudam corpus Domini cum cæteris Apostolis comedisse. Inter cæteros verò Apostolos, & Iudam (ex eiusdem Augustini sententia) hoc interfuit, quòd illi submissè de se sentientes, corpus Domini comederint: hic verò, quamuis Domini corpus comederit, non tamen Christum tanquam Dominum debita coluit obseruantia.

Discrimen inter Iudam & cæteros Apost.

Iudas ergo comedit panem Domini (nam reuera Christus fuit ipsius Dominus:) Cæteri verò Apostoli, panem Dominum comederunt, cùm Christum tanquam Dominum suum sint reueriti. Ac non dubium est quin his verbis asserat, Iudam ore corpus Domini comedisse, quare & cæteri Apostoli, ex eiusdem sententia, idem Domini corpus ore comederunt. At vos Caluiniani negatis, siue ore, siue manibus vos Domini corpus tangere: Quare cum Iuda (si Præceptoris vestri illa verborum Augustini explicatio probanda est) panem Domini, & non, cum cæteris Apostolis, panem Dominum in vestris Cœnis comeditis. Deinde variis in locis, non tantùm bonos, sed etiam improbos Domini corpus comedere, scribit ipse Agustinus,

August. in Io. Tract. 27.

Carnem & sanguinem Christi, non edamus tantùm in Sacramento,

quod

quod & multi mali, sed vsque ad spiritus participationem manducemus, & bibamus, vt in corpore Domini tanquam membra manducemus, vt eius spiritu vegetemur. Et alio loco apertius, *Illud etiam quod ait* (Dominus) *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo: quomodo intellecturi sumus? Nunquid etiam illos hic poterimus accipere: de quibus dicit Apostolus, quòd iudicium sibi manducent & bibant, cùm ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant? Nunquid & Iudas Magistri venditor, & traditor impius, quamuis primum ipsum manibus eius confectum Sacramentum carnis, & sanguinis eius cum cæteris Discipulis (sicut apertius Lucas Euangelista declarat) manducaret, & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Multi denique qui vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt, vel cùm manducauerint & biberint apostatæ fiunt, nunquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducauerit & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocunque modo quisque manducauerit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus: sed certo quodam modo, quem modum vtique ipse videbat quando ista dicebat.* Planè insaniret, qui improbos corpus Domini comedere, & sanguinem bibere Augustinum negasse asseueraret. Probat enim D. Lucæ testimonio, Iudam, quamuis impium, Christi Domini corpus comedisse, & sanguinem bibisse: Ac ne vllus vobis sit subterfugij locus, vide quod ex eodem Ecclesiæ Doctore subiicio, *Tolerat ipse Dominus Iudam diabolum, furem, & venditorem suum, sinit accipere inter innocentes Discipulos, quod fideles norunt pretium nostrum.* Si Iudas non accepit corpus Domini, sed panem; ergo sensit Augustinus panem esse *pretium nostrum.* Ex his paucis intolerandam esse Caluini insaniam, Christianus Lector facilè iudicabit, qui Augustinum totum suum esse arroganter nimis scripsit. Distingues, fortè, totum Augustinum, & totum Augustini, vt intelligamus qua fronte Caluinus audeat totum sibi Augustinum vendicare. Erit ergo D. Augustinus immanium portentorum auctor & parens: absit. Catholicus fuit, non in Caluini schola, sed in Christi Ecclesia edoctus. Atque vt planius intelligas ipsum à Caluiniana impietate abhorruisse, tibi euoluendas proponam, & alias eiusdē sententias, quibus non dogma vestrum, sed nostram doctrinam complexus est. *Traditorem suum* (inquit) *qui iam pretium eius acceperat, vsque ad vltimum pacis osculum, inter innocentes secum esse perpessus est, & tamen primum Sacramentum corporis, & sanguinis sui nondum illo excluso communiter omnibus dedit.* Dedit ergo (ex ipsius sententia) Christus, idem corpus suum Iudæ, quod cæteris Apostolis. Et ne dicas dedisse quidem corpus suum Iudæ, verùm Iudam illud non accepisse, subiiciam & hanc eiusdem Auctoris orationem, quæ omnem tibi dubitationem tollet.[a] *Ex vna quippe re sanctâ* (id est Eucharistia) *Iudas sibi sumebat*

Idē August. de verbis Domini in Mat. serm. 11.
Ioan. 6. 56.
1. Cor. 11. 29.
Luc. 22. 21.
Diuerso modo boni & mali corpus Christi sumunt.
August. epist. 162.
August. epist. 123.
a Idē August. Cont. lit. Petil. lib. 2. c. 40.

mebat iudicium, Petrus salutem. Et alibi, a *Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se diabolo prabuit: sic indignè quisque sumens dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus. Qui manducat indignè, indicium sibi manducat, & bibit.* Luculenta hæc oratio, quæ vestram inscitiam retundit, cùm sit perspicua, vt ab omnibus intelligi posit, Interpretem non desiderat: Si omnes D. Augustini sententias, quæ contra vos faciunt, describerem, tempus aliis occupationibus destinatum, in re parum necessaria insumerem. Paucis ergo contentus ero, quæ ipsum non esse vestrum, apertè docebunt. *Nec interest* (inquit D. August.) *cùm de Sacramenti integritate, & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille qui accipit Sacramentum: interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti Quæstionem, nihil interest. Fieri enim potest, vt homo integrum habeat Sacramentum, & peruersam fidem: sicut fieri potest, vt integra teneat verba symboli, & tamen non rectè credat, siue de ipsa Trinitate, siue de Resurrectione, vel aliquid aliud.* Nihil ad Sacramenti integritatem, auctore D. Augustino, illius qui Sacramentũ accipit, sanctimonia facit: quare & homines impij integrum Eucharistiæ Sacramentum accipere possunt. Quid Caluinus huic doctrinæ opponat, non erit ab instituto nostro alienum ipsius verbis explicare. *Hæc est* (inquit ille) *Sacramenti integritas, quam violare totus mundus non potest, carnem, & sanguinem Christi non minus verè dari indignis, quàm electis Dei fidelibus: simul tamen verum est, non secus atque pluuia super duram rupem decidens effluit, quia nullus in lapidem ingressus patet: ita impios sua duritie repellere Dei gratiam: quominus ad ipsos penetret. Adde quòd Christum absque fide recipi, nihilo magis consentaneum est, quàm semen in igne germinare.* Vtri fides sit habenda, Diuóne Augustino, qui fidem & sanctimoniam eius qui recipit Sacramentum, ad Sacramenti integritatem requiri negat, an verò Caluino, qui cum sua *rupe* quæ pluuiam arcet, contrariam tuetur sententiam, à Christiano homine in controuersiam vocari non potest. Quòd attinet ad eius exemplum ab Igne petitum: nos illud in ipsum retorquemus. Vt enim ardor igneus impedire non potest coniectionem seminis in ignem (verum enim est semen quod in ignem coniicitur) ita & improbitas eius qui accipit Eucharistiæ Sacramentum, efficere non potest, vt Christi Domini corpus, quòd accipit, non sit verũ corpus. Atque vt semẽ quod ignis excepit, nihil omninò gignit nec procreat, ita & corpus Christi Domini, propter eius qui recipit improbitatem, salutares effectus, (quos solet in viris piis) non producit. Ac ne longior sim in huius Patris sententiis describendis, te vehementer rogo, vt diligẽter perpendas,

a Idem de baptismo contra Donatistas lib. 5. c.8.

1. Cor. 11. 29.

August. in. de Bapt. contra Donat. lib. 3. cap. 14.

Caluin. lib. 4. Instit. cap. 17. § 33.

Corpus Christi etiam ab improbis sumitur.

pendas, an Caluinus non tantùm cum D. Augustino, verum & an secum ipse pugnet. Fatetur enim improbos corpus, & sanguinem Domini recipere, cum ait, *Si neque in cælo, neque in terris quicquam præstantius sit corpore & sanguine Domini: culpa non minima est, id temerè & inconsideratè recipere.* Imò & Lutherus ipse vestram his verbis impietatem redarguit. *Confiteor quòd hoc corpus, & sanguis non tantùm à dignis, sed etiam ab indignis, verè & administretur, & sumatur corporaliter.* Ioachimus VVestphalus non contentus nuda Lutheri confessione, contra Caluini impietatem argumentis decertat. *Indignis offerri corpus* (inquit) *& eos non accipere, nouum est commentum Caluini. At Augustinus & reliqui veteris Ecclesiæ Episcopi, sic neque senserunt, neque scripserunt. Quando loquuntur de corporali, seu sacramentali manducatione, scribunt dignis simul, & indignis verum Corpus dari, & sumi ab ipsis. Quando mentio est de spirituali manducatione, tum dignos affirmant ad salutem edere, indignos verò manducare negant. Sit ergo Caluini sapientiæ, & absurda & fatua illatio, à bonis & malis recipi corpus Domini: Augustino non fuit, vt satis, supérque iam ostendimus. Christus enim non mutat verbum suum cùm indignus accedens edit, & bibit. Et quòd dicit esse corpus suum, propter hominis indignitatem, haudquaquam rursus esse negat. Exitialis est doctrina Christi incredulis, non minus tamen veram doctrinam corporis, auribus suis increduli accipiunt. Itaque licet mali ad iudicium sumant corpus Domini, verè tamen id corporaliter accipiunt. Impij Iudæi non minus viderunt Christum quàm Apostoli, neque minus contrectauerunt Gentes verum corpus eius cùm eum crucifigerent, quam Simeon gestans Iesum in vlnis suis. Similitudine de Verbo Dei vtitur Augustinus libro contra Donatistas, docens bonos & malos idem Verbum Dei audire, & simul Sacramenta Dei percipere, eundémque cibum sanctum, alios dignè, alios indignè manducare. Stat igitur firma Regula, vera esse, offerri, & dari, & externè recipi quantum ad rei substantiam attinet, quæ esse, dare, offerre se verbo suo Christus pronuntiat, etiam si increduli non recipiant dignè, & vtiliter culpa incredulitatis suæ, quoad salutarem vsum.* Hactenus ille. Si veterum Patrum Ecclesiæ Scripta diligenter euoluisses, fortaßis confeßio Berengarij tibi non displicuisset. Contende nobiscum Argumentis, & Scholasticorum opiniones (quas tu non satis intelligis) viris doctis excutiendas relinque. Reprehende, si audes, Chrysostomum, qui Christianos, carni Christi Domini dentes infigere scripsit: ac ne subterfugium in tua euoluendi arte quæras, eius verba recitabo. *Cùm suum in nos amorem, indicare vellet* (Christus) *per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maximè est, Hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant, Quis daret nobis vt eius carnibus impleremur? Quod Christus fecit, vt*

Caluin. de Cœna Domini.

Lutherus in Apologia contra Missam priuatam.

Ioachimus VVestphalus in Apolog. aduersus Caluinum de loco August. ex serm. 20. de verbis apostoli.

Similitudinibus probatur bonos & improbos Corpus Christi sumere.

Chrysost. hom. 45. in Ioan.

Amor Christi in homines declaratur.

Iob: 31. 31.

maiore nos caritate astringeret, atque vt suum, in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri. Et alio loco, quæ de fractione Christi in Eucharistia idem scribit subiiciam, vt orationis tuæ inania fulmina in sanctissimum Ecclesiæ Doctorem liberius possis iacere. *Quod est in calice*, inquit, *id est, quod à latere fluxit, & illius sumus participes. Calicem autem benedictionis appellauit, quoniam cùm præ manibus eum habemus, cum admiratione, & honore quodam inenarrabilis doni laudamus, benedicentes, quòd sanguinem effudit, ne in errore permaneremus, neque tantùm effudit, sed nos omnes eius participes effecit. Quid hoc admirabilius, dic quæso? quid amabilius? Et in veteri quidem Testamento, cùm imperfectiores essent, quem Idolis offerebant sanguinem, eum ipse accipere voluit, vt ab Idolis eos auerteret, quod etiam inenarrabilis amoris signum erat. Hic autem multò admirabilius, & magnificentius Sacrificium præparauit, cùm Sacrificium ipsum commutaret, & pro brutorum cæde seipsum offerendum præciperet. Et panem quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quare non dixit participatio? quia amplius quiddam significare voluit, & multam inter hæc conuenientiam ostendere. Non enim participatione tantùm, & acceptione, sed vnitate communicamus. Quemadmodum enim corpus illud vnitum est Christo, ita & nos per hunc panem vnione coniungimur. Sed quare addit, Quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minimè, sed omninò contra. Os enim eius, inquit: non conteretur. Sed quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi sustinet, vt omnes satiet.* Et infrà. *Quando id propositum vides, dic tecum, propter hoc corpus non amplius terra, & cinis ego sum: nec amplius captiuus, sed liber. Propter hoc, cælum & ea quæ in eo bona sunt, me accepturum spero, propterea, immortalem vitam, Angelorum sedem, Christi consuetudinem. Hoc Corpus affixum, verberatum, morte victum non est. Hoc corpus Sol crucifixum vidēs, radios auertit. Propter hoc & velum Templi scissum est, & petræ, & terra vniuersa tremuit. Hoc idem Corpus cruentatum, lancea vulneratum, fontes sanguinis & aquæ vniuerso Orbi salutares scaturiuit.* Confer has Chrysostomi sententias cum Berengarij Confessione, & Ecclesiæ Christi, quòd fidei Christianæ dogmata, vsitatis loquendi formulis explicarit, vitio verte, vt omnes quo animo Veritati bellum indixeris, cognoscant.

Idem Chryso. homil. 24. in 1. Epist. ad Corint.

Admirabile amoris signum.

1. Cor. 10. 16.

Communicatio plus quàm participatio.

Exod. 12. 46. Ioan. 19. 36.

Cur in oblatione frangatur qui in passione fractus non est.

Matt. 27. 45.

MINISTER. pag. 82.

Expurgando Augiæ stabulo quondam opus fuit Hercule. Vestri quoque illius non scripti Verbi stabulis expurgandis Herculem vobis propediem opponemus: vt Palladium vestrum omnibus hoc tempore innotescat, quo antiquatos illos, obsoletósque errores ita depingitis, vt tanquam augusta quædam mysteria fatuo Mundo illa obtrudatis. Apage igitur Canabalicos illos siue Cyclopicos esus vestros, & infandum Idoli genus tandem agnoscatur.

Ministri audacia.

CATHO

CATHOLICVS.

Non potuisti sine Poëtarum fabulis præclarum tuum Scriptum perficere. Herculem tuum furibundum Verbi Dei reribus vbi ad nos venerit, constringemus: Αὐγείου βουστασίας, & haras tibi Minister purgandas relinquimus. Palladium autem in Bezano Sacrario quære. Cæterum antiquatos, obsoletósque errores (à vobis renouatos) ita depingimus, vt multi per Dei gratiam, desertis Caluini castris ad Christi Ecclesiam redeant. Quòd autem Canibalum, & Cyclopum τῶν ἀνθρωποφάγων esus nobis obiicis, te non magis in nostris sacris versatum esse profiteris, quàm olim Gentiles, & profanos homines, apud quos cùm rumor quidam de Eucharistiæ immolatione, & esu percrebuisset, infanticidium primis Christianis, teste Origene: & Thyestæa conuiuia, vt scribunt Martyres Lugdunenses, obiicere consueuerant. *Orige. l. 6. in Celsum Eu-seb. lib. 5. hist. Eccles. c. 1 vide sainctesium repet. c. 8. de Euchar.*

CAPVT. XXXVIII.

MINISTER. pag. 82.

Recte Augustinus aureo Verbo aurum superstruens, Manducare definit credere: Sicuti & Decretum etiam refert. De Consecr. dist. 47. q. Vt quid. & spiritualem esse esum illum tam frequenter inculcat, vt superuacaneum esset locos passim obuios notare.

CATHOLICVS.

De hoc Augustini loco, quem nobis iterum obiicis, infrà agemus. In tertia porrò Decretorum parte, quæ de Cõsecratione inscribitur, sont tantum quinque Distinctiones: quæ non in Quæstiones, sed in Capita distribuuntur, Quod verò citas, habetur de Consecr. dist. 2. cap. Vt quid. *Minister imperitè citat.*

MINISTER. pag. 82.

Vester etiam Thomas ex Verbi scripti luce, iubet vt quum aliter alibi ipse loquitur, à seipso ad illam lucem prouocemus: Hac est differentia (inquit) inter alimentum corporale, & spirituale: quòd alimentum corporale conuertatur in substantiam eius qui nutritur: & ideò non potest homini valere ad vita conseruationem alimentum corporale, nisi realiter sumatur, sed alimentum spirituale, conuertit hominem in seipsum: secundum illud quod Augustinus dicit in libro Confessionum, quòd quasi audiuit vocem Christi sibi dicentis, Ne tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tua, sed tu mutaberis in me. Potest autem aliquis in Christum mutari, & ei incorporari voto mentis, etiam sine huius Sacramenti perceptione. 3. part. dist. 73. art. 3.

CATHOLICVS.

B. Thomas (quem nostrum esse gloriamur) tertiam Summæ Theologiæ partem non in dist. vt tu falsò existimas, verùm in Quæstiones, partitus est, atque Articulo 3. Quæstionis 73. disputans an Eucharistiæ Sacramentum ad salutem animæ obtinendam sit necessarium: *Ministri inscitia do ignorantia.*

In Eucharistia Sacramentum & res.

concludit, rem Sacramenti omninò necessariam esse. *In hoc Sacramento, inquit, duo est cõsiderare, scilicet ipsum Sacramentum, & rem Sacramenti. Dictum est autem quòd res huius Sacramenti est vnitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus. Nulli enim patet aditus salutis extra Ecclesiam, sicut nec in diluuio absque arca Noe quæ significat Ecclesiam, vt habetur 1. Pet. 3. 20. Dictum est autem suprà quòd res alicuius Sacramenti haberi potest ante perceptionem Sacramenti, ex ipso voto Sacramenti percipiendi. Vnde ante perceptionem huius Sacramenti potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum, sicut & ante Baptismum ex voto Baptismi.* Tum sibi obiicit. *Hoc Sacramentum est quoddam spirituale alimentum, sed alimentum corporale est de necessitate corporalis salutis: Ergo etiam hoc Sacramentum est de necessitate spiritualis salutis.* Quod argumentum iis dissoluit verbis, quibus tu augere Scriptum tuum iudicasti. Probat enim spiritualem sacrosanctæ Eucharistiæ vsum: At eum non propterea contemnit, nec reiicit, quem Theologi Sacramentalem vulgò appellant. Baptismi suscipiendi propositum, & consilium, & malæ actæ vitæ pœnitentia (vt idem docet) homini satis est ad gratiam, & iustitiam, si repentinus aliquis casus impediat, quo minus salutari aqua ablui possit: At non inde Baptismi Sacramentum, tanquam superuacaneum, ipsum probabis reiecisse.

Genes. 6.14. Matt. 24.37. Luc 17 26.

Sacramentũ alimentum spirituale ad salutem necessarium.

Thom. 3. part. q. 68. art. 2.

MINISTER. pag. 84.

Horum verborum hæc nostra est, & vera interpretatio: Hoc est corpus meum, Hoc, id est hic panis: & Hoc, vel hoc poculum, i. hoc vinum: Est, Sacramentaliter videlicet (nam de Sacramentis agitur) Corpus meum, illud nimirum verum, & viuificum corpus quod pro vobis traditur, & frangitur: & Sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.

CATHOLICVS.

Laborandum tibi erit Minister, vt probes hanc tuam interpretationem esse veram, quam à Caluino mutuaris. Extat in Germania libellus, qui ducentas verborum illorum, *Hoc est corpus meum*, complectitur deprauationes.* Cur tu hanc vnam cæteris præfers? Proba Scripturæ testimonio, Cœnæ vestræ panem, esse Domini corpus, & vinum, eiusdem esse Sanguinem. *Pronuntiat Christus* (inquit Cal.) *panem esse corpus suum. De Sacramento habetur Sermo.* Si panis est Christi Domini corpus, & corpus Domini fuit cruci affixum à Iudæis, concludes Iudæos in crucem sustulisse Caluinianæ Cœnæ panem: Vnus enim est Christianorum omnium Eucharistię panis. *Vnus panis* (inquit Apostolus) *vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno Pane participamus.* Respõde, An Nemausensis Cœnę Panis, sit idem cum Gebennensium Pane? Si eundem esse dixeris, quia eundé Christũm vterque panis designat: Et Manna hac ratione dices eundem fuisse Panem cum vestro Caluiniano Pane. Deinde si tua illa interpretatio

* *Sainctesius Episc. Ebr. li. 1. de Euchar. c. 10. 84.* varias hæreticorum interpretationes huius loci proponit.

Caluin. in Harm. ad c. 26. Matth. §. 26.

1. Cor. 11. 17.

Caluini absurda.

pretatio vera esset, qua ratione Christus Dominus dixit, *Hoc est corpus meum*, quiuis aquam Baptismi, Spiritumsanctum esse diceret. Et Baptismi Sacramentum, longè Eucharistia præstare, cùm aqua Spiritumsanctum significet, & Eucharistia (vt vos vultis) tantum designet Corpus Domini. Ac, ne in re à grauissimis Theologis accuratè explicata, diutius immorer. Potuítne Christus Dominus, si Panem, corpus suum appellasset, apertis hoc verbis (vt tu nunc facis) explicare? *Hoc*, inquis, *id est hic panis: & Hoc vel hoc poculum, est Sacramentaliter, &c.* Quomodo quod scribit Matthæus *Hic est sanguis meus* interpretaberis? Mutabisne *Hic*, in *Hoc*, vt Caluinianum errorem tuearis? Sed acuta est in primis, commenti tui probatio, quam mox subiicis. *Matt.26.28.*

MINISTER. pag. 84.

Verum ecquonam modo Est, Sacramentaliter? Illum modum explicet ipsum illud Verbum, ex quo τὸ ῥητὸν Sacramentorum habemus, vt ex regula à nobis hactenus allata, Scriptura è Scripturis intelligantur. Panis quem frangimus, nónne est communio corporis Christi de pane: & Poculum benedictionis cui benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? Hoc facite in mei recordationem; de vino: & Hoc facite quotiescunque biberitis, ad mei recordationem. Itaque de toto Sacramento.

CATHOLICVS.

Tuas explicationes non satis intelligo Minister. Facile est cuiuis Scripturę sentētias describere. Cęterū Verborum Apostoli ex Theophylacti cōmentariis sententiam transcribā. *Calix benedictionis, id est Eucharistia. Manibus enim eum tenentes, benedicimus ei, & gratias agimus ei, qui sanguinem suum pro nobis effudit: ineffabiliáque bona in nos contulit. Non dixit autem μετοχὴν, id est, participatio sed κοινωνία, id est, communio, vt aliquid excellentius indicet, summā puta, vnionem. Quod autem dicit huiusmodi est. Hoc quod in calice est, illud est quod ex latere effluxit Christi, sanguis nimirum pretiosus. Ex eo accipientes communicamus, hoc est, vnimur Christo. Pudeat itaque vos Corinthij, ad Idolorum calicem accurrere, ab calice hoc qui nos ab Idolis liberauit. Panem [a] quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Quod in cruce non est passus Christus ([b] os enim eius nullum est contritum) hoc iam sustinet, cùm per nos frangitur. Quem enim frangimus, inquit, communio corporis Christi est, pro eo dixit quod est, æquè ac illud corpus Christi vnitum est, sic & nos ipsi Christo per panem hunc vnimur.* Hactenus Theophylactus. Reuoca tuas tesseras, & Symbola illa Caluiniana ad ratiocinationes Dialecticas, & tibi respondebimus.

Theophyl. in c. 10. epist. 1. ad Corinth.

Quare Sacramentum dicatur communio, & non participatio.

a 1. Cor. 10. 16.
b Exod. 12. 46.
Ioan. 19. 36.

MINISTER. pag 85. & 86.

Profitemur nos hactenus credere totum Christum in Sacrosancta Eucharistia Sacramento verè adesse: & à fidelibus totum, non portionem panis (vt calumniamini) sed totum & integrum Christum, verè percipi ad salutem: ac proinde nos veram Christi in Cœna præsentiam

verámque eiusdem in eadem perceptionem amplecti: crassam verò Capernaiticam & Cycoplicam, qualem vos inducitis, toto pectore detestari. Quod erat demonstrandum.

CATHOLICVS.

Vocis ambiguitate vis nos credo fallere, cùm scribis, *vos hactenus credere totum Christum in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento verè adesse.* Nos quidem credimus totum Christum ratione diuinæ naturæ, & ὑπόστασιν esse vbique, vt præclarè docet D. August. sic scribens: *Quis est, qui sedet ad dexteram Patris? homo Christus: nam inquantum Deus, semper cum Patre, & ex Patre, & quando ad nos processit, à Patre non recessit. Hoc est enim esse Deum, vbique esse totum. Totus ergo Filius ad Patrem, totus in cælo, totus in terra, totus in vtero Virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in Paradiso, quò Latronem introduxit Non per diuersa tempora, vel loca dicimus vbique esse totum, vt modò ibi totus sit, & alio tempore alibi totus, sed vt semper vbique sit totus.* Quod optimè explicauit D. Thomas his verbis: *Masculinum genus refertur ad hypostasim, vel personam, Neutrum autem genus pertinet ad naturam.* Et paucis interiectis, *In triduo mortis Christi dicendum est, quòd totus Christus fuit in sepulchro, quia tota persona fuit ibi per corpus sibi vnitum, & similiter totus fuit in inferno, quia tota persona Christi fuit ibi ratione animæ sibi vnitæ, totus etiam Christus, tunc erat vbique ratione diuinæ naturæ.* Ac ne te multis detineam, id esse in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, ex vi Sacramenti, certò nobis persuademus, quod verborum forma exprimitur. Quæ verò in eodem Sacramento propterea continentur, quòd cum illis rebus coniuncta sunt, quæ forma exprimuntur, ex concomitantia (vt loquuntur Theologi) in Sacramento dicũtur esse. Et cùm forma, qua Domini præcepto Sacerdotes panẽ consecrant, puta HOC EST CORPVS MEVM, corpus Domini significet, ipsum Domini corpus ex vi Sacramenti in Eucharistia erit. At quia corpori sanguis, anima, & diuinitas cõiungũtur: hæc quoque in Sacramento erunt omnia, vt ea quæ corpori coniuncta sunt. Tu autẽ vis totum Christum. i. Christi personã, esse in Caluini Cœna, animam verò, sanguinem, & corpus in cælis longissimè à vobis abesse. Cæterùm Catholicam sententiam videris approbare, cùm ais: *In Eucharistia Sacramento non portionem panis, sed totum, & integrum Christum, verè percipi ad salutem.* Qui totum, & integrum Christum dicit, personam, & naturam tum diuinam, tum humanam complectitur, vt constat ex Concilio Tridentino, vbi sic hac de re decernitur:[a] *Si quis negauerit in venerabili Sacramento Eucharistiæ, sub vna quaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum cõtineri, Anathema sit.* Et alio loco,[b] *Verissimum est tantundem sub alterutra specie, atque sub vtraque contineri: Totus enim, & integer Christus, sub*

Augustin. de symbolo ad Catechumenos lib. 3. c. 7.

Totus Christus quomodo sit vbique.

Thom. 3. pars. q. 52. art. 3.

Omnia sunt in Sacramẽto cum corpore.

Totus Christus, i. natura diuina & humana est in Sacramento.

a Concil. Trident. sessio. 13. can. 3.

b Idẽ Concil. sess. 13. cap. 3.

sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte: Totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit. Et Caluinus tuus, nomine totius, & integri Christi, vtramque naturam cum persona designari existimat. *Si oculis (inquit) animisq; in cœlum euehimur, vt Christum illic in regni sui gloria quæramus: quemadmodum symbola nos ad eum integrum inuitant, ita sub panis symbolo pascemur eius corpore sub vini symbolo distinctè eius sanguine potabimur, vt demum toto ipso perfruamur.* Cùm ait, *Symbola nos ad integrum Christum inuitare,* certè non solam personam diuinam Christi intelligit. Toto etiam Christo perfrui, quid sit, à te lubenter discerem. Excogita aliquid noui, ne à Præceptoris tui commentis, desciuisse conuincaris. Hoc igitur fundamento iacto, quantùm ex verbis tuis coniicere licet, Transsubstantiationem probas, aut certè aliter scribis, atquè sentis. Si enim *in sacrosancto Eucharistia Sacramento verè adest totus Christus, & à fidelibus non portio panis, sed totus & integer Christus verè percipitur,* in Sacramento non erit substantia panis, cùm fideles percipiunt Eucharistiam, & quicquid in ea continetur.

Caluin.lib.4. Instit.cap.17. §.18.

Minister transsubstantiationem probat.

MINISTER. pag. 86.

De Communionis illius mysterio qua cum Christo capite Fideles, vt illius membra coalescunt, & vnum cum illo fiunt, hæ sunt. Ephes.5.32. Mysterium hoc magnum est: Loquor autem de Christo & de Ecclesia: & & vers.30. ita explicatur: Membra sumus corporis eius, ex carne eius, & ossa ex ossibus eius. Ioan.17.21. Vt vnum sint, sicut & nos vnum sumus, ego in eis, & tu in me. Et, vt omnes vnum sunt, sicuti Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis sunt. Ioan.6.51. Ego sum panis viuificus, qui è cælo descendi: Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.

Præludia locorum scripturæ.

CATHOLICVS.

Tu otio abundas Minister, qui nulla impulsus necessitate, Scripturæ testimonia, quæ non intelligis, temerè describis. Non satis est Scripturæ verba proferre, hoc enim & [a] Dæmon fecit, [b] vt suprà obseruauimus. Verùm si Scripturę pro Caluinianis erroribus faciunt, ex iis conclude, aut nos errare, aut vos veritatem defendere. Quòd autem ais, Apostolum versu 30. explicasse quæ versu 32. scripsit, non video qua ratione probare possis. Ioan.17.21. hæc habentur, ἵνα πάντες ἓν ὦσι, καθὼς σὺ πάτερ ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν σοὶ, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἓν ὦσιν. ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ ὅτι σύ με ἀπέστειλας. Hoc est, *vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt mundus credat, quia tu me misisti.* Certè Christiani hominis, cùm Scripturæ verba quacumque ratione mutas, officio non fungeris. Et versu 30. cap.5. ad Ephes. scripsit Paulus: μέλη ἐσμὲν τοῦ σώματος αὐτοῦ ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ. Quod verbum verbo ita redditum est: *Membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius.* Ex quo apparet te Scripturæ addidisse *& ossa.* Non vereris illud

[a] Matth.4.6.
[b] Lib.1.c.16. Pag.51.

Minister verba scripturæ mutat.

Apoc.22.18.

Apoc.22.18. illud Apocalypseos: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Cæterum Christus se, Ioan.6. 51. non τὸ ἄρτον ζωοποιὸν. id est, viuificum, vt tu vis, sed τὸ ἄρτον ζῶντα, id est, *panem viuum* appellat.

MINISTER. pag. 86.

Vsum Cœnæ Domini demonstrant hi loci perillustres. Luc. 22.19. Hoc facite in mei recordationem. Et 1. Corint.10.16. Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi? Panis quem frangimus, nonne communio est corporis Christi? Ioan.6. 55. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, & eiusdem cap. vers. 63. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam: verba quæ ego loquor vobis, spiritus sunt, & vita sunt. Matth.28.20. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Et, Omnis potestas mihi data est in cælo & in terra. Et Ephes.4.10. Qui descendit ipse est qui etiam ascendit longè suprà omnes cælos, vt impleret omnia. Act.1.9. Et quum hæc dixisset, aspicientibus ipsis eleuatus est. Mat.26.11. Semper pauperes habebitis vobiscum: me verò non semper habebitis. Act.3.21. Quem oportet quidem cælo capi, vsque ad tempora restitutionis omnium. &c. Hi loci, & veram fidelium cum Christo communionem in Cœna, & veram Christi in Cœna præsentiam demonstrant: Capernaiticam & Cyclopicam manducationem, & Idolum crassæ & imaginariæ Præsentiæ, quod carnis Christi veritatem destruit, omnino excludunt. Ex huius veritatis ἀναλογίᾳ semper docuit vetus & Catholica Ecclesia.

Confusa locorũ scripturæ conglobatio.

Præpositio ex cũ dandi casu.

CATHOLICVS.

Quorsum tot Scripturarum ἐπιπλοκὴ & coaceruatio, Minister? Si nos Dei verbo repugnare existimas, à te doceri cupimus. Hæc autem omnia testimonia non modò vera esse confitemur, sed etiam hoc ipsum Catholicæ religionis dogma confirmare, certò nobis persuademus. Ad Apostoli sententiam Ephes.4.10. adiecisti vocem *longè*, quasi tibi esset magis exploratum, quàm Apostolo fuerit, vbi nunc sit corpus Domini. Vide porrò quî cœlo capiatur is, qui longè suprà cælos ascendit, ne tibi ipse contradicere deprædendaris. Cõsule quæ antè hac de re diximus c.35. pag.301. Cæterũ ferè omnes isti loci Scripturæ (à te sine vllo ordine congesti) qui aliquid difficultatis præseferũt, vel iã explicati sunt antè, vel paulò pòst exponẽtur, præter illũ Io.6. *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam.* quẽ sic declarat Aug. *Proinde sic dictũ est, Caro non prodest quicquã-quomodo dictum est* (1. Cor.8.) *Scientia inflat. Iam ergo* (inquit) *debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est scientia inflat? Sola sine Caritate, ideò adiunxit, Caritas verò ædificat. Adde ergo scientiæ Caritatem, & vtilis erit scientia. Sic etiam nunc, Caro non prodest quicquam, sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo Caritas ad scientiam, & prodest plurimùm. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis.* Perfice verò tandem illã tuam orationem.

Minister addit scripturæ.

Aug. in Ioã. tract. 27.

Vt scientia cum charitate, sic caro cum spiritu prodest.

Ioan.1.14.

orationem *μείωρον ϗ ἀπλῆ*, *Ex huius veritatis ἀναλογία. semper docuit vetus & Catholica Ecclesia*, & tibi respondebimus.

MINISTER. pag. 87.

Symbola omnia hunc disertè articulum retinent, Ascendit in cœlos: & vetus Eucharistiæ forma hæc verba habet, quæ vos etiamnum retinetis, dum rem negatis: Sursum corda, habemus ad Dominum: dum vos deorsum, ut panem videlicet, in quo contineri corpus affirmatis, idem corpus Christi detruditis.

CATHOLICVS.

Articulus ille fidei nostræ, *Ascendit in celos*, non repugnat dogmati de præsentia corporis Domini in Eucharistiæ Sacramento, vt iam antè probatum est. Qua de re vide præterea Athanas.libro. *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis*. Cyrillum lib.4.in Ioan.cap.24.Ambros.in psal.38.August.sermo 2.de verbis Apostoli. Chrysost.lib.3.de Sacerdot.& reliquos apud Claud.Sanctesiũ lib.4. de Eucharistia.cap.9. Quòd si vetus Eucharistiæ forma habet hæc verba, *Sursum corda, habemus ad Dominum:* certè vos ab ea recessisse vltrò fatemini, cùm in Cœnæ vestræ celebratione, nihil horum recitetis. In panem verò corpus Christi non detrudimus, in Eucharistiæ sacramento illud dicentes contineri, vt ex antè dictis liquidò constat. Patet porrò sensus verborum, *Sursum corda, &c.* Vnde Caluinus Argumentum, quod tu suffuratus es, desumpsit: Monemur enim à rebus terrenis ad res cælestes contemplandas, cogitationes nostras auertere. Sic D.Augustinus, illam Apostoli orationem, *Quæ sursum sunt sapite*, explicans: *Ea*, inquit, *quæ sursum sunt sapere iubemur, spiritualia scilicet, quæ non locis, & partibus huius mundi sursum esse intelligenda sunt, Sed merito excellentia sua, ne in eius mundi parte figamus animum nostrum, quo vniuerso nos debemus exuere. Sursum enim, aut deorsum in huius mundi partibus est.* Et D. Cyprianus sanctissimus Christi martyr, quod tuus Caluinus ex verbis illis, *Sursum corda*, pro suo errore subsidium petit, hac luculenta oratione dissoluit. *Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis secularis, & carnalis abscedat, nec quicquam tunc animus, quàm id solum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo, Sursum corda, vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se, quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei, tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, & subtiliter fallens preces nostras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, aliud in voce, cum intentione syncera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus & sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari, & capi ineptis cogitationibus, & profanis, cùm Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogi-*

Ascensio Christi non obest veritati Eucharistiæ. *Pag. 300.*

Caluin.lib.4. Instit.cap.17. § 30.

Coloss.3.2. Aug.lib. 83. qq.quæst. 29. Sursum corda non aduersatur presentiæ corporis Christi.

Cyprian.sermon.de orat. Dominic.

Præfationis in Missa antiquitas.

Attentio in Missæ sacrificio necessaria.

tare, quàm quod cum Deo loquaris. Vis veteris Ecclesiæ iudicio stare? Caluinum desere, qui veterum scripta legisse non videtur, cùm ex verbis illis *Sursum corda*, ab Eucharistiæ Sacramento Christum Dominum abesse, contendit. Accipe quid hac de re sentiat & Chrysostomus. *An non videtis volentes dignitatem à terreno Rege accipere, quomodo assident, quomodo alios ad patrocinandum incitant, vt potiantur eo, quod quærunt. Hæc ego dixerim ad eos qui Sanctorum communionem, & congregationem relinquunt, & sub horam terribilis mysticæ mensæ in vaniloquentiæ conuenticulis occupati sunt. Quid facis homo? Non promisisti Sacerdoti, qui dixit, Sursum mentem, & corda: & dixisti, habemus ad Dominum? Non revereris & erubescis? Et illa ipsa hora mēdax inueniris. Papæ, mēsa mysteriis instructa est, & Agnus Dei pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur, ignis spiritualis ex sacra mensa refluit, omnes in corpore virtutes pro te cum sacerdote intercedunt: ignis spiritualis è cælo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est, & non erubescis, revereris, & confunderis, neque Deum tibi propitium facis? Non conscientia tua iudicat te, ô homo?* In panem denique corpus Christi non detrudimus Minister, illud in Eucharistiæ Sacramento dicentes contineri: nulla siquidem panis substantia in eo post consecrationem remanet. Neque sic in Eucharistia Christus à nobis includitur, quin simul ipsum ad Patris sui dexteram sedere in cælesti gloria profiteamur.

Chrysost. de Eucharistia in encæniis.

Non attentus mentitur.

CAPVT XXXIX.

MINISTER. pag. 87.

A*Vgustinus. Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, Visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, Sacramento, & re Sacramenti, id est, corpore Christi. &c.*

Minister quod sibi plane aduersatur citat.

CATHOLICVS.

Quam D. Augustino tribuis orationem, quo consilio inchoatam reliqueris, iudicabit Lector, qui integram, vt apud Gratianum extat, legerit. Ex cuius Decretis vt te, & Symmystas tuos labore leuem, eam describere non grauabor. *Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium Ecclesiæ duobus modis confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine: & Sacramento, & re Sacramenti, id est corpore Christi, sicut Christi persona constat, & conficitur ex Deo & homine: cùm ipse Christus verus sit Deus, & verus sit homo: quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem Sacrificium Ecclesiæ duobus, Sacramento, & re Sacramenti, id est corpore Christi. Est igitur Sacramentum, & res Sacramenti corpus Christi: Item Caro eius est, quam forma panis opertam in*

De Consecrat. D. 2. ca. Hoc est.

Vt Christus ex Deo & homine, sic Eucharistia ex specie panis, & corpore Christi constat.

tam in Sacramento accipimus, & sanguis eius quem sub vini specie, & sapore potamus. Caro videlicet carnis, & sanguis, est Sacramentum sanguinis. Carne & sanguine, vtroque inuisibili, spirituali, intelligibili signatur visibile Domini nostri Iesu Christi corpus & palpabile, plenum gratia omnium virtutum, & diuina maiestate. Adduxisti D. Augustinum, Minister, vt contra te testimonium diceret. Si, vt auctor huius sententiæ scripsit, *Sacrificium Ecclesiæ constat visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri carne, & sanguine, sicut Christi persona constat ex Deo, & homine,* aut Christus non est verè Deus, & homo, aut certè in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento est verè Christi Domini corpus. Henricus Arropæus tibi fuit Augustinus. Si dixeris Gratianum hanc sententiam Augustino tribuere, parum te in Augustini scriptis versatum esse tu ipse testaberis, qui in re graui ad fontes non recurris, verùm è riuulis, quæ nobis temerè obiicis malè hauris. Gratianus quidem in lib. Sent. Prosperi sententiam, quam vsurpasti, extare putat. At Gratiano non credo: Librũ enim illum Prosperi, vt, an rectè Gratianus Augustino hanc sententiam tribuisset, intelligerem, percurri, & nihil eiusmodi à Prospero scriptum potui reperire. At ne te multis detineam, lege Lanfrancum Canthuariensem Episcopum, qui Berengarium Verbi Dei telis confodit, & tuum fortassis errorem agnosces. Si scire cupis, quo argumento, Berengarius, Christianum de præsentia corporis Domini in Eucharistiæ Sacramento dogma, peruertere sit conatus, Lanfrancus te docebit, qui Berengarij verba scripto prodidit, *Bereng. Sacrificium Ecclesiæ duobus constat, duobus confit, visibili & inuisibili, Sacramento, & re Sacramenti. Quæ tamen res, id est Christi corpus, si esset præ oculis, visibilis esset. Sed eleuata in cælum, sedénsque ad dexteram Patris, vsque in tempora restitutionis omnium, quod scribit Apostolus Petrus, cælo deuocari non poterit, sicut Christi persona constat Deo & homine.* Tibi valde arridet Berẽgarij acumen, quod Lanfrancus hac grauissima retudit oratione. *Caiphas cùm esset pontifex anni illius, verum de Saluatore nesciens prophetauit, dicens, expedire magis pro mundo mori vnum hominem, quàm totius mundi perire omnem hominẽ. Verum quidem dixit, veruntamen quò eius verbum vergeret, ignorauit. Sic & tu volens loqui contra causam nostram, manifestè quam defendendam suscepimus asseris partem nostram. Hoc est namque quod dicimus, hoc modis omnibus contra te, ac sequaces tuos approbare contendimus, Sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine, Sacramento, & re Sacramenti. Quæ res, vt verbis tuis vtar, est corpus Christi, sicut Christi persona te quoque auctore constat, & conficitur Deo & homine, cùm ipse Christus sit verus Deus, & verus homo; quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem, te etiam teste, Sacrificium*

Lanfranc. lib. de Eucharistiæ Sacramẽto aduersus Berengariũ.
Act. 3. 21.
Ioan. 11. 50.

Rom. 6. 9.

Ecclesia Sacramento, & re Sacramenti. Est igitur Sacramentũ res Sacramenti, id est corpus Christi. Christus tamen resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur, sicut dicit Apostolus cùm verè in terris carnes eius sint comestæ, & verè sanguis eius sit bibitus; ipse tamen vsque in tempora restitutionis omnium in cælestibus ad dexteram Patris integer perseuerat, & viuus. Si quæris modum quo id fieri possit, breuiter ad præsens respondeo, Mysterium est fidei, credi salubriter potest, vestigari vtiliter non potest. Hæc Lanfrancus, aut (vt tu vis) Augustinus, cuius orationem frustra ad Caluinianam, seu Berengarianam Cœnam confirmandam transferre conaris.

MINISTER. pag. 87.

Sacrificium autem vocat Cœnam Domini, non mortuorum illud vestrum ex opere operato (quod ne per insomnium quidem cogitauit erudita Vetustas) sed planè ἐφάπαξ καὶ μοναδικὸν, verum & vnicum Sacrificium, cuius sempiterna vis est, ac proinde nunquam iterandum: Sicut exponit Ambrosius, & Decretum notat. In Christo simul oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis eius, vna est hostia, non multæ, &c.

CATHOLICVS.

Quid de Sacrosancto Missæ Sacrificio senserit erudita Vetustas, tu, qui Veterum Scripta nunquam euoluisti, planè ignoras. Ac ne à proposito longiùs digrediar, D. Augustino perspectam fuisse Antiquitatis venerandæ sententiam, non inficiaberis. Illum ergo de hoc mysterio sacratissimo loquentem audiamus. *Filios autem Leui & Iuda & Ierusalem, ipsam Dei Ecclesiam debemus accipere, non ex Hebræis tantum, sed ex aliis gentibus congregatam, nec talem, qualis nunc est, vbi si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas non est in nobis. Sed qualis tunc erit velut area per ventilationem, ita per iudicium purgata nouissimum, eis quoque igne mundatis, quibus talis mundatio necessaria est, ita vt nullus omnino sit, qui offerat Sacrificium pro peccatis suis. Omnes qui sic offerunt, profectò in peccatis sunt, pro quibus dimittendis offerunt, vt cùm obtulerint, acceptumq́ Deo fuerit, tunc dimittantur.* Vetustas sensit Sacrificium in Christi Ecclesia fieri, vt nobis peccata condonentur. Impugna Opus operatũ argumentis, & tibi respondebimus. Quod tamen agnouit idẽ Aug. dum scriberet. *Non eorũ meritis à quibus ministratur, nec eorũ quibus ministratur, constare Baptismũ, sed propria sanctitate, atq; veritate propter eũ, à quo institutus est.* Illa verò pauca, quæ ex Ambr. nobis opponis, contra vos faciunt, qui in Christi Ecclesia Sacrificiũ corporis, & sanguinis Domini fieri negatis. Etenim si Caluinianum panem, appellatis hostiam, multæ erunt hostiæ: & vos Ministri non datis quotidie populo Caluinianas Cœnas, quare (vt loquitur Ambrosius) non per singulos dies offertis. Tu D. Ambrosium vt contra te testimonium diceret, per imprudentiam laudasti. Perficiam ergo ipsius orationem

August. lib. 20 de Ciuit. Dei cap. 25.
1. Ioan. 1. 6.
Sacrificium pro peccatis.

August. lib. 4. contra Crescon. grammat. cap. 16.
Aug. agnouit opus operatum.

tionem cuius initium insulsè nobis obiecisti. *In Christo* (ait ille) *semel oblata est hostia potens ad salutem sempiternam. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis eius, & vna est hac hostia non multa. Quomodo vna est & non multa? quia semel oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem Sacrificium exemplar illius est: idipsum semper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, cras alium, hodie semper idipsum: Proinde vnum est hoc sacrificium. Alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur, multi Christi sunt? nequaquam: Sed vnus vbique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbique offert, vnum corpus est, & non multa corpora, ita etiam & vnum Sacrificium. Pontifex enim noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. Ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit, eius quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei commemorationem. Non aliud Sacrificium, sicut Pontifex, sed ipsum semper offerimus.* Vnus igitur est auctore D. Ambrosio, Christianorum sacrificium, quia vnus Christus à Christianis Sacerdotibus offertur. Institue de sacratissimo Missæ Sacrificio disputationem & multis Ambrosij testimoniis tuas ineptias facilè retundam.

Ambros. in c. 10. epist. ad Hebr.

Eadem est Christi in cruce, & in Missa oblatio.

Luc. 22 19.

MINISTER. pag. 87.

Idem Augustinus. Aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti.

CATHOLICVS.

Ne fraus tua, aut si mauis, nescitia deprehenderetur, D. Augustini libros non notasti; neque ex ipsius sententiis argumentum vllum instituisti. Nos quidem fatemur plurimùm inter Sacramentum, & Sacramenti virtutem, interesse. Conclude ex Logicæ tuæ præscriptis, corpus Christi Domini non esse in augusto Eucharistiç Sacramento. Quòd si D. Augustinũ nondum legisti, disce nunc primùm & vbi verba illa (quæ nobis temerè obiicis) scripserit, & qua ratione, breuis illius, quam attulisti, sententiæ veritatem confirmet. *Aliud* (inquit ille) *est Sacramentum, aliud est virtus Sacramenti. Quàm multi de Altari accipiũt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur. Vnde dicit Apostolus, iudicium sibi manducat & bibit. Nonne buccella dominica fuit venenum Iudæ? Et tamen accepit, & cùm accepit, in eum inimicus intrauit, non quia malum accepit, sed quia bonum malus accepit. Videte ergo fratres: Panem cælestem spiritaliter manducate, innocentiam ad Altare apportate.* Quarè scito immensas esse sacrosanctæ Eucharistiæ vtilitates, quas tamen, non omnes percipiunt: Rectè enim, & sapienter Christi Ecclesia tres Eucharistiæ sumendæ rationes distinxit: Alij enim Sacramentum tantùm accipiunt, vt peccatores, qui sacra mysteria impuro ore, & corde accipere non verentur: & de his scripsit Augustinus, *Quàm multi de altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo, moriuntur.* Alij spiritu tantummodo Euchari-

August. in Euang. Ioan. tract. 26.

1. Cor. 11. 29.
Io. 13. 26. 27.

Tres Eucharistiæ sumendæ rationes.

ſtiam ſumere dicuntur,qui deſiderio,& voto propoſitum illum cœleſtem panem comedunt,quàmuis ore illum non ſuſcipiant, & hi ſi fidem habuerint cum charitate copulatam, magnos percipiunt fructus. Alij denique & Sacramento,& ſpiritu ſacram Euchariſtiam accipiunt, qui maxima & cœleſtia bona (vt docent Theologi) conſequuntur.

D.Thomas in 3.p. quæſt.80. art.1.

MINISTER. pag. 87.

Et idem. Vt quid paras dentem, & ventrem? Crede & manducaſti. credere enim in eum, hoc eſt, Panem & vinum manducare. Qui credit in eum, manducat eum.

CATHOLICVS.

Nullo certo argumento probabis Miniſter, D. Auguſtinum his verbis ſacramentalem (vt loquuntur Theologi) Euchariſtiæ perceptionem condemnaſſe. Atque vt orationis ipſius ſententia intelligatur, non ſufficit Gratianum legiſſe, verùm ad fontem recurrendum eſt: ex quo Auctoris verba deſcripſi. *Dixerunt ergo ad eum* (Iudæi ad Chriſtum) *Quid faciemus, vt operemur opera Dei*[a]*? Dixerat enim illis,*[b] *Operamini eſcam quæ non perit, ſed quæ permanet in vitã æternam. Quid faciemus? inquiunt, quid obſeruando hoc præceptum implere poterimus? Reſpondit Ieſus, & dixit eis,* [c] *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille. Hoc eſt ergo manducare cibum, qui non perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes, & ventrem? Crede, & manducaſti.* Et infrà: *Attendebant ergo promiſſa per Moſem, attendebant promiſſa per Chriſtum: ille plenum ventrem promittebat in terra, ſed cibo qui periit: iſte promittebat cibum, non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Attendebant eum plus promittentem, & quaſi nondum videbant maiora facientem: Attendebant itaquè qualia feciſſet Moſes, & adhuc aliqua maiora volebant fieri ab eo, qui tam magna promittebat.* D. Auguſtinus explicat verba illa Domini, *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum.* Ac ſermonem ad Iudæum conuertens, ait: *Vt quid paras dentes & ventrem? crede & manducaſti.* Quibus verbis monet ſatius eſſe animi cibum, puta fidem, quàm corporis eſcam à Deo quærere. Iudæi nomine cibi, victum intelligebant: ac ad ea quæ victui neceſſaria erant, ſummo conatu aſpirabant, quorum immoderatum ſtudium, his verbis, *Vt quid paras dentes & ventrem* caſtigat, eos monens, vt fidem in Chriſtũ amplectantur, quæ eſt animæ cibus admodum ſalutaris: Ac dentis & ventris cogitatione neglecta, quæ ad veram animi ſalutem momentum haberent omni cura, & ſtudio colere non intermitterent. De Euchariſtiæ Sacramento, ne vnum quidem verbum, cùm Iudæum ſic alloqueretur, fecerat. Confer quæ ſcripſit D. Ioannes cum explicatione D. Auguſtini, & hanc, quam attulimus, verborum ipſius interpretationem, ſi potes, improba. Cæterùm vereor, ne te in nimis magnas anguſtias redigam: Quare nolo tecum ſummo iure

Auguſt. in Euang. Ioan. tract. 25.
a Ioan. 6.28.
b 27. c 29.

Chriſti & Moſis differentia.

Ioan. 6.29.

Fides cibus animæ.

iure agere:sed dabo Augustinum de Eucharistiæ Sacramento, his verbis egisse, an concludes ipsum propterea negasse Eucharistiam à Christianis ore sumi? Scriptum est, *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Putásne Deum noluisse, vt Iudæi sacrificia facerent? Da, quæso, operam Theologiæ, quæ tibi Scripturarum obscuros sensus enodabit. Audi eundem Doctorem, qua ratione Deus sacrificia recuset differentem. *Intueamur quemadmodum vbi Deum dixit nolle Sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Non vult ergo sacrificiũ trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Illo igitur quod eum nolle dixit, hoc significatur quod eum velle subiecit. Sic itaque illa Deum nolle dixit, quo modo ab stultis ea velle creditur, velut sua gratia voluptatis.* Augustinus igitur (si de Eucharistiæ Sacramento, vt tibi gratificemur eum esse locutum concesserimus) tantùm docet, rectius sumi Eucharistiam voto & desiderio à viris probis, quàm ab improbis impuro ore, & corde. Quòd autem ipse Christianos, etiam ore, Eucharistiam sumere senserit, luculento eiusdem testimonio conuincitur. *Hoc* (inquit) *placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.* Vbi responderis, aliis eiusdem testimoniis: Christi Domini corpus, Christianos ore percipere, probabo.

Osee.6.6. Quæ sacrificia Deus recuset.

August.lib. 10.de Ciuit. Dei cap.5.

August.epist. 118.cap.6. Ieiuni communicant.

MINISTER. pag.87.& 88.

*Et idem. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem * semper habebitis. Accipiant & hoc boni: sed nõ sint soliciti. Loquebatur enim de præsentia corporis sui, nam secundum Maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem, & inuisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est, Ecce, ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Secundum carnem verò, quam Verbum assumpsit, secundum id quod de Virgine natus est, secundum id quod à Iudæis comprehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis inuolutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me vobiscũ. Quare? quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & deducentibus eis videndo non sequendo ascendit: Non est hic, ibi enim sedet ad dexteram Patris, & tamen hic est: quia non recessit præsentia Maiestatis. Secundum præsentiam Maiestatis, semper habemus Christum: secundum præsentiam carnis rectè dictum est, Me autem non semper habebitis. Habuit enim Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt.*

* *Non.*

CATHOLICVS.

Quorsum duas verborum Domini, *Me autem non semper habebitis*, interpretationes sic copulasti, Minister, vt qui in Theologia non sit versatus, Augustinum, orationem Domini non explicasse, sed potius obscurasse existimet? Silentio namque præteriisti vocem *Aliter*, quæ posteriorem expositionem à priore disiungit. *Aliter,* (inquit) *secundum præsentiam Maiestatis, semper habemus Chri-*

Ioan.12.8.

August in Euang.Ioan. tract.50.

stum &c. & suas interpretationes his verbis conclusit, *Ergo si ita dictum est, Me autem non semper habebitis, quaestio, sicut arbitror, iam nulla est, quae duobus modis soluta est.* Scribit ergo Christum Dominum non sic esse in terris quemadmodum olim fuit, ita vt ab omnibus in humana forma videri possit. Nam & illam Domini orationem, *Haec locutus sum vobis apud vos manens, de praesentia corporali, qua cum illis visibilis loquebatur*, intelligi asserit. Idémque in verbis illis, quae nobis obiecisti, non obscurè insinuat. *Modò*, inquit, *fide tenet, oculis non videt.* Ac ne vllus tibi de ipsius sententia scrupulus remaneat, afferam & aliam eiusdem orationem, ex qua hác germanam esse, quam attuli verborum ipsius sententiam, quiuis facilè colliget. *Neque ad iudicium viuorum, & mortuorum Pater ipse venturus est, nec tamen recedit à filio Pater. Quomodo ergo non ipse venturus est? Quia non ipse videbitur in iudicio. Videbunt in quem pupugerunt: forma illa erit iudex quae stetit sub iudice: illa iudicabit quae iudicata est: iudicata est enim iniquè, iudicabit iustè. Veniet ergo forma serui, & apparebit: Etenim forma Dei quomodo apparebit iustis, & iniustis? Nam si iudicium non fieret nisi inter solos iustos, appareret tanquam iustis forma Dei. Quia verò iudicium futurum est iustorum, & iniquorum, nec licet vt iniqui videant Deum (Beati enim mundo corde, quia ipsi Deum videbunt) talis apparebit iudex, qualis videri possit, & ab eis quos coronaturus est, & ab eis quos damnaturus est. Forma ergo serui videbitur, occulta erit forma Dei, occultus erit in seruo filius Dei, & apparebit filius hominis, quia potestatem dedit ei & iudicium facere, quia filius hominis est. Et quia ipse solus apparebit in forma serui. Pater autem non apparebit, quia non est indutus forma serui: ideo superius ait, Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Non iam igitur videmus (ex Augustini sententia) Christum Dominum oculis, quia humana ipsius forma, color, lineamenta, & alia, quae aspectum hominis mouere possunt, in oculos nostros non cadunt.

Christus inuisibilis adest.

Ioan. 15. 25.

August. in Euang. Ioan. tract. 19.

Zach. 12. 10. Ioan. 19. 37.

Cur pater dicatur neminem iudicare.

Matth. 5. 8.

Christus in iudicio formâ serui videbitur

Ioan. 5. 27.

Ioan. 5. 22.

MINISTER. pag. 88.

Idem, Sicut eundem Filium, & redemptorem nostrum, secundum diuinitatem, inuisibilem, incorporeum, & incircumscriptum, sicut Patrem & Spiritumsanctum non credere, impium est: ita eundem Filium Dei in hominem assumptum, visibilem, corporeum, & localem post resurrectionem, non credere, & profiteri, profanum est.

CATHOLICVS.

Vnde hanc sententiam (quam Augustino tribuis) descripseris Minister, non satis coniectura assequor: Quapropter rem nobis gratam facies, si Auctoris locum indicaueris, vt plenius tibi possimus ad eam respondere. Quanquam nihil in ea est, quod Doctrinae Catholicae veritati vllo modo repugnet.

MINISTER. pag. 88.

*Augustinus. Donec seculum finiatur, sursum est Dominus: Sed tamen hic nobiscum est veritas Domini. Corpus * enim in quo resurrexit, in vno loco esse oportet: veritas autem eius vbique diffusa est.*

Minister Augustini sententiā mutat & mutilat. * Domini.

CATHOLICVS.

Vbiquitarios, germanos Caluinistarum fratres, qui Christi Domini corpus per res omnes penetrare contendunt, hac D. Augustini oratione conuince. Nos enim Catholici, Dominum in Cælum ascendisse credimus, diuiniq́ue huius mysterij memoriam quotannis iucunda recordatione celebramus: & cum Augustino dicimus, *Christus, qui humanam non ad horam assumpsit effigiem, in qua hominibus appareret, ac deinde illa species præteriret, sed in vnitatem personæ suæ, manente inuisibili Dei forma, accepit visibilem hominis formam, non solùm natus est in ea de homine matre, verumetiam creuit in ea, & manducauit, & bibit, & dormiuit in ea, & ascendit in calū, & sedet ad dexteram Patris in ea, & ad iudicandos viuos & mortuos venturus est in ea, & in regno suo, ei qui illi subiecit omnia, erit subiectus in ea.* Non est porrò cur mutilas Aug. sententias contra nos vsurpes: Non enim videris intelligere quorsū spectet hæc ipsius oratio. *Dominū loquentē audiebāt, & Discipuli & Iudæi: veritatē loquentē audiebāt, & veraces, & mendaces: charitatem loquentē audiebāt, & amici & inimici: bonū loquentem audiebant, & boni & mali. Illi audiebāt, sed ille discernebat, & quibus sermo prodesset, & profuturus esset, videbat, & prauidebat. In illis enim qui tunc erant, videbat: in nobis qui futuri eramus, prauidebat. Nos itaque sic audiamus Euangelium, quasi præsentem Dominum, nec dicamus: O illi fœlices, qui eum videre potuerunt: quia multi in eis qui viderunt, & occiderunt: multi autem in nobis, qui non viderunt, & crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore Domini, & propter nos scriptum est, & nobis seruatum est, & propter nos recitatur, & propter posteros recitabitur, & donec seculum finiatur. Sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas Domini. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, vno loco esse potest: veritas eius vbique diffusa est.* De Eucharistiæ sacramento, ne verbum quidem facit hoc loco, vt vides. In vno ergo est Domini corpus loco, ita vt corporis humani lineamēta conspici possint: quo modo summo illo die de vniuerso hominum genere cùm iudicium feret, Christus Dominus, in humana, à nobis forma videbitur.

August. contra Maxim. Arian. Episcop. lib. 2. c. 19. Corpus Christi non est vbique.

August. in Euang Ioan. tract 30. Christi auditores diuersi. Verbū Dei propter nos

Christi visibili forma in vno tantùm loco est.

MINISTER. pag. 88.

Item Vna persona Deus & homo. vbique per id quod Deus est: in cælo per id quod homo est.

CATHOLICVS.

Conclude propterea Minister, Christum Dominum non esse in Eucharistiæ Sacramento, quòd sit in cælo, vt Dei Omnipotentis interminatæ potestati te bellum indixisse omnes intelligant. Probat

Aug. epist. 57. August. lib. de fide & symbolo. cap. 6. * Pag. 301.

quidem Augustinus ad Dardanum scribens, Christi corpus nō complere omnia loca, Sed *vbique esse Christum Dominum per id, quod Deus est: in cælo autē, per id quod homo.* Qua verò ratione in cælo sit, si scire cupis, lege quæ supra ex * Caluino excerpsimus: Aut, si tibi probatur D. Augustini sententia, noli curiosè indagare? *Vbi*, inquit, *& quo modo sit in cælo corpus Dominicum: curiosissimum, & supervacaneum est quærere: tantummodo in cælo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cælorum secreta discutere. Sed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate sublimia, & honesta sapere.*

MINISTER. pag. 88.

Cyrillus autē, Credere oportet fideles, quamuis corpore suo absit Christus, virtute tamen sua res omnes, nósque maximè gubernare: & adesse semper ipsum iis omnibus qui eum diligunt. Propterea dicebat, Amen dico vobis, vbicunque duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum. Sicuti enim quando in terra versatur, vt homo, tunc etiam implebat cælos, & Angelorum consortia minimè relinquebat: eodem nunc modo, quum sit in cælis cum carne, terram replet, & cum iis est qui eum diligunt. Obseruandum est autem, quòd licet secundum carnem tantum abiturus erat (adest enim semper virtute Deitatis vt diximus) modico tamen tempore, se cum Discipulis futurum dicebat, apertè seipsum nominans, ne quis in duos filios Christum diuidere auderet: sed vt vnum esse quisque credat: non quòd vna sit natura, Sed quia in vtraque natura est vnus Christus.

CATHOLICVS.

Petrus Pseudomartyr in tractatione de Eucharistia.

Te Gebennensis schola Minister, non argumentari, vt video, sed nudas sententias ex aliorum libris, tanquam scopas dissolutas, proponere docuit. Petrus ille vester pseudomartyr, eam ipsam Cyrilli sententiam, quam tu immutatam profers, Ecclesiæ Catholicæ de augustissimo Eucharistiæ Sacramento dogmati repugnare falsò existimauit. Tu verò ne in veterum Patrum deprauandorum artificio, inferior illo videreris, non tantùm verba (quibus ille abusus est) immutare, sed etiam quæ omisit, non te puduit corrumpere. Quod vt facilius omnes intelligant, ipsissima Cyrilli verba, quæ à falso vestro teste prætermissa sunt, subiiciam. *Sed vt vnum omnino esse credat Dei Patris, & Virginis filium: non quia vna natura sit, sed quia post Incarnationem pia hæc diuisio non est. Vnus enim in vtraque natura Christus est.* Lege quæ suprà cap. 32. huius libri pag. 287. ex eodem Auctore pro Transsubstantiatione adduximus, & tecum ipse prætereà diligenter cogita, an corporis Domini in Eucharistię Sacramento præsentiam neget, qui asserit Christum *corporaliter* per Eucharistiam habitare in nobis cùm ait, *An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi Christū in nobis habitare?* Et post pauca, *Saluator etiam, Qui manducat carnem*

Cyril. Alexād. in Ioan. lib. 9. cap. 21.

Idē lib. 10. in Ioan. cap. 13.

Ioan. 6. 56.

cat carnem meam, ait, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo: Vnde considerandum est non habitudine solùm quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verumetiam & participatione naturali: Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram, alij vere similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur. Sic communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, &c. Christum abesse corpore suo, scribit Cyrillus, quia humanam ipsius speciem ac figuram non videmus, vt seipse explicat cap. 21. lib. 9. in Ioan. vnde Martyr vester descripsit verba illa, quæ tu nobis obiicis. *Paruo*, inquit, *tempore vnà cum discipulis fore se Christus ait: non quia penitus ab eis recessurus erat, nobiscum enim semper est vsque in consummationem seculi, sed quia non erat sicut prius cum eis conuicturus.* *Cyrill. cap. 21. lib. 9. in Ioan.* Quomodo Christus dicatur abesse à nobis.

MINISTER. pag. 89.

Plures locos exscribere esset ἀπροσδιόνυσον & importunum: cum & in harum Quæstionum examine, instituta scriptionis fines penè iam excessisse videamur. Finis itaque huic sermoni tandem aliquando imponendus est, quandoquidem ex hac leui indicatione nostra æquis sobriisque lectoribus iam non obscurum esse potest, qua fide nobiscum agatis, & qua fronte sacræ Theologiæ nomen & professionem vsurpetis, id est quam reuera sitis vel ψευδοθεόλογοι, vel planè ἀθεόλογοι.

CATHOLICVS.

Parum sanè opportunè Minister, & paucos illos, quibus scriptum tuum auxisti, locos te descripsisse Lector, me tacente, iudicabit. Oportet Locorum vsum tenere, ac Aduersariorum Sententiarum vi & pondere vrgere ac premere. At tu, sine omni delectu, quas apud obscurum aliquem Locorum communium Compilatorē reperisti, Patrum sententias, in librum tuum coniecisti: ac quasi de nobis triumphasses Theologiæ nobis scientiam adimere conaris. Nos sanè qui in Theologorum scholis viris doctissimis operam dedimus, verissima fronte Theologiam, ex Christianæ Ecclesiæ præscripto, docemus: & si nobiscum congredi aliquando fueris ausus, neque ψευδοθεολόγους, neque ἀθεολόγους nos esse, reipsa, intelliges. In Ecclesiæ Christi Doctorum sententiis exscribendis, non est quòd multùm operæ ponam, cùm hoc labore me leuarit Ioannes Garetius: qui summo iudicio, ad certas reuocauit classes, Ecclesiæ Patrum, pro Corporis, & Sanguinis Domini in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento præsentia, grauissimas sententias: quas si legere volueris, à maledictis & conuitiis (quibus veritatis Christianæ propugnatores oneras) tibi in posterum fortassis temperabis.

***

Tt

MINISTRI IN REBVS PHILOSOPHICIS ET LITTERIS HVMANIORIBVS IGNORATIO breuiter proditur.

CAPVT. XXXIX.

QVVM toto tuo Libello Minister, tu hac postrema illius parte id probasti verum esse, quod elegantissimè historiæ pater Herodotus prodidit, ἅμα δὲ χιτῶνι ἐκδυομένῳ ἐκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. Postquam enim primam fidem à te Christo datam, ausus es violare, & tunicam illam mysticam, qua indutus eras, exuere: certè omnia pudoris, & modestiæ repagula ita perfregisti, vt quasi mulieri veste deposita, nihil tibi pensi verecundiæ, & honestatis ratio esse videatur. Mirabar equidem te in aliis tui Scripti partibus, modestiæ excessisse terminos, sed cùm veniret in mentem nos, vt ait ille,

Herod in Clio.

— οὐχ ἱερήϊον, οὐδὲ βοείην
Ἀρνυσθ', ἅτε ποσσὶν ἀέθλια γίγνεται ἀνδρῶν
Ἀλλὰ περὶ ψυχῆς πολεμίζειν ἡμετεράων.

Home. Ili. χ.

Indulgendum tibi aliquantulum esse credebam, si rei magnitudine commotus, te transuersum rapi permitteres: Nunc verò in hac (vt tu ipse loqueris) Velitatione, quæ de iis solùm rebus est, quæ vel ad Humaniores literas, vel ad Philosophiam pertinent, ita in nos inueheris, vt (quasi pro aris, & focis contenderes) conuitiorum, & calumniarum multitudine quodammodo nos obruere velle videaris. Sed vis quod res est, dicam Minister, ἀμαθία τὸ θράσος, ὁ λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, vt verbis Thucydidis vtar. Si enim tibi perspecta esset intima illa nostra philosophandi ratio, qua non Platonis nescio quæ melimela, sed Aristotelis grauissima spatia à Themistio, Philopono, Ammonio, Alexandro, Boëtio, D. Thoma, & aliis Græcis, Arabibus, & Latinis doctissimis interpretibus explanata consectamur: Tu sanè haud tanta audacia nostra Philosophica damnares, & tardius lentiusque aduersus nos insurgeres. [illegible] qua fronte, obsecro, audes dicere nostrorũ Corypheorũ Scripta in musæis adhuc latere? In quo si quidem Disciplinarum genere (quæ non sunt à nostra viuendi ratione aliena) non extant nostrorum hominum commentaria? Atque, vt Theologica taceam, quis est aliquius eruditionis in Europa, qui ignoret Franciscum Toletum, Benedictum Pererium, meos quondam in Theologia Doctores, Aristotelis Dialecticam, & Physicam: Petrum Fonsecam, ea quæ Physica sequuntur: & Christophorum Clauium Euclidis elementa, & Sphæram Ioannis de Sacrobosco, Arithmeticam, & γνωμονικὴν suis ita explanasse lucubrationibus, vt Philosophiæ Professores ab euoluendis aliorum expositionibus magna ex parte

Thucyd.

Aristot. Philosophiam docent Turnonij Professores.

Toletus & alij eiusdem Societ. multa iam ediderunt.

parte libetati sint. Cæterùm dum nos λογεμπόρους esse iactitas, facis tu quidem tuo more, id est, διαβόλως, & malitiosè: Nullum enim quæstum ex docendi labore facimus: ψυχέμποροι autem (vt verum fatear) sumus: cùm omnium hominum animas Christo quibuscumque modis possimus, etiam δόλῳ πανοῦργοι (vt Apostolus Corinthios) lucrari, quocunque vitæ nostræ periculoq; desideremus. [2. Corinth. 12. 16.] Atque vtinam teipsum, vel sanguine meo, possem mercari: profectò lubens totum illum, vel tui vnius causa, & vt te Ecclesiæ Catholicæ reconciliarem, effunderem. Denique (vt [a] superius obseruauimus) planè te ἄμουσον ostendisti, vnde cur illud addas nescio: [a Pag. 251.]

[b] *Non nobis licet esse tam disertis*
Qui Musas colimus seueriores.

[b Martialis lib. 9 epig. 8. suauius dixit, *Nobis nō licet &c.*]

Nisi fortè tui Bezæ Musas intelligas: Sed quàm seueræ illæ sint [c] paulò antè à nobis demonstratum est. Possem equidem singulis huius libri tui versiculis respondere; at quoniam (vt Poëta canit) [c Pag. 268. & 269.]

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
Φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.

[*Hesiod. in ἔργ. et.*]

Librum hunc meum (qui posset hac ratione in immensum crescere) desidero hac mediocritate sua terminare. Tuarum igitur solummodo *summa sequar fastigia rerum*, vt cum Poëta loquar. [*Virgil. 1. Aeneid.*] Quomodo autem tu, qui in libri tui inscriptione Theologicas, Philosophicásq; Theses nostras te examinaturum proposueras, vbi ad rem ventum est, *tui neque instituti esse, neque loci, & temporis eas sigillatim discutere profitearis*: [*Pag. 91.* Ministet nō stat promissis.] Non vereris ne æqui Iudices (quos, *secundum allegata & probata*, sententiã laturos minabaris) te damnent ex l. si cui. D. de accus. & inscript. & l. qui crim. C. de his qui accus. non poss. [*Pag. 90*] quòd subscriptionem non dederis, & crimen vsque ad Iudicis sententiam nō persequaris. Vis tibi præclaram accusationis tuæ inscriptionem repetam, vt quàm rectè à te fuerit facta subscriptio omnes intelligant? *Academiæ Nemausensis breuis & modesta responsio ad Professorũ Turnoniorum Societatis, vt aiunt, Iesu, Assertiones, quas Theologicas & Philosophicas appellant.* Audisne te sic incipere,

Vt Scriptor Cyclicus olim
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum?

[*Horat. in arte poët.*]

Et modò tuo egregio principio respondere, quod subiungitur:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Non ergo est propositi tui sigillatim Theses Philosophicas examinare: magnus scilicet Theologus Philosophiam tangere dedignaris. Sed vbi est ἐγκυκλοπαιδεία, quam si quis priuatus absoluere & explere nequit, Academiam tamen vnam, cuius nomine librum tuum euulgasti, eam alienam ab instituto suo iudicare quis feret? Præclarè certè mereris de noua tua Academia, quam vel in Grammaticorum pistrinum redigis, vel in Rhetorum officinas amandas, Philosophiámque Academiarum moderatricem ab ea exulare compellis.

Dic, quæso, si non est instituti tui Philosophica tractare, cur tractas Theologica? Nonne te ἀνίπτοις ποσὶν, καὶ χερσὶν in sacraria illa penetrasse necesse est confitearis? Da laudem Deo, & memor illius veteris

Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην,

Aristophanes in Vespis.

Theologica mysteria, quæ planè tui non sunt instituti, sectari desine. Ne tamen videaris Philosophiæ omninò rudis, Dialecticam solùm nostram attingis: quam Aristotelem, & Platonẽ τρόπον παιδείας vocasse asseris. Sed vide ne erres: Non equidem omnes locos teneo, quibus hi duo Philosophi de Dialectica sunt loquuti: Aristoteles tamen 2. lib. τῶν μετὰ τὰ φυσικά, textu 15. eam nõ τρόπον παιδείας, sed τρόπον ἐπιστήμης nominat. Agnosce ipsius verba, διὸ δεῖ πεπαιδεῦσθαι, πῶς ἕκαστα ἀποδεκτέον, ὡς ἄτοπον ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην, καὶ τρόπον ἐπιστήμης, ἔστι δ' οὐδέτερον λαβεῖν ῥᾴδιον. Ais deinde, *vel logicã Peripatus, & Academiam imperitè docuerunt, vel eam vos Iesuita ignoratis.* Platonem sanè dicimus (dum magis in euertendis aliorum opinionibus versatur, quàm in stabiliendis suis) Dialecticam neque ordine, neque perfectè tradidisse: Aristotelem verò virum præstantissimo ingenio hàc à Platone quidem Magistro suo adumbratam, in elegantiorem formam redegisse, omnibúsque suis numeris absoluisse. Quapropter omnium Academiarum totius orbis statuto receptum est, vt cùm eum in vniuersa Philosophia Doctorem, & Magistrum sequamur, tum in Dialectica reliquis omnibus anteponamus. Cuius rei causam si scire cupis, lege quę Petrus à Fonseca Societatis nostræ, in proœmio suorum in Aristot. τὰ μετὰ τὰ φυσ. comment. cap. 3. profert. Vbi causam viebis, cur Academiæ Christianæ Aristotelis potius philosophiam, quàm Platonis profiteantur, quamuis veteres Ecclesiæ Patres, plus huic, quàm illi tribuerint. Quomodo igitur audes dicere, nos Dialecticam ignorare, cùm Professores nostri vnũ Aristotelem tractent, nulla alia ferè Commentaria voluant, nisi eorum qui in verba Aristotelis iurarunt? Nihil denique doceant, quod non ad illius libros, tanquam ad Lydium lapidem examinent, existiméntque non magis sibi licere à recepta in Scholis Aristotelis opinione recedere, quàm Medicis, vel ab Hippocratis, vel Galeni præscriptis deuiare. Nisi fortè vos, qui quasi Paracelsi essetis, nouã Medicinam introduxistis, velitis quoque nouam Aristotelis & Platonis Philosophiam ex antris vestris educere. Tu posteà, tanquam *Canis è Nilo*, aliqua ex Logica percurris: quæ quidem mihi non esset difficile redarguere, & te ad Dialecticorum subsellia reuocare. Sed tuũ erat, bone Dialectice, nostras Assertiones Dialecticas firmis aliquot argumentis, & certis ex Aristotele locis discutere, exagitare, conuellere, non autem duobus, vel tribus Aristotelis & Platonis græcis vocabulis, fucum facere, vt tuæ reconditæ, scilicet, eruditionis specimen dares. Nanque, vt tuum egregium Dialecticæ *operaprecium*, ἐπιπολαίως considerem; Quomodo ἐμπορίαν προτάσεων enũciationum

Aristot. lib. 2. primæ phylosoph. ca. 3. Pag. 91.

Plato Dialecticam imperfectè, Aristoteles perfectè tradidit.

Cur Aristot. doctrinam profiteantur omnes Academiæ.

Minister fucum facit.

rectè componendarum rationem vertis? Nam *interrogationum copiam* debueras dicere: Vis enim scire, quid sit πρότασις apud Aristotelem? Audi αὐτόταξ ipsius verba: ἔστι δὲ πρότασις διαλεκτικὴ ἐρώτησις ἔνδοξος ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σόφοις, καὶ τούτοις ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις μὴ παράδοξος. Præterea εὐπορία ratio, verti non potest, cùm Logicæ opus non sit ratio & intelligentia (de vtenre, vt sic loquar, ago) sed externum aliquod exercitium. Quod certè Aristoteles videtur declarasse, dum scribit: ἔστι δὲ πρὸς τρία χρήσιμος ἡ πραγματεία, πρὸς γυμνασίαν, πρὸς τὰς ἐντεύξεις, πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας &c. Vide quàm latus mihi pateret campus, si vellem tua ἀκριβέστερον expendere, & ad viuum resecare: Vt omittam, quàm egregiè tecum ipse consentias, vt cùm dicis, *Theses nostras in paucissimis verbis loquaci prolixitate esse cumulatas, vt patientissimas aures offendant.* Nouam hanc à te excogitatam artem nos, quæso, edoce, qua ex paucissimis verbis, longas possimus cõponere orationes. Certè si paucissima sunt verba, sesquipedalia, vel monstrosissima esse debebunt, vt prolixam loquacitatem efficiant.

Lib. 1. Top. cap. 8.

Libr. 1. Top. cap. 2.

Pag. 91. Minister secum pugnat.

Peccatum tu quidem à nobis, & quidem grauiter asseris, sed ποῦ, καὶ πότε non declaras. Vide, quæso. D. de accusatio. Libellorum. qualem esse oporteat Inscriptionum formulam: & quomodo locũ & tempus debeat comprehendere. Concipe igitur accusationis nostrę formulam, sicut Iurisc͡osultus faciendum præcipit, tuęque postea criminationi nos satisfacere conabimur. Disputationem instirue, & ad singula non grauarè respondebimus: simúlque probaro argumentis, ex Philosophia petitis, nos Platonis, & Aristotelis doctrinã infeliciter tractasse: alioqui impudentem calumniatorem te omnes esse iudicabunt. Sic tu quidem Theses nostras Dialęcticas lancinasti: Physicis autem, & aliarum scientiarum Assertionibus, tanquã sacro abstinuisti. Quod sanè, prudenter fortassè, non tamẽ fortiter abs te factum est: Cùm enim, vt scribit Laërtius, Animali Stoici Philosophiam similẽ esse dicerent, ὀστέοις μὲν καὶ νεύροισι τὸ λογικὸν προσομοιοῦντες, τοῖς δὲ σαρκωδεστέροις τὸ ἠθικὸν, τῇ δὲ ψυχῇ φυσικόν: Pulchri istius Animalis ossa tantùm rodere, non carnes degustare, vel animum contemplari, voluisti, Æsopicæ vulpeculæ similis, quæ vuas pulcherrimas in vinea contẽplata, eas mandendi desiderio flagrans, cùm sepem superare non posset, μὴ κάμνε, inquit, ῥᾶγες ὀμφακίζουσιν μάλα: Sic tu, qui, vt puto, non ignoras Stoicos Philosophiam τῷ ἀγρῷ παμφόρῳ προσομοιοῦσθαι, καὶ τὸ μὲν περιβεβλημένον φράγμον τὸ λογικὸν, τὸν δὲ καρπὸν, τὸ ἠθικὸν, τὴν δὲ γῆν, ἢ τὰ δένδρα τὸ φυσικόν: cùm sepem illam nostram Logices à te aliquantulùm tentatam, ascensu difficilem esse deprælendisses, & te non posse facilè vel fructus, vel arbores nostras depopulari eas ἀφιλοσοφώτερον à nobis tractatas valde ἀφιλοσόφως, tu φιλόσοφος esse dixisti.

Inscriptionum qualis formula.

Laert. li. 6. in vita Zenonis.

Aesopi fab.

Laer. vbi sup.

Quæ deinde de Scholis nostris adiicis, mera sunt conuitia, quibus non

Pag. 91. & 92.

bus non aliter respondebo, quàm M. Æmilius Scaurus à Vario Sucronensi accusatus, respondit: Nempe, Minister Anonymus Iesuitas accusat, quòd Iuuentutem fidei suæ commissam, malè doceant: Iesuitæ huic se culpæ negant affines esse, cùm præsertim Dei benignitate, ex eorum Collegiis exeant permulti, qui egregium eruditionis, & probitatis specimen, vbique terrarum dent suæ. Quid potius credendum est?

Valer. lib. 3. c. 7. Plinius de viris Illustr. & Ascon. Pædian.

Pag. 92.

Ad Præfationem venio, quam tu, more tuo, exagitas, id est, nulla certa ratione, verùm inani profluentia loquendi, vt in humaniore literatura te Magistrũ esse inerudito Lectori persuadere possis. Tibi ergo nihil arridet, quod ex Ciceronis, Cæsaris, aut Terentij arculis non sit depromptum, cùm tamen plurima in singulis libelli tui pagellis reperiantur, quæ apud nullum Classicum, aut probatum Latinæ linguæ Auctorem inuenies, ex quibus aliqua per transennam obseruauimus, ne tibi calumniam immeritò imposuisse videremur.

MINISTER. pag. 93.

Placent vobis ἀρχαϊσμοί: vt illustrem Heroinam Claudiam Tureniam, vocetis Ornatissimam: illustrem verò Heroem, Comitem Rossiloneum, Clarissimum appelletis. Vsus tamen est benè loquendi arbiter. Ciuem certè vel mediocri fortuna, Ornatissimum, Clarissimúmque vocaremus, vt vernaculo sermone, Honorable, ou Honeste personne, Primariæ nobilitatis familiæ, quales Tureniam, & Turnoniam vniuersa nouit Gallia, Illustris appellationem merentur. Quidnam autem Clarissimus: & Clarissimatus Romanis olim esset, non ignoramus. Sed contra loquendi consuetudinem nunc vos ita loqui affirmamus. Vos igitur de more vestro, homines scilicet τὸ φιλοκαλοι, iuuentutem Ciuilis decori, honesta & necessaria cognitione imbuetis. id est, docebitis opportunè quod nescitis?

CATHOLICVS.

Quid ais Minister? Ciceronem imitari tibi est ἀρχαϊσμοί? Ille pro Sextio, Brutos, Camillos, Halas, Decios, Maximos, Scipiones, &c. Primariæ nobilitatis ciues, Clarissimos appellat: sicut & Regẽ Deiotarum clarissimorum Imperatorum testimoniis ornatum dicit, in orat. de Arusp. Respon. vt plurimos locos omittam, vbi Illustres quosque vocat Clarissimos & Ornatissimos. Sed esto Clarissimus, & Ornatissimus, vel mediocris fortunæ Ciuis nominetur. Nõ propterea tamen Illustri viro fiet iniuria, si quando iisdem vocetur nominibus. Quæro enim ex te, an Maiestatem Regiam minuat is, qui Regem *Sire*, appellat, cùm Parisiensis, imò & Turnonæi ciuis, vel tenuis fortunæ, sic passim vocitetur. An qui Christianissimi Regis Fratrem *Monsieur* vocat, regio sanguini iniuriam faciat, cùm plebeios homines, sic vulgò vocitari ignoret nemo? *Madame* etiam infimam appellamus fœminam, quamuis eandem prorsus vocẽ, dum Reginam alloquimur, vsurpemus. Deinde si qua in re, à nobis peccatum.

In orat. pro Sextio.

Ignorantia Ministri ex iis, quæ sequuntur, patet.

catum est, cùm Dominum Turnonium Clarissimum Comitem vocaremus, certè Ioannes Serranus errauit, vtpote, qui 3. de Repub. lib. pag. 390. Vlyssem, aliósque præstantissimos ἥρωας, *Clarissimos viros* nuncupat, quos Plato, optimus dicendi magister, ἐλλογίμους ἄνδρας, hoc est, viros eximios, dicit. Vsum benè loquendi arbitrum, in tralatione sua, non ἀρχαίων sequi, meo iudicio, debuit: Adde quòd multò melius per *Illustres*, aut per *Egregios*, quàm per *Clarissimos*, dictionem Græcam ἐλλογίμους, expressisset. Errauit multò grauius & ἀρχιαιρετικός vester Caluinus, *Clarissimi*, titulum Christianissimo Regi Francisco primo, sic attribuens: *Quũ huic operi manum primùm admouerem, nihil minus cogitabam, Rex clarissime &c.* Quod ita Gallicè ipsemet reddidit: *Au cõmencement que ie m'appliquay à escrire ce present liure, ie ne pensoye rien moins, Sire &c.* Dum nos igitur cœco furore exagitas, in Serrani, & Caluini nomen, existimationémque imprudens offendisti. At *contra loquendi consuetudinem nos loqui affirmas.* Si eloquentissimorum nostræ memoriæ virorum Scripta legisses, longè aliter sentires. Paulus Manutius de Lingua latina, omnium Doctorum calculo, quàm optimè meritus, communem loquendi consuetudinem non ignorauit, & tamen Illustrissimum Massæ, & Carrariæ Principem, *Clarissimum* appellat. *Vides* (inquit) *à quibus viris originem ducas, Alberice Clarissime.* Idem Guillelmum Bellaium Langæum apud subalpinas Gentes Protegem, *ornatissimum* sic vocat: *Magni refert Bellai ornatissime.* Expectas fortassis hominis Galli contra te testimonium. Antonius Muretus præstantissimus Orator, in amplissimo orbis terrarum consessu, Iustum Turnonium Iusti Ludouici fratrem, Christianissimi Galliarum Regis Caroli IX. ad Pium V. Legatum, *Clarissimum* dicere non dubitauit, cuius hæc sunt verba, *Legauit Carolus Rex, clarissimum & nobilissimum virum Iustum Turnonium Comitem Rusilionis &c.* Huic adiungo Dionysium Lambinum Græcarum literarum Lutetiæ Regium Professorem Doctissimum, qui ἐν ἐπιγράφῳ Epistolæ, quam Commentariis in Horatium præposuit, Cardinalem Turnonium Mecenatem suum, *sapientissimum & clarissimum* appellat. Sicut & in Epistola, Ethicorum Aristotelis interpretationi præfixa. *Duæ res* (ait) *esse dicuntur Clarissime, atque ornatissime Cardinalis &c.* His igitur eloquentissimis viris vitio verte, si audes, quòd *contra loquendi consuetudinem* ἀπολιτικῶς *loquuti sint*, ne in solos Academiæ nostræ Professores contumeliosè te odio peragrasti commotum inuehi Lector intelligat. Qui omnes quid olim *Clarissimus* & *Clarissimatus* Romanis esset ante te didicerunt ex D. lib. 50. tit. 16. de verbo. signific. L. 100. Speciosas personas. ἐπίσημα πρόσωπα. & lib. Cod. 12. tit. 1. de dignitatib. L. 11. si Senator. L. vn. Cod. de annon. & ca. Item vt ab Illustribus in l. 1. Cod. vbi Senat. De Clarissimatus vocabulo. Alciat. cap. 4. l. 3. de Dispunct.

Ioan. Serranus errauit, Ministri iudicio.

Calu. epist. ad Regē Galliæ. ἀπολιτικῶς Ministro credi tur.

P. Manut. in epist. ad Prin cipem Massæ.

A. Muretus in oration. ad Summũ Pont. pro Galli. Oratore.

Dyonis. Lambinus in epistolis in Horat. & Aristot. Ethic.

Pag. 94. Ministri in summum Pontificem odium.

Dolet tibi prætereà vehementer, quòd in Epistola Academiæ, summus Pontifex ante Christianissimum Regem nominetur. Qua in re aduersus Ecclesiam Romanam (quam Galliarum Monarchę semper suspexerunt) tuum odium capitale apud omnes testatum relinquere voluisti. Lege grauissimâ illam (de qua iam dixi) Mureti orationem, ac quæ semper fuerit Christianissimorum Regum erga summos Pontifices obseruantia, facilè cognosces. Attende, quæso, dum recito extremam elegantissimæ orationis partem, si fortè viri in omni iudicio politissimi, ad manus tuas Scripta nondum peruenerunt.

Muretus in oration. ad Pium V. Regũ Francorum in summũ Pontificem obseruantia.

Per eum (Comitem Turnonium) *Carolus Rex, Beatissime pater, Tibi, & toti Ecclesiæ de tuo Pontificatu gratulatur: Te verum Iesu Christi Vicarium, Verum Petri successorem non dubitanter agnoscit: Tibi & huic sanctæ Sedi verè, atque ex animo, quam debet obedientiam, præstat ac defert: Et vt certò sperat se in omnibus, quæ à te præstari poterunt, à te adiutum, atque ornatum iri: ita se omnes vires suas ad Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ defensionem semper promptissimo animo collaturum, neque hac in re cuiquam mortalium concessurum pollicetur.* Rex Christianissimus per Clarissimum Russilionis Comitem, Pontif. Max. quam debet obedientiam, præstat ac defert: Et tu Caluini patrone temerè, atque iniuriosè à nobis post summum Pontificem, Regem nominatum esse contendis? Certè nostræ memoriæ historias legisse non videris. Nam, ne vetera consecter, qui fuerint magni illius Galliarum Regis Francisci primi cum Leone X. & Clemente VII. Rom. Pont. congressus, nemo in rebus Patrum nostrorum memoria gestis versatus ignorat: Quanta verò vtrumque Pont. idem Rex coluit obseruantia, nõ modo Doctorum virorum monumẽta, sed multi etiam qui affuerunt, si veritatis cognoscendæ studio teneris, te docere poterunt.

Caluinista ægrè fert Pontificem Prælatum fuisse Regi.

Serranus postremis verbis epistolæ ad Reginã Angliæ I latonem. *Pag. 94.*

Quid de Serrano tuo dices, qui Angliæ Reginam, omnium principum Christianorum primam ausus est affirmare? Ecquis hoc Francus feret? Epistolæ * Scriptorem obiurgas, quòd verba illa, *Franciscum dico Turnonium*, scripserit, cùm Professorum omnium nomine, Epistolam fuisse editam constet: Ego, si iusta est hæc tua reprehensio, frequenter in hac mea Scriptione erraui, cùm sæpius numerum mutârim: ac nonnunquam, quasi mihi soli tecum esset negotium, tibi responderim, plerunque: quasi multi te refutassent, inanem loquacitatem compresserim tuam. Disce quæso antè Latinè loqui, quàm alios docere suscipias: Hunc è quamplurimis aliis, quos passim notauimus, purum putum in tua modesta responsione Solœcismum, neque Priscianus, neque alius vel minutus Grammaticus tolerabit. Agnosce, si placet, tuam elegantem, & Caluini Ministro dignam orationẽ: *Quũ veritatẽ altercando amitti & vetus docuerit prouerbium, & funestissima post annos complures in hoc Regno experientia demonstrauerit, quantò rectius & vtilius futurum esset, de Veritate ex veritate disputare, eo videlicet quem veritatem maximè decet modo.*

Pag. 96. & 97. Ministri solœcismus è compluribus aliis. Vide pag. 5. 11. 92. 97. & 183. &c.

modo. Construe, destrue, omnia tenta, *quem veritatem maximè decet modo*, orationem esse ineptam & Grammaticorum præceptis planè repugnantem, negare non poteris. Vt nihil de tuo *post complures annos* dicam.

MINISTER. pag. 96.

Ad Academias omnes in Regni huius latifundio variè distributas, Parisinam comprimis nostrûm omnium veluti matrem pertinet videre, Nequid detrimenti Ecclesia & Patria à vobis patiatur.

CATHOLICVS.

De Caluiniana doctrina grauissimum extat Parisiensis Academiæ Decretum, quam si omnium vestrûm Matrem agnoscitis, cur sanctissimis ipsius monitis obtemperare recusatis? Cur in optimam parentem vestram perperuò insultatis? Lege pestiferum, quod scripsit Caluinus, præceptor tuus, Antidotum, in quo Parisienses Theologos probris, quibus potest, omnibus, maledictisque vexat. Ac si germanus haberi velis Caluinianus, in Parisiẽsi *Latifundio* nullum in quo, vel pedem ponas, locum inuenies. Atque si Vniuersitatis tãtę, de rebus cùm Theologicis, tum Philosophicis (in quibus à nobis dissentis) sententiæ standum existimas, diem certum, tempúsque constitue, & nos, vt in amplissimo Doctissimorum, quibus floret nobilissima illa Academia, virorum consessu, Caluini commenta Christianæ religioni aduersari, doctrinam verò, quam nostris sumus complexi Assertionibus, certissimis ipsius veritatis principiis inniti, multis, & grauibus argumentis probemus, Lutetiam aduolaturos pollicemur.

Caluinus rebellis filius in Academiã matrem inuehitur.

MINISTER. pag. 97.

Etiam veni Domine IESV.

CATHOLICVS.

Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo, & doloso erue me. Psal. 42.1.

MINISTRI ANONYMI INIQVA EXPOSTVLATIO, EIVSQVE nouę contra veritatem rationes, futiles esse paucis verbis demonstrantur.

CAPVT XL.

EA est mentis humanæ imbecillitas, vt cùm semel à recta religionis via declinare cœperit, nullum faciat errandi finé: nihilque sit tam absurdũ, quod pro veritate noncolat, & amplectatur: vt mirari nemo debeat, si, qui nostra, Patrúmque nostrorum memoria, in rebus, suo iudicio exiguis, turpiter hallucinati sunt, prima fidei nostræ principia debellare tandem non erubuerint. Nullus siquidem tam paruus est error, cui si non quamprimùm occurratur, temporis progressu non crescat in immensum, pestiferósque, magno mortalium damno, fructus producat. Quòd ergo tu Caluini Minister, omni abiecto pudore, perniciosos errores mordicus teneas, noménque nostrum contumeliis lacerare non cesses, nobis (qui Sectæ vestræ mores planè cognoscimus) nouum non videtur. Euolueram illud tuum aliquot paginarum volumen, ac tibi, ne de tuis nugis insolenter, vt facis, gloriari posses, copiosè respondere cœperam, cùm ecce nobis affertur illius libri Summa, & ἀνακεφαλαίωσις, vbi si quid noui fuerit, paucis iam (propitio Iesu Christo) à me dissoluetur. Non est igitur quòd asseras te nouam accepisse à nobis *Scytalem:* Apertam enim, & claram fidei Christianæ doctrinam, nullis verborum inuolucris proposuimus: Nisi dicas te tuæ ignorãtiæ conscium, tristitia non mediocriter affectum fuisse, cùm primùm ad te allatæ sunt Theses nostræ: quod ego facilè mihi persuadeo, téque sic à nobis accepisse ἀχρυμένην σκυτάλην non inficior. Ast quid te mouit Minister, vt quasi de nobis triumphans, prouerbium *Cramben bis coctam*, à nobis semel vsurpatum toties repeteres? Nonne in re simili, imò eadem penitus, illud idem tu ipse vsurpasti? *pag. 80. Responsionis, versu 11.* Quem ad locum nos, dedita opera, allusisse tibi debebas persuadere. Accedit quòd tuĩ vnius causa repetitionem earundẽ Theologicarum propositionũ, quasi δὶς κράμβην vocauerimus, quas certò scimus tibi, tuique similibus verè esse θάνατον, & τῶν παραδόξων ὑμετέρων ὡς ἀληθῶς σταυρὸν: Sed Catholici eas sanè δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ semper iudicant cùm vestris nugis nos inuictam veritatẽ veluti murũ æneum τῷ χθαλτε καὶ τετραχθὰ vident opponere. Quòd autem nihil noui in Thesibus nostris fuisse scribis: qui veterem fidem colimus, Religionis nouitatem repudiamus. Idem prorsus hoc, quod superiore anno inculcauimus, vt abiecta omni larua te inapertum campum pertraheremus, vbi quid posses, ab omnibus facilè cognosceretur. At falsi sumus: Quinque enim diebus (quibus in Theologia,

Pag. 1. Minister dolet cũ Theses accipit.

Cur Turnonij vsi sunt adagio, *Crambe bis cocta.*

Cur easdem assertiones iterum proposuerint.

Theologia,& Philoſophia diſputatum eſt) ſedes tibi parata, vacua, & inanis remanſit. Initio illius primi libri tui, certiſsimam nobis tui ad Academiam noſtram aduẽtus, expectatiõe commouetas, poſteà te fidem fallere non puduit. Venit quidem ad nos Valentia, & Diſputationibus noſtris interfuit Camillus neſcio quis Patauinus, in grege veſtro non vltimus, nullis tamen precibus adduci potuit, vt vel vnum verbum pro cauſa veſtra miſerè deſerta, ſiue publicè, ſiue priuatim faceret. Expectabat fortè Ioannis Sertani aduentum: qui ſibi diffidens, verboſas ad Clariſsimum Dominum Turnonium eiuſdem protſus, cum tua Expoſtulatione, argumenti, dedit litteras: quæ Nemauſi 8. Cal. Oct. ſcriptæ, Cal. Turnonum perlatæ ſunt. Atque ne in Michaëlitiis Diſputationibus veſtra intoleranda vanitas, ab Academiæ Doctoribus irridenda, frequentiſsimo hominum doctiſsimorum conſeſſui proponeretur, haud dubiè de induſtria factum eſt, vt tardius in manus noſtras iocularis ille veſtrarum Eccleſiarum libellus perueniret. Quod autem ſcripſit Serranus, à vobis libellum veſtrum quatridui ſpatio fuiſſe compoſitum, non miramur, cùm nihil doctrinæ penitus, ſed inanem tantùm alterius repetitionem contineat. Certè ſi Turnoni Typographum, vel ſicut vos, Ærarium habuiſſemus, iampridem tuis nugis fuiſſet reſponſum. Quod prætereà ſubiungis nos Auditoribus noſtris, ne *Reſponſionem* veſtram legerent interdixiſſe, mera eſt calumnia, cùm nos vnicum (idque opera Ioannis Primaſij Turnonij I. C. prudentiſsimi) exemplar hactenus habere potuerimus. Imò Gilbertus Caronæus Anonenſis, Medicus nobiliſsimus (qui vnà cum duobus fratribus ſuis Ludouico grauiſsimo Theologo, & Claudio Medico ſingulari, non modò hominum corporibus, ſed animis etiã medetur, dum Catholicam religionem aduerſus Caluinianos Miniſtros tuetur) Academiæ noſtræ Rectori dixit ſe à Serrano tantùm, non aliundè, nec prece, nec pretio librum illum tuum habere vnquam potuiſſe. Cæterum nemo noſtrûm eſt, Miniſter, qui contra Caluini errores *inoletũ* (vt tu nugaris) *tueatur mendaciũ, ſed* περὶ ἀληθείας, ἐξ ἀληθείας μεταχειρίζομεθα. Neq; vllum extat *proſtituti pudoris noſtri monumentum*, vt tu pro tua Caluinianà modeſtia loqueris. Nõ legiſti in Academiæ noſtrę Epiſtola *Solam propoſitionum noſtrarum elegantiam vobis minus probari.* Da operã Grammatico, qui te Latinæ linguæ nitorem doceat, vt quæ à viris eloquentibus ſcripta ſunt, poſsis intelligere. Quæris deinde, *num noſtri Gymnaſij anguſtias omnium Academiarum Lateſundiis anteponamus?* Vis tibi paucis reſpondeam? Chriſtianas omnes Academias magni facimus, earúmque nulli noſtram præferimus: Caluinianas verò Scholas, parui ſanè pendere ſolemus. *A nobis ad omnium Academiarum iudicia, vos prouocare ſcribis.* Quam tuam prouocationem lubenter admittimus, ac Pariſienſis Academiæ (in qua multi noſtrûm, qui nunc Turnoni docent, magno Audito-

Fraus Miniſtrorum.

La bourſe commune des Caluiniſtes faict tout.

Pag. 4.

Miniſtri calumnia.

Pag. 5.

stum &c. & suas interpretationes his verbis conclusit, *Ergo si ita dictum est, Me autem non semper habebitis, quæstio, sicut arbitror, iam nulla est, quæ duobus modis soluta est.* Scribit ergo Christum Dominum non sic esse in terris quemadmodum olim fuit, ita vt ab omnibus in humana forma videri possit. Nam & illam Domini orationem, *Hæc locutus sum vobis apud vos manens, de præsentia corporali, qua cum illis visibilis loquebatur*, intelligi asserit. Idémque in verbis illis, quæ nobis obiecisti, non obscurè insinuat. *Modò*, inquit, *fide tenet, oculis non videt.* Ac ne vllus tibi de ipsius sententia scrupulus remaneat, afferam & aliam eiusdem orationem, ex qua hác germanam esse, quam attuli verborum ipsius sententiam, quiuis facilè colliget. *Neque ad iudicium viuorum, & mortuorum Pater ipse venturus est, nec tamen recedit à filio Pater. Quomodo ergo non ipse venturus est? Quia non ipse videbitur in iudicio. Videbunt in quem pupugerunt: forma illa erit iudex quæ stetit sub iudice: illa iudicabit quæ iudicata est: iudicata est enim iniquè, iudicabit iustè. Veniet ergo forma serui, & apparebit: Etenim forma Dei quomodo apparebit iustis, & iniustis? Nam si iudicium non fieret nisi inter solos iustos, appareret tanquam iustis forma Dei. Quia verò iudicium futurum est iustorum, & iniquorum, nec licet vt iniqui videant Deum (Beati enim mundo corde, quia ipsi Deum videbunt) talis apparebit iudex, qualis videri possit, & ab eis quos coronaturus est, & ab eis quos damnaturus est. Forma ergo serui videbitur, occulta erit forma Dei, occultus erit in seruo filius Dei, & apparebit filius hominis, quia potestatem dedit ei & iudicium facere, quia filius hominis est. Et quia ipse solus apparebit in forma serui. Pater autem non apparebit, quia non est indutus forma serui: ideo superius ait, Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Non iam igitur videmus (ex Augustini sententia) Christum Dominum oculis, quia humana ipsius forma, color, lineamenta, & alia, quæ aspectum hominis mouere possunt, in oculos nostros non cadunt.

Christus inuisibilis adest.

Ioan. 15. 25.

August. in Euang. Ioan. tract 19.

Zacha. 12. 10.

Ioan 19. 37.

Cur pater dicatur neminem iudicare.

Matth. 5. 8.

Christus in iudicio formâ serui videbitur

Ioan. 5. 27.

Ioan. 5. 22.

MINISTER. pag. 88.

Idem, Sicut eundem Filium, & redemptorem nostrum, secundum diuinitatem, inuisibilem, incorporeum, & incircumscriptum, sicut Patrem & Spiritumsanctum non credere, impium est: ita eundem Filium Dei in hominem assumptum, visibilem, corporeum, & localem post resurrectionem, non credere, & profiteri, profanum est.

CATHOLICVS.

Vnde hanc sententiam (quam Augustino tribuis) descripseris Minister, non satis coniectura assequor: Quapropter rem nobis gratam facies, si Auctoris locum indicaueris, vt plenius tibi possimus ad eam respondere. Quanquam nihil in ea est, quod Doctrinæ Catholicæ veritati vllo modo repugnet.

MINISTER.

MINISTER. pag. 88.

*Augustinus. Donec seculum finiatur, sursum est Dominus: Sed tamen hic nobiscum est veritas Domini. Corpus * enim in quo resurrexit, in vno loco esse oportet: veritas autem eius vbique diffusa est.*

Minister Augustini sententiã mutat & mutilat.
* Domini.

CATHOLICVS.

Vbiquitarios, germanos Caluinistarum fratres, qui Christi Domini corpus per res omnes penetrare contendunt, hac D. Augustini oratione conuince. Nos enim Catholici, Dominum in Cælum ascendisse credimus, diuinique huius mysterij memoriam quotannis iucunda recordatione celebramus: & cum Augustino dicimus, *Christus, qui humanam non ad horam assumpsit effigiem, in qua hominibus appareret, ac deinde illa species præteriret, sed in vnitatem personæ suæ, manente inuisibili Dei forma, accepit visibilem hominis formam, non solùm natus est in ea de homine matre, verumetiam creuit in ea, & manducauit, & bibit, & dormiuit in ea, & ascendit in calũ, & sedet ad dexteram Patris in ea, & ad iudicandos viuos & mortuos venturus est in ea, & in regno suo, ei qui illi subiecit omnia, erit subiectus in ea.* Non est porrò cur mutilas Aug. sententias contra nos vsurpes: Non enim videris intelligere quorsũ spectet hæc ipsius oratio. *Dominũ loquentẽ audiebãt, & Discipuli & Iudæi: veritatẽ loquentẽ audiebãt, & veraces, & mendaces: charitatem loquentẽ audiebãt, & amici & inimici: bonũ loquentem audiebant, & boni & mali. Illi audiebãt, sed ille discernebat, & quibus sermo prodesset, & profuturus esset, videbat, & prauidebat. In illis enim qui tunc erant, videbat: in nobis qui futuri eramus, prauidebat. Nos itaque sic audiamus Euangelium, quasi præsentem Dominum, nec dicamus: O illi felices, qui eum videre potuerunt: quia multi in eis qui viderunt, & occiderunt: multi autem in nobis, qui non viderunt, & crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore Domini, & propter nos scriptum est, & nobis seruatum est, & propter nos recitatur, & propter posteros recitabitur, & donec seculum finiatur. Sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas Domini. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, vno loco esse potest: veritas eius vbique diffusa est.* De Eucharistiæ sacramento, ne verbum quidem facit hoc loco, vt vides. In vno ergo est Domini corpus loco, ita vt corporis humani lineamẽta conspici possint: quo modo summo illo die de vniuerso hominum genere cùm iudicium feret, Christus Dominus, in humana, à nobis forma videbitur.

August. contra Maxim. Arian. Episcop. lib. 2. c. 19.
Corpus Christi non est vbique.

August. in Euang. Ioan. tract. 30.
Christi auditores diuersi.
Verbũ Dei propter nos

Christi visibilis forma in vno tantùm loco est.

MINISTER. pag. 88.

Item Vna persona Deus & homo. vbique per id quod Deus est: in cælo per id quod homo est.

CATHOLICVS.

Concludere propterea Minister, Christum Dominum non esse in Eucharistiæ Sacramento, quòd sit in cælo, vt Dei Omnipotentis interminatæ potestati te bellum indixisse omnes intelligant. Probat

Aug. epist. 57. August. lib. de pde & sym bolo.cap 6. quidem Augustinus ad Dardanum scribens, Christi corpus nō complere omnia loca, Sed *vbique esse Christum Dominum per id, quod Deus est: in cælo autē, per id quod homo.* Qua verò ratione in cælo sit,
* Pag 301. si scire cupis, lege quæ supra ex * Caluino excerpsimus: Aut, si tibi probatur D. Augustini sententia, noli curiosè indagare? *Vbi*, inquit, *& quo modo sit in cælo corpus Dominicum: curiosissimum, & superuacaneum est quærere: tantummodo in cælo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cælorum secreta discutere. Sed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate sublimia, & honesta sapere.*

MINISTER. pag. 88.

Cyrillus autē, Credere oportet fideles, quamuis corpore suo absit Christus, virtute tamen sua res omnes, nósque maximè gubernare: & adesse semper ipsum iis omnibus qui eum diligunt. Propterea dicebat, Amen dico vobis, vbicunque duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum. Sicuti enim quando in terra versatur, vt homo, tunc etiam implebat cælos, & Angelorum consortia minimè relinquebat: eodem nunc modo, quum sit in cælis cum carne, terram replet, & cum iis est qui eum diligunt. Obseruandum est autem, quòd licet secundum carnem tantum abiturus erat (adest enim semper virtute Deitatis vt diximus) modico tamen tempore, se cum Discipulis futurum dicebat, apertè seipsum nominans, ne quis in duos filios Christum diuidere auderet: sed vt vnum esse quisque credat: non quòd vna sit natura, Sed quia in vtraque natura est vnus Christus.

CATHOLICVS.

Te Gebennensis schola Minister, non argumentari, vt video, sed nudas sententias ex aliorum libris, tanquam scopas dissolutas,
Petrus Pseudomartyr in tractatione de Eucharistia. proponere docuit. Petrus ille vester pseudomartyr, eam ipsam Cyrilli sententiam, quam tu immutatam profers, Ecclesiæ Catholicæ de augustißimo Eucharistiæ Sacramento dogmati repugnare falsò existimauit. Tu verò ne in veterum Patrum deprauandorum artificio, inferior illo videreris, non tantùm verba (quibus ille abusus est) immutare, sed etiam quæ omisit, non te puduit corrumpere. Quod vt facilius omnes intelligant, ipsissima Cyrilli verba, quæ à falso vestro teste prætermissa sunt, subiiciam.
Cyril. Alexād in Ioan. lib. 9. cap. 21. *Sed vt vnum omnino esse credat Dei Patris, & Virginis filium: non quia vna natura sit, sed quia post Incarnationem pia hæc diuisio non est. Vnus enim in vtraque natura Christus est.* Lege quæ suprà cap. 32. huius libri pag. 287. ex eodem Auctore pro Transsubstantiatione adduximus, & tecum ipse prætereà diligenter cogita, an corporis Domini in Eucharistię Sacramento præsentiam neget, qui asserit Christum *corporaliter*
Idē lib. 10. in Ioan. cap. 13. per Eucharistiam habitare in nobis cùm air, *An fortasis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi*
Ioan. 6. 56. *Christū in nobis habitare?* Et post pauca, *Saluator etiam, Qui manducat carnem*

cat carnem meam, ait, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo: Vnde considerandum est non habitudine solùm quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verumetiam & participatione naturali: Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram, alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur. Sic communicatione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, &c. Christum abesse corpore suo, scribit Cyrillus, quia humanam ipsius speciem ac figuram non videmus, vt seipse explicat cap. 21. lib. 9. in Ioan. vnde Martyr vester descripsit verba illa, quæ tu nobis obiicis. *Paruo*, inquit, *tempore vnà cum discipulis fore se Christus ait: non quia penitus ab eis recessurus erat, nobiscum enim semper est vsque in consummationem seculi, sed quia non erat sicut prius cum eis conuicturus.*

Cyrill. cap. 21. lib. 9. in Ioan.

Quomodo Christus dicatur abesse à nobis.

MINISTER. pag. 89.

Plures locos exscribere esset ἀπεροδίευτον & importunum: cum & in harum Quæstionum examine, institutæ scriptionis fines penè iam excesisse videamur. Finis itaque huic sermoni tandem aliquando imponendus est, quandoquidem ex hac leui indicatione nostra æquis sobriisque lectoribus iam non obscurum esse potest, qua fide nobiscum agatis, & qua fronte sacræ Theologiæ nomen & professionem vsurpetis, id est quam reuera sitis vel ψευδοθεόλογοι, vel planè ἀθεόλογοι.

CATHOLICVS.

Parum sanè opportunè Minister, & paucos illos, quibus scriptum tuum auxisti, locos te descripsisse Lector, me tacente, iudicabit. Oportet Locorum vsum tenere, ac Aduersarium, Sententiarum vi & pondere vrgere ac premere. At tu, sine omni delectu, quas apud obscurum aliquem Locorum communium Compilatorẽ reperisti, Patrum sententias, in librum tuum coniecisti: ac quasi de nobis triumphasses Theologiæ nobis scientiam adimere conaris. Nos sanè qui in Theologorum scholis viris doctissimis operam dedimus, verissima fronte Theologiam, ex Christianæ Ecclesiæ præscripto, docemus: & si nobiscum congredi aliquando fueris ausus, neque ψευδοθεολόγους, neque ἀθεολόγους nos esse, reipsa, intelliges. In Ecclesiæ Christi Doctorum sententiis exscribendis, non est quod multùm operæ ponam, cùm hoc labore me leuarit Ioannes Garetius: qui summo iudicio, ad certas reuocauit classes, Ecclesiæ Patrum, pro Corporis, & Sanguinis Domini in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento præsentia, grauissimas sententias: quas si legere volueris, à maledictis & conuitiis (quibus veritatis Christianæ propugnatores oneras) tibi in posterum, fortasis temperabis.

***

MINISTRI IN REBVS PHILOSOPHICIS ET LITTERIS HVMANIORIBVS IGNORATIO breuiter proditur.

CAPVT XXXIX.

QVVM toto tuo Libello Minister, tũ hac postrema illius parte id probasti verum esse, quod elegantissimè historiæ pater Herodotus prodidit, ἅμα δὲ χιτῶνι ἐκδυομένῳ ἐκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. Postquam enim primam fidem à te Christo datam, ausus es violare, & tunicã illã mysticam, qua indutus eras, exuere: certè omnia pudoris, & modestiæ repagula ita perfregisti, vt quasi mulieri veste deposita, nihil tibi pensi verecundiæ, & honestatis ratio esse videatur. Mirabar equidem te in aliis tui Scripti partibus, modestiæ excessisse terminos, sed cùm veniret in mentem nos, vt ait ille,

Herod. in Clio.

— οὐχ ἱερήιον, οὐδὲ βοείην
Ἀρνύσθ', ἅ τε ποσὶν ἀέθλια γίγνεται ἀνδρῶν
Ἀλλὰ περὶ ψυχῶν πολεμίζειν ἡμετεράων.

Home. Ili. χ.

Indulgendum tibi aliquantulum esse credebam, si rei magnitudine commotus, te transuersum rapi permitteres: Nũc verò in hac (vt tu ipse loqueris) Velitatione, quæ de iis solùm rebus est, quæ vel ad Humaniores literas, vel ad Philosophiam pertinent, ita in nos inueheris, vt (quasi pro aris, & focis contenderes) conuitiorum, & calumniarum multitudine quodammodo nos obruere velle videaris. Sed vis quod res est, dicam Minister, ἀμαθία τὸ θράσος, ὁ λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, vt verbis Thucydidis vtar. Si enim tibi perspecta esset intima illa nostra philosophandi ratio, qua non Platonis nescio quæ melimela, sed Aristotelis grauissima spatia à Themistio, Philopono, Ammonio, Alexãdro, Boëtio, D. Thoma, & aliis Græcis, Arabibus, & Latinis doctissimis interpretibus explanata consectamur: Tu sanè haud tanta audacia nostra Philosophica damnares, & tardius lentiúsque aduersus nos insurgeres. Qua qua fronte, obsecro, audes dicere nostrorũ Corypheorũ Scripta in musæis adhuc latere? In quo si quidem Disciplinarum genere (quæ non sunt à nostra viuendi ratione aliena) non extant nostrorum hominum commentaria? Atque, vt Theologica taceam, quis est alicuius eruditionis in Europa, qui ignoret Franciscum Toletum, Benedictum Pererium, meos quondam in Theologia Doctores, Aristotelis Dialecticam, & Physicam: Petrum Fonsecam, ea quæ Physica sequuntur: & Christophorum Clauium Euclidis elementa, & Sphæram Ioannis de Sacrobosco, Arithmeticam, & γνωμονικὴν suis ita explanasse lucubrationibus, vt Philosophiæ Professores ab euoluendis aliorum expositionibus magna ex parte

Thucyd.

Aristot. Philosophiam docent Tutnonij Professores.

Toletus & alij eiusdem Societ. multa iam ediderunt.

parte liberati sint. Cæterùm dum nos λογεμπόρους esse iactitas, facis tu quidem tuo more, id est, διαβόλως, & malitiosè: Nullum enim quæstum ex docendi labore facimus: ψυχέμποροι autem (vt verum fatear) sumus: cùm omnium hominum, animas Christo quibuscumque *1. Corinth. 12. 16.*
modis possimus, etiam δόλῳ πανοῦργοι (vt Apostolus Corinthios) lucrari, quocunque vitæ nostræ periculo desideremus. Atque vtinam teipsum, vel sanguine meo, possem mercari: profectò lubens totum illum, vel tui vnius causa, & vt te Ecclesiæ Catholicæ reconciliarem, effunderem. Denique (vt [a] superius obseruauimus) planè te *a Pag. 251.*
ἄμουσον ostendisti, vnde cur illud addas nescio:

[b] *Non nobis licet esse tam disertis* *b Martialis lib. 9 epig. 8. suauius dixit, Nobis nō licet &c.*
Qui Musas colimus seueriores.

Nisi fortè tui Bezæ Musas intelligas: Sed quàm seueræ illæ sint [c] paulò antè à nobis demonstratum est. Possem equidem singulis huius libri tui versiculis respondere, at quoniam (vt Poëta canit) *c Pag. 268. & 269.*

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος *Hesiod. in ἔργ. 1.*
Φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.

Librum hunc meum (qui posset hac ratione in immensum crescere) desidero hac mediocritate sua terminare. Tuarum igitur solummodo *summa sequar fastigia rerum*, vt cum Poëta loquar. Quomodo *Virgil. 1. Aeneid.*
autem tu, qui in libri tui inscriptione Theologicas, Philosophicásque Theses nostras te examinaturum proposueras, vbi ad rem ventum est, *tui neque instituti esse, neque loci, & temporis eas sigillatim discutere profitearis*: Non vereris ne æqui Iudices (quos, *secundum allegata & probata*, sententiã laturos minabaris) te damnent ex l. si cui. D. de accus. & inscript. & l. qui crim. C. de his qui accus. non poss. quòd subscriptionem non dederis, & crimen vsque ad Iudicis sententiam nō persequaris. *Pag. 91. Minister nō stat promissis. Pag. 90*
Vis tibi præclaram accusationis tuæ inscriptionem repetam, vt quàm rectè à te fuerit facta subscriptio omnes intelligant? *Academia Nemausensis breuis & modesta responsio ad Professorũ Turnoniorum Societatis, vt aiunt, Iesu, Assertiones, quas Theologicas & Philosophicas appellant.* Audisne te sic incipere,

Vt Scriptor Cyclicus olim *Horat. in arte poet.*
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum?

Et modò tuo egregio principio respondere, quod subiungitur:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Non ergo est propositi tui sigillatim Theses Philosophicas examinare: magnus scilicet, Theologus Philosophiam tangere dedignatris. Sed vbi est ἐγκυκλοπαιδεία, quam si quis priuatus absoluere & explere nequit, Academiam tamen vnam, cuius nomine librum tuum euulgasti, eam alienam ab instituto suo iudicare quis feret? Præclarè certè mereris de noua tua Academia, quam vel in Grammaticorum pistrinum redigis, vel in Rhetorum officinas amandas, Philosophiamque Academiarum moderatricem ab ea exulare compellis.

rectè componendarum rationem vertis? Nam *interrogationum copiam* debueras dicere: Vis enim ſcire, quid ſit πρότασις apud Ariſtotelem? Audi αὐτότατα ipſius verba: ἔστι δὲ πρότασις διαλεκτικὴ ἐρώτησις ἔνδοξος ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σόφοις, καὶ τούτοις ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις μὴ παράδοξος. Prætereà εὐπορία ratio, verti non poteſt, cùm Logicæ opus non ſit ratio & intelligentia (de vtenre, vt ſic loquar, ago) ſed externum aliquod exercitium. Quod certè Ariſtoteles videtur declaraſſe, dum ſcribit: ἔστι δὲ πρὸς τρία χρήσιμος ἡ πραγματεία, πρὸς γυμνασίαν, πρὸς τὰς ἐντεύξεις, πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας &c. Vide quàm latus mihi pateret campus, ſi vellem tua ἀκριβέστερον expendere, & ad viuum reſecare: Vt omittam, quàm egregiè tecum ipſe conſentias, vt cùm dicis, *Theſes noſtras in paucißimis verbis loquaci prolixitate eſſe cumulatas, vt patientißimas aures offendant.* Nouam hanc à te excogitatam artem nos, quæſo, edoce, qua ex paucißimis verbis, longas poßimus cõponere orationes. Certè ſi paucißima ſunt verba, ſeſquipedalia, vel monſtroſißima eſſe debebunt, vt prolixam loquacitatem efficiant. *Lib. 1. Top. cap. 8.* *Libr. 1. Top. cap. 2.* *Pag. 91.* Miniſter ſecum pugnat

Peccatum tu quidem à nobis, & quidem grauiter aſſeris, ſed ποῦ, καὶ πότε non declaras. Vide, quæſo. D. de accuſatio. l. libellorum. qualem eſſe oporteat Inſcriptionum formulam: & quomodo locũ & tempus debeat comprehendere. Concipe igitur accuſationis noſtræ formulam, ſicut Iuriſcõſultus faciendum præcipit, tuęque poſtea criminationi nos ſatisfacere conabimur. Diſputationem inſtitue, & ad ſingula non grauatè reſpondebimus: ſimúlque probato argumentis, ex Philoſophia petitis, nos Platonis, & Ariſtotelis doctrinã infeliciter tractaſſe: alioqui impudentem calumniatorem te omnes eſſe iudicabunt. Sic tu quidem Theſes noſtras Dialecticas lancinaſti: Phyſicis autem, & aliarum ſcientiarum Aſſertionibus, tanquã ſacro abſtinuiſti. Quod ſanè, prudenter fortaſſè, non tamẽ fortiter abs te factum eſt: Cùm enim, vt ſcribit Laërtius, Animali Stoici Philoſophiam similẽ eſſe dicerent, ὀστέοις μὲν καὶ νεύροις τὸ λογικὸν προσομοιοῦντες, τοῖς δὲ σαρκωδεστέροις τὸ ἠθικόν, τῇ δὲ ψυχῇ φυσικόν: Pulchri iſtius Animalis oſſa tantùm rodere, non carnes deguſtare, vel animum contemplari, voluiſti, Æſopicæ vulpeculæ ſimilis, quæ vuas pulcherrimas in vinea contẽplata, eas mandendi deſiderio flagrans, cùm ſepem ſuperare non poſſet, μὴ κάμνε, inquit, ὄμφακες ὑπάρχουσι μάλα: Sic tu, qui, vt puto, non ignoras Stoicos Philoſophiam τῷ ἀγρῷ παμφόρῳ προσομοιωθῆναι, καὶ τὸ μὲν περιβεβλημένον φράγμον τὸ λογικόν, τὸν δὲ καρπὸν, τὸ ἠθικὸν, τὴν δὲ γῆν ἢ τὰ δένδρα τὰ φυσικόν: cùm ſepem illam noſtram Logices à te aliquantulùm tentatam, aſcenſu difficilem eſſe deprælendiſſes, & te non poſſe facilè vel fructus, vel arbores noſtras depopulari eas ἀφιλοσοφώτερον à nobis tractatas valdè ἀφιλοσόφως, tu φιλάβ ... eſſe dixiſti. *Inſcriptionum qualis formula.* *Laert. li. 6. in vita Zenonis.* *Aeſopi fab.* *Laer. vbi ſup.*

Quæ deinde de Scholis noſtris adiicis, mera ſunt conuitia, quibus non *Pag. 91. & 92.*

Valer. lib. 3. c. 7. Plinius de viris Illustr. & Ascon. Pa dian.

bus non aliter respondebo, quàm M. Æmilius Scaurus à Vario Sucronensi accusatus, respondit: Nempe, Minister Anonymus Iesuitas accusat, quòd Iuuentutem fidei suæ commissam, malè doceant: Iesuitæ huic se culpæ negant affines esse, cùm præsertim Dei benignitate, ex eorum Collegiis exeant permulti, qui egregium eruditionis, & probitatis specimen, vbique terrarum dent suæ. Quid potius credendum est?

Pag. 92.

Ad Præfationem venio, quam tu, more tuo, exagitas, id est, nulla certa ratione, verùm inani profluentia loquendi, vt in humaniore literatura te Magistrũ esse inerudito Lectori persuadere possis. Tibi ergo nihil arridet, quod ex Ciceronis, Cæsaris, aut Terentij arculis non sit depromptum, cùm tamen plurima in singulis libelli tui pagellis reperiantur, quæ apud nullum Classicum, aut probatum Latinæ linguæ Auctorem inuenies, ex quibus aliqua per transennam obseruauimus, ne tibi calumniam immeritò imposuisse videremur.

MINISTER. pag. 93.

Placent vobis ἀρχαϊσμοὶ: vt illustrem Heroinam Claudiam Tureniam, vocetis Ornatissimam: illustrem verò Heroëm, Comitem Rossilonaum, Clarissimum appelletis. Vsus tamen est benè loquendi arbiter. Ciuem certè vel mediocri fortuna, Ornatissimum, Clarissimúmque vocaremus, vt vernaculo sermone, Honorable, ou Honeste personne, Primaria nobilitatis familia, quales Tureniam, & Turnoniam vniuersa nouit Gallia., Illustris appellationem merentur. Quidnam autem Clarissimus: & Clarissimatus Romanis olim esset, non ignoramus. Sed contra loquendi consuetudinem nunc vos ita loqui affirmamus. Vos igitur de more vestro, homines scilicet τοὺς [illegible], iuuentutem Ciuilis decori, honesta & necessaria cognitione imbuetis. id est, docebitis opportunè quod nescitis?

CATHOLICVS.

Quid ais Minister? Ciceronem imitari tibi est ἀρχαϊσμὸς? Ille pro Sextio, Brutos, Camillos, Halas, Decios, Maximos, Scipiones, &c. Primariæ nobilitatis ciues, Clarissimos appellat: sicut & Regẽ Deiotarum clarissimorum Imperatorum testimoniis ornatum dicit, in orat. de Arusp. Respon. vt plurimos locos omittam, vbi Illustres quosque vocat Clarissimos & Ornatissimos. Sed esto Clarissimus, & Ornatissimus, vel mediocris fortunæ Ciuis nominetur. Nó propterea tamen Illustri viro fiet iniuria, si quando iisdem vocetur nominibus. Quæro enim ex te, an Maiestatem Regiam minuat is, qui Regem *Sire*, appellat, cùm Parisiensis, imò & Turnonæi ciuis, vel tenuis fortunæ, sic passim vocitetur. An qui Christianissimi Regis Fratrem *Monsieur* vocat, regio sanguini iniuriam faciat, cùm plebeios homines, sic vulgò vocitari ignoret nemo? *Madame* etiam infimam appellamus fœminam, quamuis eandem prorsus vocẽ, dum Reginam alloquimur, vsurpemus. Deinde si qua in re, à nobis peccatum.

In orat. pro Sextio.

Ignorantia Ministri ex iis, quæ sequuntur, patet.

catum est, cùm Dominum Turnonium Clarissimum Comitem vocaremus, certè Ioannes Serranus errauit, vtpote, qui 3. de Repub. lib. pag. 390. Vlyssem, aliósque præstantissimos ἥρωας, *Clarissimos viros* nuncupat, quos Plato, optimus dicendi magister, ἐλλογίμους ἄνδρας, hoc est, viros eximios, dicit. Vsum benè loquendi arbitrum, in tralatione sua, non ἀρχαϊσμὸν sequi, meo iudicio, debuit: Adde quòd multò melius per *Illustres*, aut per *Egregios*, quàm per *Clarissimos*, dictionem Græcam ἐλλογίμους, expressisset. Errauit multò grauius & ἀρχι[illegible] vester Caluinus, *Clarissimi*, titulum Christianissimo Regi Francisco primo, sic attribuens: *Quũ huic operi manum primùm admouerem, nihil minus cogitabam, Rex clarissime &c.* Quod ita Gallicè ipsemet reddidit: *Au cõmencement que ie m'appliquay à escrire ce present liure, ie ne pensoye rien moins, Sire &c.* Dum nos igitur cœco furore exagitas, in Serrani, & Caluini nomen, existimationémque imprudens offendisti. At *contra loquendi consuetudinem nos loqui affirmas.* Si eloquentissimorum nostræ memoriæ virorum Scripta legisses, longè aliter sentires. Paulus Manutius de Lingua latina, omnium Doctorum calculo, quàm optimè meritus, communem loquendi consuetudinem non ignorauit, & tamen Illustrissimum Massæ, & Carratiæ Principem, *Clarissimum* appellat. *Vides* (inquit) *à quibus viris originem ducas, Alberice Clarissime.* Idem Guilielmum Bellaium Langæum apud subalpinas Gentes Proregem; *ornatissimum* sic vocat: *Magni refert Bellai ornatissime.* Expectas fortassis hominis Galli contra te testimonium. Antonius Muretus præstantissimus Orator, in amplissimo orbis terrarum consessu, Iustum Turnonium Iusti Ludouici fratrem, Christianissimi Galliarum Regis Caroli IX. ad Pium V. Legatum, *Clarissimum* dicere non dubitauit, cuius hæc sunt verba, *Legauit Carolus Rex, clarissimum & nobilissimum virum Iustum Turnonium Comitem Rusilionis &c.* Huic adiungo Dionysium Lambinum Græcarum literarum Lutetiæ Regium Professorem Doctissimum, qui ἐν ἐπιχ[illegible] Epistolæ, quam Commentariis in Horatium præposuit, Cardinalem Turnonium Mecenatem suum, *sapientissimum & clarissimum* appellat. Sicut & in Epistola, Ethicorum Aristotelis interpretationi præfixa. *Duæ res* (ait) *esse dicuntur Clarissime, atque ornatissime Cardinalis &c.* His igitur eloquentissimis viris vitio verte, si audes, quòd *contra loquendi consuetudinem* ἀπολιτικῶς *loquuti sint*, ne in solos Academiæ nostræ Professores contumeliosè te odio peragresti commotum inuehi Lector intelligat. Qui omnes quid olim *Clarissimus* & *Clarissimatus* Romanis esset ante te didicerunt ex D. lib. 50. tit. 16. de verbo. signific. l. 100. Speciosas personas. ἐπίσημα πρόσωπα. & lib. Cod. 12. tit. 1. de dignitatib. l. 11. si Senator. l. vn. Cod. de annon. & ca. Item vt ab Illustribus in l. 1. Cod. vbi Senat. De Clarissimatus vocabulo. Alciat. cap. 4. l. 3. de Dispunct.

Ioan. Serranus errauit, Ministri iudicio.

Calu. epist. ad Regẽ Gallia. ἀπολιτικῶς, si Ministro creditur.

P. Manut. in epist. ad Principem Massæ.

A. Muretus in oration. ad summũ Pont. pro Galli. Oratore.

Dyonis. Lambinus in epistolis in Horat. & Aristot. Ethic.

Pag. 94. Ministri in summum Pontificem odium.

Dolet tibi prætereà vehementer, quòd in Epistola Academiæ, summus Pontifex ante Christianissimum Regem nominetur. Qua in re aduersus Ecclesiam Romanam (quam Galliarum Monarchę semper suspexerunt) tuum odium capitale apud omnes testatum relinquere voluisti. Lege grauissimā illam (de qua iam dixi) Mureti orationem, ac quæ semper fuerit Christianissimorum Regum erga summos Pontifices obseruantia, facilè cognosces. Attende, quæso, dum recito extremam elegantissimæ orationis partem, si fortè viri in omni iudicio politissimi, ad manus tuas Scripta nondum peruenerunt.

Muretus in oration. ad Pium V. Regū Francorum in summū Pontificem obseruantia.

Per eum (Comitem Turnonium) *Carolus Rex, Beatissime pater, Tibi, & toti Ecclesiæ de tuo Pontificatu gratulatur: Te verum Iesu Christi Vicarium, Verum Petri successorem non dubitanter agnoscit: Tibi & huic sanctæ Sedi verè, atque ex animo, quam debet obedientiam, præstat ac defert: Et vt certò sperat se in omnibus, quæ à te præstari poterunt, à te adiutum, atque ornatum iri: ita se omnes vires suas ad Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ defensionem semper promptissimo animo collaturum, neque hac in re cuiquam mortalium concessurum pollicetur.* Rex Christianissimus per Clarissimum Russilionis Comitem, Pontif. Max. quam debet obedientiam, præstat ac defert: Et tu Caluini patrone temerè, atque iniuriosè à nobis post summum Pontificem, Regem nominatum esse contendis? Certè nostræ memoriæ historias legisse non videris. Nam, ne vetera consecter, qui fuerint magni illius Galliarum Regis Francisci primi cum Leone X. & Clemente VII. Rom. Pont. congressus, nemo in rebus Patrum nostrorum memoria gestis versatus ignorat: Quanta verò vtrumque Pont. idem Rex coluit obseruantia, nō modo Doctorum virorum monumēta, sed multi etiam qui affuerunt, si veritatis cognoscendæ, studio teneris, te docere poterunt. Quid de Serrano tuo dices, qui Angliæ Reginam, omnium principum Christianorum primam ausus est affirmare? Ecquis hoc Francus feret? Epistolæ * Scriptorem obiurgas, quòd verba illa, *Franciscum dico Turnonium*, scripserit, cùm Professorum omnium nomine, Epistolam fuisse editam constet: Ego, si iusta est hæc tua reprehensio, frequenter in hac mea Scriptione erraui, cùm sæpius numerum mutârim: ac nonnunquam, quasi mihi soli tecum esset negotium, tibi responderim, plerunque: quasi multi te refutassent, inanem loquacitatem compresserim tuam. Disce quæso antè Latinè loqui, quàm alios docere suscipias: Hunc è quamplurimis aliis, quos passim notauimus, purum putum in tua modesta responsione Solœcismum, neque Priscianus, neque alius vel minutus Grammaticus tolerabit. Agnosce, si placet, tuam elegantem, & Caluini Ministro dignam orationē: *Quā veritatē altercando amitti & vetus docuerit prouerbium, & funestissima post annos complures in hoc Regno experientia demonstrauerit, quantò rectius & vtilius futurum esset, de Veritate ex veritate disputare, eo videlicet quem veritatem maximè deceat modo.*

Caluinista ægrè fert Pontificem Prælatum fuisse Regi.

Serranus postremis verbis epistolæ ad Reginā Angliæ ia l latonem.

** Pag. 94.*

Pag. 96. & 97. Ministri solœcismus è compluribus aliis. *Vide pag. 5. 15. 92. 97. & 183. & c.*

modo. Conſtrue, deſtrue, omnia tenta, *quem veritatem maximè decet modo*, orationem eſſe ineptam & Grammaticorum præceptis planè repugnantem, negare non poteris. Vt nihil de tuo *poſt complures annos* dicam.

MINISTER. pag. 96.

Ad Academias omnes in Regni huius latifundio variè diſtributas, Pariſinam comprimis noſtrûm omnium veluti matrem pertinet videre, Nequid detrimenti Eccleſia & Patria à vobis patiatur.

CATHOLICVS.

De Caluiniana doctrina grauiſsimum extat Pariſienſis Academiæ Decretum, quam ſi omnium veſtrûm Matrem agnoſcitis, cur ſanctiſſimis ipſius monitis obtemperare recuſatis? Cur in optimam parentem veſtram perpetuò inſultatis? Lege peſtiferum, quod ſcripſit Caluinus, præceptor tuus, Antidotum, in quo Pariſienſes Theologos probris, quibus poteſt, omnibus, maledictiſque vexat. Ac ſi germanus haberi velis Caluinianus, in Pariſiẽſi *Latifundio* nullum in quo, vel pedem ponas, locum inuenies. Atque ſi Vniuerſitatis tãtę, de rebus cùm Theologicis, tum Philoſophicis (in quibus à nobis diſſentis) ſententiæ ſtandum exiſtimas, diem certum, tempúſque conſtitue, & nos, vt in ampliſsimo Doctiſsimorum, quibus floret nobiliſſima illa Academia, virorum conſeſſu, Caluini commenta Chriſtianæ religioni aduerſari, doctrinam verò, quam noſtris ſumus complexi Aſſertionibus, certiſsimis ipſius veritatis principiis inniti, multis, & grauibus argumentis probemus, Lutetiam aduolaturos pollicemur.

Caluinus rebellis filius in Academiã matrem inuehitur.

MINISTER. pag. 97.

Etiam veni Domine IESV.

CATHOLICVS.

Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta: ab homine iniquo, & doloſo erue me. Pſal. 42.1.

MINISTRI ANONYMI INIQVA EXPOSTVLATIO, EIVSQVE nouę contra veritatem rationes, futiles esse paucis verbis demonstrantur.

CAPVT XL.

EA est mentis humanæ imbecillitas, vt cùm semel à recta religionis via declinare cœperit, nullum faciat errandi finē: nihilque sit tam absurdū, quod pro veritate non colat, & amplectatur: vt mirari nemo debeat, si, qui nostra, Patrúmque nostrorum memoria, in rebus, suo iudicio exiguis, turpiter hallucinati sunt, prima fidei nostræ principia debellare tandem non erubuerint. Nullus siquidem tam paruus est error, cui si non quamprimùm occurratur, temporis progressu non crescat in immensum, pestiferó sque, magno mortalium damno, fructus producat. Quòd ergo tu Caluini Minister, omni abiecto pudore, perniciosos errores mordicus teneas, noménque nostrum contumeliis lacerare non cesses, nobis (qui Sectæ vestræ mores planè cognoscimus) nouum non videtur. Euolueram illud tuum aliquot paginarum volumen, ac tibi, ne de tuis nugis insolenter, vt facis, gloriari posses, copiosè respondere cœperam, cùm ecce nobis affertur illius libri Summa, & ἀνακεφαλαίωσις, vbi si quid noui fuerit, paucis iam (propitio Iesu Christo) à me dissoluetur. Non est igitur quòd asseras te nouam accepisse à nobis *Scytalem:* Apertam enim, & claram fidei Christianæ doctrinam, nullis verborum inuolucris proposuimus: Nisi dicas te tuæ ignorātiæ conscium, tristitia non mediocriter affectum fuisse, cùm primùm ad te allatæ sunt Theses nostræ: quod ego facilè mihi persuadeo, téque sic à nobis accepisse ἀχνυμένην σκυτάλην non inficior. Ast quid te mouit Minister, vt quasi de nobis triumphans, prouerbium *Cramben bis coctam*, à nobis semel vsurpatum toties repeteres? Nonne in re simili, imò eadem penitus, illud idem tu ipse vsurpasti? *pag. 80. Responsionis, versu 11.* Quem ad locum nos, dedita opera, allusisse tibi debebas persuadere. Accedit quòd tuī vnius causa repetitionem earundē Theologicarum propositionū, quasi δὶς κράμβην vocauerimus, quas certò scimus tibi, tuique similibus verè esse θάνατον, & τὴν παράδοξον ὑμετέρων ὡς ἀληθῶς σταυρόν: Sed Catholici eas sanè δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ semper iudicant cùm vestris nugis nos inuictam veritatē veluti murū æneum τριχθά τε καὶ τετραχθὰ vident opponere. Quòd autem nihil noui in Thesibus nostris fuisse scribis: qui veterem fidem colimus, Religionis nouitatem repudiamus. Idem prorsus hoc, quod superiore anno inculcauimus, vt abiecta omni larua te in apertum campum pertraheremus, vbi quid posses, ab omnibus facilè cognosceretur. At falsi sumus: Quinque enim diebus (quibus in Theologia,

Pag. 2. Minister dolet cū Theses accipit.

Cur Turnonij vsi sunt adagio, *Crambe bis cocta.*

Cur easdem assertiones iterum proposuerint.

Theologia,& Philoſophia diſputatum eſt) ſedes tibi parata, vacua, & inanis remanſit. Initio illius primi libri tui, certiſsimam nobis tui ad Academiam noſtram aduẽtus, expectationẽ commoueras, poſteà te fidem fallere non puduit. Venit quidem ad nos Valentia,& Diſputationibus noſtris interfuit Camillus neſcio quis Patauinus, in grege veſtro non vltimus, nullis tamen precibus adduci potuit, vt vel vnum verbum pro cauſa veſtra miſerè deſerta, ſiue publicè, ſiue priuatim faceret. Expectabat fortè Ioannis Serrani aduentum: qui ſibi diffidens, verboſas ad Clariſsimum Dominum Turnonium eiuſdem prorſus, cum tua Expoſtulatione, argumenti, dedit litteras: quæ Nemauſi 8. Cal. Oct. ſcriptæ, Cal. Tutnonum perlatæ ſunt. Atque ne in Michaëlitiis Diſputationibus veſtra intoleranda vanitas, ab Academiæ Doctoribus irridenda, frequentiſsimo hominum doctiſsimorum conſeſſui proponeretur, haud dubiè de induſtria factum eſt, vt tardius in manus noſtras iocularis ille veſtrarum Eccleſiarum libellus perueniret. Quod autem ſcripſit Serranus, à vobis libellum veſtrum quatridui ſpatio fuiſſe compoſitum, non miramur, cùm nihil doctrinæ penitus, ſed inanem tantùm alterius repetitionem contineat. Certè ſi Tutnoni Typographum, vel ſicut vos, Ærarium habuiſſemus, iampridem tuis nugis fuiſſet reſponſum. Quod præterea ſubiungis nos Auditoribus noſtris, ne *Reſponſionem* veſtram legerent interdixiſſe, mera eſt calumnia, cùm nos vnicum (idque opera Ioannis Primaſij Turnonij I. C. prudentiſsimi) exemplar hactenus habere potuerimus. Imò Gilbertus Caronæus Anonenſis, Medicus nobiliſsimus (qui vnà cum duobus fratribus ſuis Ludouico grauiſsimo Theologo, & Claudio Medico ſingulari, non modò hominum corporibus, ſed animis etiã medetur, dum Catholicam religionem aduerſus Caluinianos Miniſtros tuetur) Academiæ noſtræ Rectori dixit ſe à Serrano tantùm, non aliundè, nec prece, nec pretio librum illum tuum habere vnquam potuiſſe. Cæterum nemo noſtrûm eſt, Miniſter, qui contra Caluini errores *inoletũ* (vt tu nugaris) *tueatur mendaciũ, ſed* περὶ ἀληθείας, ἐξ ἀληθείας μεταχειρίζομεθα. Neq; vllum extat *proſtituti pudoris noſtri monumentum*, vt tu pro tua Caluiniana modeſtia loqueris. Nõ legiſti in Academiæ noſtrę Epiſtola *Solam propoſitionum noſtrarum elegantiam vobis minus probari.* Da operã Grammatico, qui te Latinæ linguæ nitorem doceat, vt quæ à viris eloquentibus ſcripta ſunt, poſsis intelligere. Quæris deinde, *num noſtri Gymnaſij anguſtias omnium Academiarum Lateſundiis anteponamus?* Vis tibi paucis reſpondeam? Chriſtianas omnes Academias magni facimus, earúmque nulli noſtram præferimus: Caluinianas verò Scholas, parui ſanè pendere ſolemus. *A nobis ad omnium Academiarum iudicia, vos prouocare ſcribis.* Quam tuam prouocationem lubenter admittimus, ac Pariſienſis Academiæ (in qua multi noſtrûm, qui nunc Turnoni docent, magno Audito-

Fraus Miniſtrorum.

La bourſe commune des Caluiniſtes faict tout.

Pag. 4.

Miniſtri calumnia.

Pag. 5.

tum concursu, Philosophiam, & litteras humaniores professi sunt) iudicio nos parituros æquo animo pollicemur. Cæterum Serranus in Epistola ad nobilissimum Dominum Turnonium, receptum in celeberrimis Academiis disputandi morem non obscurè contemnit, scribens eum nihil esse aliud, nisi (vt verbis eius vtar) *Debatre à la Pedantesque.* Si tibi Turnonium, quod appellas, Imperium displicet, instituatur Valentiæ disputatio. Nos nullum recusabimus laborem, modò Christi Ecclesiæ prosimus. Ac de inani vestra Expostulatione plura iam dicere superuacaneum esse iudico: Nostrú enim erat de vobis conqueri, qui temerè Assertiones nostras cùm eminus exagitare tentaueritis, cominus nobiscum quasi ῥίψασπιδες recusaueritis confligere. Verùm libellis insulsè, & petulanter scriptis, ignauiæ, & timiditatis vestræ indignas viris doctis excusationes vos afferre non puduit. Atque hanc esse causam facilè mihi persuadeo, quæ te mouit Minister, vt aduersus nos ex insidiis, non palàm, & aperto marte (vt dicitur) agere volueris, nomen libellis non inscribens, sed Academiæ, quam vocas commenta tua, attribuens: Exemplo fortè Caluini, qui initio, *Alcuini* sibi sumpsit nomen, vt simplices minore negotio falleret, παιδοτρίβην suum Buccerum imitatus, qui *Aretius Felinus* vocari voluit. Ac ne rem incertam tibi affirmare videar, accipe primam Institutionum illius ἐπιγραφὴν, *Institutio Christiana religionis nunc verè demùm suo titulo respondens, Auctore Alcuino. Argentorati apud Vvendelinum Richelium, mense Augusto, anno 1539.* Atque vt Lector Alcuinum ad Carolú Magnum scripsisse crederet, Epistolam suam ad hunc modum inscripsit: *Potentissimo, illustrissimoq; Monarchæ, Magno Francorum Regi, Principi ac Domino suo Alcuinus:* Si ἀναγραμματίζεσθαι voluit, verius certè dixisset, *Lucianus.* Sic & Bucerus: *Clarissimo,* inquit, *ac Potentissimo Principi Francisco Valesio Christianissimi Galliarum Regis primogenito, & Delphino, Aretius Felinus salutem précatur.* Ita de la Roche Chandiou, In *Sadeelem* Hebraicum nomen suum mutauit. Idem fecerunt & alij complures in quos rectè conuenit præclara illa D. Ambrosij oratio, qua Auxentij, ob nominis sui mutationem, perfidiam notauit. *Auxentius* ait, *ne cognosceretur quis esset, mutauit sibi vocabulum, vt quia hic fuerat Auxentius Episcopus Arianus, ad decipiendam plebem, quam ille tenuerat, vocauit se Mercurium. Mutauit ergo vocabulum, sed perfidiam non mutauit: exuit lupum, & induit lupum.* Si reliquas Compendij tui delyrationes excutere tentarem, ridiculus haberi possem: cùm ingens illud tuum ineptiarum volumen, accuratè iam refutarim: Vbi ergo quàm leuiter sis in logicis exercitatus, quámque ineptè tuam insciciam tuearis obiter docuero, huic meo labori finem faciam.

Serranus disput scholasticas aspernatur.

Ministri. *Hastam abiiciunt. prouer. 81. chil. 1. cent. 9. prouerb 97. chil. 2. cent. 2.*

Hæretici nomina sua ementiũtur, vt incautos faciliùs decipiant.

Caluinus *Lucianus* dicitur.

Sadeel Pseudonymus.

Ambros. in orat. in Auxentiũ de non tradendis Basilicis.

MINISTER. pag. 10.

Viderint Iesuitæ Turnonij quid rerum agant, quum asserunt; verum Christi corpus in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento contineri. Affirmamus

mamus enim illud dogma esse prorsus inconueniens & incompatibile (*vt puris putisque ipsorum verbis vtamur*) *cum doctrina Transsubstantiationis &c.* Puta putáque Ministri calumnia.

CATHOLICVS.

Tu nostris verbis non vteris, cùm inquinatè & barbarè quicquid in buccam venit effutis. Vbi enim in Thesibus nostris legisti *inconueniens*, & *incompatibile*? Nos prætetea negamus has duas propositiones, *Christi Domini corpus in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento cōtinetur:* &, *Panis in verum Christi corpus transsubstantiatur,* inter se pugnare, aut (vt tu Caluini Minister loqueris) *esse inter se disparatas, atque contradictorias.* Neque apud vllum Catholicum Scriptorem inuenisti, quod tu malitiosè nobis affingis, *Panem in Christi sanguinem transsubstantiari*: Panem enim in Christi corpus, & vinum in eiusdem sanguinem, verborum virtute, transsubstantiari profitemur. Pag. 13.

MINISTER. pag. 10.

Primus Syllogismus. Qui Transsubstantiationis doctrinam euertit, is Romanæ Ecclesiæ autoritatem euertit: Atqui, Iesuitæ Turnonij, nouo illo suo dogmate quo statuunt verum corpus Christi in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento contineri, penitus euertunt doctrinam Transsubstantiationis. Ergo & Romanæ Ecclesiæ autoritatem pessumdant.

CATHOLICVS.

Transsubstantiationis doctrina à Christo Domino, cùm tradita sit, nulla potest impietatis machina euerti. Perspicua siquidem est illa Christi Domini oratio, *Hoc est corpus meum*, quam omnes Hæretici omnium suarum opinionum monstris, & portentis, nunquam obscurare poterunt. Et quamuis Lutherus auus tuus, Catholicam de Transsubstantiatione doctrinam probare noluerit, ac lubenter præsentiam corporis Christi, in venerando Eucharistiæ Sacramento negasset, tamen verborum Domini perspicuitate conuictus, scripsit, *Hoc diffiteri non possum, nec volo, quod si Carolstadius, aut alius quispiam ante quinquennium mihi persuadere potuisset in Sacramēto præter panem, & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi deuinctū reddidisset. Grauibus enim curis anxius, in hac excutienda materia multùm desudabam, omnibus neruis extensis me extricare, & expedire conatus sum, cùm probè perspiciebam, hac re Papatui cùm primis me valdè incommodare posse. Verùm ego me captum video, nulla elabendi via relicta. Textus enim Euangelij nimis apertus est, & potens, qui facilè conuelli non potest, multò minus verbis, aut glossis è capite vertiginoso confictis subuerti.* Doctrinam verò quam Ecclesia Romana de panis, & vini Transsubstantiatione tradit, amplectimur: & tantùm abest vt euertamus, vt eam contra tuas calumnias tueri, ac defendere ad extremum vitæ spiritum nunquam desistemus.

Matt. 26. 26.

Lutherus in epist. ad Argentinenses.

Cōfectationis verba clara fuat Lutheri iudicio.

MINI

MINISTER. pag. 10.

Secundus Syllogismus, quo probatur assumptio. 2. Genuina Transsubstantiationis doctrina est, panem & vinum Eucharistia Transsubstantiari, id est, in verum Christi corpus, & sanguinem realiter, sensualiter, & essentialiter conuerti, vt non amplius ibi sit substantia panis, & vini, sed noua substantia corporis Christi, quod in veritate manibus Sacerdotum tractetur, frangatur, fidelium dentibus atteratur, & in ventrem demittatur, &c. ac proinde panem Sacramenti, & verum Christi corpus idem planè esse vniuocè, & identicè. Atqui dicere verum Christi corpus in sancta Eucharistia Sacramento contineri, huiusmodi doctrina ex diametro & contradictoriè repugnat. Illam igitur euertit: quum dua contradictoria non possint esse simul vera.

CATHOLICVS.

In tuo secundo (quem vocas) Syllogismo, non potuisti Minister, sine calumniis tuam *instantiam* probare. Transsubstantiationis ergo nomine, Christi Ecclesia intelligit, *conuersionem totius substantia panis, in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantia vini, in substantiam sanguinis eius.* Relege si vis. Berengarij παλινῳδίαν, quam in tua *Responsione* attulisti, atque verum fideliter eam descripseris, tecum ipse cogita. Explica nobis interim quid sit *essentialiter conuerti:* Quam item dicas *nouam substantiam corporis Christi.* Nō est enim noua, sed ea ipsa, quam ex B. Virgine iam olim accepit. Quomodo denique intelligas, *panem Sacramenti, & verum Christi corpus idem planè esse vniuocè, & identicè?* Cùm ex nostra sententia, ibi non amplius esse substātiam panis verè dixeris. Qui porrò asserit, verum Christi corpus in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri, contra veram Ecclesiæ Catholicæ de Transsubstantiatione doctrinam non facit.

Concil. Trident. sess. 13. c. 4.

Pag. 64.

MINISTER. pag. 10.

Tertius Syllogismus. Maior per se probata est: sic probatur Minor. 3. Relatorū ea natura est, vt id quod sunt aliorū esse, aut ad aliud quoquomodo dicātur: atque adeò in mutua affectione tota insint, distinctis nimirū illis terminis A quo, & Ad quem circunscripta: vt vnū idémque esse non possint. &c. Atqui continere & contineri, sunt relata, ergo vnum idémque eadem ratione esse nullo modo possunt.

CATHOLICVS.

Assumptio, quam probare debueras, erat: *Verum Christi corpus in sancto Eucharistia Sacramento contineri, repugnat doctrina Transsubstantiationis:* Tu verò, tuo 3. syllogismo concludis: *Continere, & contineri, vnum idémque eadem ratione esse nullo modo posse.* Cogor te sæpius monere, vt Dialecticæ studeas. Quæcunque sine ordine de continere, & contineri effundis, accuratè suprà discussimus. De reliquo, Panis non est Christi corpus, sed in Christi corpus mutatur: Quare neque identicè, neque vniuocè (vt tu somnias) de corpore Christi.

Pag. 281.

Christi prædicatur. Lege, quæ hac de re disputauimus, & tuis ineptiis modum aliquem fortasse constitues.

Venio ad nouam tuam Responsionem, qua *Exceptionem* (vt tu loqueris) nostram euertere conaris. Quod igitur ibi scripsisti, *totum Christum in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento verè adesse, & a fidelibus totum, non portionem panis, sed totum & integrum verè percipi*, orthodoxam de Transsubstantiatione doctrinã cõfirmare, octaua nostra Thesi anni 1583. asseueramus. Quam quidem subiiciam, vt Lector certiùs de tua Responsione iudicium ferre possit: *Si vt profitetur, qui Academiæ Nemausensis nomine, cum Thesibus nostris bellum suscepit, totus Christus in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento verè adest, & à fidelibus non portio panis, sed totus, & integer Christus verè percipitur, nullam planè reperire possumus causam, cur à Transsubstantiationis voce aduersarij nostri abhorreant, qui rem ipsam Transsubstantiationis vocabulo comprehensam, publico Scripto se confiteri, apud omnes testatum esse voluerunt.* Huic exceptioni, Caluinico more, respondes: Primùm nobis exprobras, *quòd prætermisso Dei Verbo, & Catholicæ Ecclesiæ doctrina (sicuti in orthodoxorum Patrum monumentis explicatur) longum valere iussa, toti in Scholasticorum disputationibus hæreamus.* Deinde eadem, quæ in tua magna Responsione frequenter repetiisti, denuò inculcas. Nos Dei verbum non prætermisimus, vt tu nugaris, sed illud quotidie, ex Ecclesiæ Catholicæ sententia Auditoribus nostris, pro virili parte, explicamus. Cúmque illi, inanes prorsus esse Caluinianorum captiones, sed à quouis sine Præceptoris opera discuti non posse, existimarent, superiore anno Theologiam Scholasticam ita docuimus, vt disputationum subtilitatibus Caluinianæ fraudes fuerint ab omnibus deprehensæ, qui non exiguos in vtroque studij genere progressus fecerunt. Vos autem Nemausenses, quam Theologiam vestris exponatis, hactenus intelligere non potui. Apud nos (vt tu asseris.) *Is qui cadit à syllaba cadit à toto*, quare ne quis tibi fortè Caluinicũ panem eripiat, ais vos, *non portionem panis, sed panem in sua Cœna sumere.* Quot fortassis in Cœnis vestris sunt conuiuæ, tot sunt & panes. Beza inter alios Cœnæ vestræ ritus, panis fractionem numerat, & qui vestris Cœnis interfuerunt, portionem panis populo dari constanter affirmant. An portio panis, possit panis appellari, Nemausensibus philosophis (si qui sint) disputandum relinquo. Item, si *totus, & integer Christus (vt tu fateris) id est, verus Deus, & verus homo adest in Sacramento.* necessariò concedes, aut corpus Christi Domini esse in Sacramento, aut verum hominem corpore carere, quod est absurdum.

Vt verò librũ tuum augeres, ex nescio cuius Ραψῳδίαις locis communibus, quæ ad susceptam à te de Eucharistiæ Sacramento disputationem nihil omnino pertinent, describere tibi visum est. Vtquè

Pag. 11.

Pag. 16.

Beza in lib. quæst. & resp. de Sacram. q. 173.

Pag. 14. Minister Scholasticorum sententias describit, quæ ad rem nihil faciunt.

singularis eruditionis specimen nobis dares tuæ, quæ Petrus Lomb. & D.Thom. summo ordine scripserunt, tu sic perturbasti, vt qui in ipsorum scriptis exercitatus non fuerit, non sine labore, quæ tu miserè confudisti, discernat. Et ne calumniari me iurè possis, quòd illorum verba ex tuo libro non descripserim, Locos omnes indicabo ex quibus fortè, illa *conferruminata sunt* (vt sic tecũ loquar) quò Christianus Lector nõ ex tuis senticetis, sed ex grauissimorũ virorũ fontibus, quæ ad sacram Theologiam explicandam conducunt, hauriat. Loci ergo sunt, Lombard. 3. sentent. dist. 1. 5. 6. 7. Thom. 3. part. q. 2. artic. 2. q. 17. artic. 1. & 2. q. 57. artic. 1. 2. 3. Habes Minister, breuem tuarum calumniarum confutationem: quam vt patienter legas, ac veritatis statera examines, vehementer cupio: Deúmque præpotentem boni omnis auctorem, & parentem rogare non desinam, vt te, qui nunc in Caluini castris contra Christi Ecclesiam militas, diuino suo splendore illustret, quò Romanam fidem oraculis cœlestibus comprobatã, & summa Gentium omnium consensione confirmatam (quam per summum scelus, Lutherus & Caluinus Magistri tui abiecerunt) contra hominum improbitatem, nobiscum tueri, ac defendere valeas. Si quid prætereà in postremum mihi obiicere volueris, quæso, vt nomen ascribas tuum, quò facilius quicum mihi sit negotium intelligam: Deinde, vt diligentius & meliore side Auctorum Locos notes, si tibi à me rursum responderi velis.

MINISTER.

Etiam veni, Domine IESV.

CATHOLICVS.

Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Psal. 113.

INDEX

INDEX TVM RERVM TVM VERBORVM QVÆ IN HIS LIBRIS CONTINENTVR.

MINISTRI IN REBVS PHILOSOPHICIS ET LITTERIS HVMANIORIBVS IGNORATIO breuiter proditur.

CAPVT. XXXIX.

QVVM toto tuo Libello Minister, tū hac postrema illius parte id probasti verum esse, quod elegantissimè historiæ pater Herodotus prodidit, ἅμα δὲ χιτῶνι ἐκδυομένῳ ἐκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. Postquam enim primam fidem à te Christo datam, ausus es violare, & tunicā illā mysticam, qua indutus eras, exuere: certè omnia pudoris, & modestiæ repagula ita perfregisti, vt quasi mulieri veste deposita, nihil tibi pensi verecundiæ, & honestatis ratio esse videatur. Mirabar equidem te in aliis tui Scripti partibus, modestiæ excessisse terminos, sed cùm veniret in mentem nos, vt ait ille,

Herod in Clio.

— οὐχ ἱερήιον, οὐδὲ βοείην
Ἄρνυσθ᾽, ἅ τε ποσσὶν ἀέθλια γίγνεται ἀνδρῶν
ἀλλὰ περὶ ψυχῶν πολεμίζειν ἡμετεράων.

Home. Ili. χ.

Indulgendum tibi aliquantulum esse credebam, si rei magnitudine commotus, te transuersum rapi permitteres: Nunc verò in hac (vt tu ipse loqueris) Velitatione, quæ de iis solùm rebus est, quæ vel ad Humaniores literas, vel ad Philosophiam pertinent, ita in nos inueheris, vt (quasi pro aris, & focis contenderes) conuitiorum, & calumniarum multitudine quodammodo nos obruere velle videaris. Sed vis quod res est, dicam Minister, ἀμαθία τὸ θράσος, ὁ λογισμὸς δ᾽ ὄκνον φέρει, vt verbis Thucydidis vtar. Si enim tibi perspecta esset intima illa nostra philosophandi ratio, qua non Platonis nescio quæ melimela, sed Aristotelis grauissima spatia à Themistio, Philopono, Ammonio, Alexandro, Boëtio, D. Thoma, & aliis Græcis, Arabibus, & Latinis doctissimis interpretibus explanata consectamur: Tu sanè haud tanta audacia nostra Philosophica damnares, & tardius lentiusque aduersus nos insurgeres. Sed qua fronte, obsecro, audes dicere nostrorū Corypheorū Scripta in musæis adhuc latere? In quo si quidem Disciplinarum genere (quæ non sunt à nostra viuendi ratione alienæ) non extant nostrorum hominum commentaria? Atque, vt Theologica taceam, quis est alicuius eruditionis in Europa, qui ignoret Franciscum Toletum, Benedictum Pererium, meos quondam in Theologia Doctores, Aristotelis Dialecticam, & Physicam: Petrum Fonsecam, ea quæ Physica sequuntur: & Christophorum Clauium Euclidis elementa, & Sphæram Ioannis de Sacrobosco, Arithmeticam, & γνωμονικὴν suis ita explanasse lucubrationibus, vt Philosophiæ Professores ab euoluendis aliorum expositionibus magna ex parte

Thucyd.

Aristot. Philosophiam docent Turnonij Professores.

Toletus & alij eiusdem Societ. multa iam ediderunt.

parte liberati sint. Cæterùm dum nos λογομαχόρους esse iactitas, facis tu quidem tuo more, id est, διαβόλως, & malitiosè: Nullum enim quæstum ex docendi labore facimus: ψυχέμποροι autem (vt verum fatear) sumus: cùm omnium hominum, animas Christo quibuscumque modis possumus, etiam δόλῳ πανοῦργοι (vt Apostolus Corinthios) lucrari, quocunque vitæ nostræ periculo desideremus. Atque vtinam teipsum, vel sanguine meo, possem mercari: profectò lubens totum illum, vel tui vnius causa, & vt te Ecclesiæ Catholicæ reconciliarem, effunderem. Denique (vt [a] superius obseruauimus) planè te ἄμουσον ostendisti, vnde cur illud addas nescio: 1. Corinth. 12. 16. a Pag. 251.

[b] *Non nobis licet esse tam disertis*

Qui Musas colimus seueriores.

b Martialis lib. 9 epig. 8. suauius dixit, *Nobis nō licet &c.*

Nisi fortè tui Bezæ Musas intelligas: Sed quàm seueræ illæ sint [c] paulò antè à nobis demonstratum est. Possem equidem singulis huius libri tui versiculis respondere, at quoniam (vt Poëta canit) c Pag. 268. & 269.

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος

Φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.

Hesiod. in ἔργ.

Librum hunc meum (qui posset hac ratione in immensum crescere) desidero hac mediocritate sua terminare. Tuarum igitur solummodo *summa sequar fastigia rerum*, vt cum Poëta loquar. Quomodo autem tu, qui in libri tui inscriptione Theologicas, Philosophicásque Theses nostras te examinaturum proposueras, vbi ad rem ventum est, *tui neque instituti esse, neque loci, & temporis eas sigillatim discutere profitearis*: Non vereris ne æqui Iudices (quos, *secundum alleguata & probata*, sententiā laturos minabaris) te damnent ex l. si cui. D. de accus. & inscript. & l. qui crim. C. de his qui accus. non poss. quòd subscriptionem non dederis, & crimen vsque ad Iudicis sententiam nō persequaris. Vis tibi præclaram accusationis tuæ inscriptionem repetam, vt quàm rectè à te fuerit facta subscriptio omnes intelligant? *Academia Nemausensis breuis & modesta responsio ad Professorū Turnoniorum Societatis, vt aiunt, Iesu, Assertiones, quas Theologicas & Philosophicas appellant.* Audisne te sic incipere,

Virgil. 1. Aeneid. Pag. 91. Minister nō stat promissis. Pag. 90

Vt Scriptor Cyclicus olim

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum?

Horat. in arte poët.

Et modò tuo egregio principio respondere, quòd subiungitur:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Non ergo est propositi tui sigillatim Theses Philosophicas examinare: magnus scilicet, Theologus Philosophiam tangere dedignatis. Sed vbi est ἐγκυκλοπαιδεία, quam si quis priuatus absoluere & explere nequit, Academiam tamen vnam, cuius nomine librum tuum euulgasti, eam alienam ab instituto suo iudicare quis feret? Præclarè certè mereris de noua tua Academia, quam vel in Grammaticorum pistrinum redigis, vel in Rhetorum officinas amandas, Philosophiámque Academiarum moderatricem ab ea exulare compellis.

rectè componendarum rationem vertis? Nam *interrogationum copiam* debueras dicere: Vis enim ſcire, quid ſit πρότασις apud Ariſtotelem? Audi αὐτότατα ipſius verba: ἔστι δὲ πρότασις διαλεκτικὴ ἐρώτησις ἔνδοξος ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σόφοις, καὶ τούτοις ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις μὴ παράδοξος. Prætereà εὐπορία ratio, verti non poteſt, cùm Logicæ opus non ſit ratio & intelligentia (de vtenre, vt ſic loquar, ago) ſed externum aliquod exercitium. Quod certè Ariſtoteles videtur declaraſſe, dum ſcribit: ἔστι δὲ πρὸς τρία χρήσιμος ἡ πραγματεία, πρὸς γυμνασίαν, πρὸς τὰς ἐντεύξεις, πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας &c. Vide quàm latus mihi pateret campus, ſi vellem tua ἀκριβέστερον expendere, & ad viuum reſecare: Vt omittam, quàm egregiè tecum ipſe conſentias, vt cùm dicis, *Theſes noſtras in paucißimis verbis loquaci prolixitate eſſe cumulatas, vt patientißimas aures offendant.* Nouam hanc à te excogitatam artem nos, quæſo, edoce, qua ex paucißimis verbis, longas poſsimus cõponere orationes. Certè ſi paucißima ſunt verba, ſeſquipedalia, vel monſtroſiſsima eſſe debebunt, vt prolixam loquacitatem efficiant.

Lib. 1. Top. cap. 8.

Libr. 1. Top. cap. 2.

Pag. 91. Miniſter ſecum pugnat.

Peccatum tu quidem à nobis, & quidem grauiter aſſeris, ſed ποῦ, καὶ πότε non declaras. Vide, quæſo. D. de accuſatio. l. libellorum. qualem eſſe oporteat Inſcriptionum formulam: & quomodo locũ & tempus debeat comprehendere. Concipe igitur accuſationis noſtrę formulam, ſicut Iuriſcõſultus faciendum præcipit, tuęque poſtea criminationi nos ſatisfacere conabimur. Diſputationem inſtitue, & ad ſingula non grauatè reſpondebimus: ſimúlque probato argumentis, ex Philoſophia petitis, nos Platonis, & Ariſtotelis doctrinã infeliciter tractaſſe: alioqui impudentem calumniatorem te omnes eſſe iudicabunt. Sic tu quidem Theſes noſtras Dialęcticas lancinaſti: Phyſicis autem, & aliarum ſcientiarum Aſſertionibus, tanquã ſacro abſtinuiſti. Quod ſanè, prudenter fortaſſè, non tamẽ fortiter abs te factum eſt: Cùm enim, vt ſcribit Laërtius, Animali Stoici Philoſophiam similẽ eſſe dicerent, ὀστέοις μὲν καὶ νεύροις τὸ λογικὸν προσομοιοῦντες, τοῖς δὲ σαρκωδεστέροις τὸ ἠθικὸν, τῇ δὲ ψυχῇ φυσικόν: Pulchri iſtius Animalis oſſa tantùm rodere, non carnes deguſtare, vel animum contemplari, voluiſti, Æſopicæ vulpeculæ ſimilis, quæ vuas pulcherrimas in vinea contẽplata, eas mandendi deſiderio flagrans, cùm ſepem ſuperare non poſſet, μὴ κάμνε, inquit, ὄμφακες εἰσὶ μάλα: Sic tu, qui, vt puto, non ignoras Stoicos Philoſophiam τῷ ἀγρῷ παμφόρῳ προσομοιωθῆναι, καὶ τὸ μὲν περιβεβλημένον φράγμα τὸ λογικὸν, τὸ δὲ καρπὸν, τὸ ἠθικὸν, τὴν δὲ γῆν ἢ τὰ δένδρα τὸ φυσικόν: cùm ſepem illam noſtram Logices à te aliquantulùm tentatam, aſcenſu difficilem eſſe deprælendiſſes, & te non poſſe facilè vel fructus, vel arbores noſtras depopulari eas ἀφιλοσοφώτερον à nobis tractatas valdè ἀφιλοσόφως, tu φιλόσοφε eſſe dixiſti.

Inſcriptionum qualis formula.

Laert. li. 6. in vita Zenonis.

Aeſopi fab.

Laer. vbi ſup.

Quæ deinde de Scholis noſtris adiicis, mera ſunt conuitia, quibus non

Pag. 91. & 92.

Valer.lib.3.c.7.Plinius de viris Illustr. & Ascon.Pædian.

bus non aliter respondebo, quàm M. Æmilius Scaurus à Vario Sucronensi accusatus, respondit: Nempe, Minister Anonymus Iesuitas accusat, quòd Iuuentutem fidei suæ commissam, malè doceant: Iesuitæ huic se culpæ negant affines esse, cùm præsertim Dei benignitate, ex eorum Collegiis exeant permulti, qui egregium eruditionis, & probitatis specimen, vbique terrarum dent suæ. Quid potius credendum est?

Pag.92.

Ad Præfationem venio, quam tu, more tuo, exagitas, id est, nulla certa ratione, verùm inani profluentia loquendi, vt in humaniore literatura te Magistrū esse inerudito Lectori persuadere possis. Tibi ergo nihil arridet, quod ex Ciceronis, Cæsaris, aut Terentij arculis non sit depromptum, cùm tamen plurima in singulis libelli tui pagellis reperiantur, quæ apud nullum Classicum, aut probatum Latinæ linguæ Auctorem inuenies, ex quibus aliqua per transennam obseruauimus, ne tibi calumniam immeritò imposuisse videremur.

MINISTER. pag. 93.

Placent vobis ἀρχαισμὸν vt illustrem Heroinam Claudiam Tureniam, vocetis Ornatissimam: illustrem verò Heröem, Comitem Rossilonæum, Clarissimum appelletis. Vsus tamen est benè loquendi arbiter. Ciuem certè vel mediocri fortuna, Ornatissimum, Clarissimúmque vocaremus, vt vernaculo sermone, Honorable, ou Honeste personne, Primariæ nobilitatis familiæ, quales Tureniam, & Turnoniam vniuersa nouit Gallia, Illustris appellationem merentur. Quidnam autem Clarissimus: & Clarissimatus Romanis olim esset, non ignoramus. Sed contra loquendi consuetudinem nunc vos ita loqui affirmamus. Vos igitur de more vestro, homines scilicet τὸ ἰδιωτικῶς, iuuentutem Ciuilis decori, honesta & necessaria cognitione imbuetis. id est, docebitis opportunè quod nescitis?

CATHOLICVS.

Quid ais Minister? Ciceronem imitari tibi est ἀρχαϊσμὸς? Ille pro Sextio, Brutos, Camillos, Halas, Decios, Maximos, Scipiones, &c. Primariæ nobilitatis ciues, Clarissimos appellat: sicut & Regē Deiotarum clarissimorum Imperatorum testimoniis ornatum dicit, in orat. de Arusp. Respon. vt plurimos locos omittam, vbi Illustres quosque vocat Clarissimos & Ornatissimos. Sed esto Clarissimus, & Ornatissimus, vel mediocris fortunæ Ciuis nominetur. Nō propterea tamen Illustri viro fiet iniuria, si quando iisdem vocetur nominibus. Quæro enim ex te, an Maiestatem Regiam minuat is, qui Regem *Sire*, appellat, cùm Parisiensis, imò & Turnonæi ciuis, vel tenuis fortunæ, sic passim vocitetur. An qui Christianissimi Regis Fratrem *Monsieur* vocat, regio sanguini iniuriam faciat, cùm plebeios homines, sic vulgò vocitari ignoret nemo? *Madame* etiam infimam appellamus fœminam, quamuis eandem prorsus vocē, dum Reginam alloquimur, vsurpemus. Deinde si qua in re, à nobis peccatum.

In orat. pro Sextio.

Ignorantia Ministri ex iis, quæ sequuntur, patet.

catum est, cùm Dominum Turnonium Clarissimum Comitem vocaremus, certè Ioannes Serranus errauit, vtpote, qui 3. de Repub. lib. pag. 390. Vlyssem, aliósque præstantissimos ἥρωας, *Clarissimos viros* nuncupat, quos Plato, optimus dicendi magister, ἐλλογίμους ἄνδρας, hoc est, viros eximios, dicit. Vsum benè loquendi arbitrum, in tralatione sua, non ἀρχαΐζων sequi, meo iudicio, debuit: Adde quòd multò melius per *Illustres*, aut per *Egregios*, quàm per *Clarissimos*, dictionem Græcam ἐλλογίμους, expressisset. Errauit multò grauius & ἀρχιλαονερίτης vester Caluinus, *Clarissimi*, titulum Christianissimo Regi Francisco primo, sic attribuens: *Quũ huic operi manum primùm admouerem, nihil minus cogitabam, Rex clarissime &c.* Quod ita Gallicè ipsemet reddidit: *Au cõmencement que ie m'appliquay à escrire ce present liure, ie ne pensoye rien moins, Sire &c.* Dum nos igitur cœco furore exagitas, in Serrani, & Caluini nomen, existimationémque imprudens offendisti. At *contra loquendi consuetudinem nos loqui affirmas.* Si eloquentissimorum nostræ memoriæ virorum Scripta legisses, longè aliter sentires. Paulus Manutius de Lingua latina, omnium Doctorum calculo, quàm optimè meritus, communem loquendi consuetudinem non ignorauit, & tamen Illustrissimum Massæ, & Carrariæ Principem, *Clarissimum* appellat. *Vides* (inquit) *à quibus viris originem ducas, Alberice Clarissime.* Idem Guilielmum Bellaium Langæum apud subalpinas Gentes Proregem, *ornatissimum* sic vocat: *Magni refert Bellaï ornatissime.* Expectas fortassis hominis Galli contra te testimonium. Antonius Muretus præstantissimus Orator, in amplissimo orbis terrarum consessu, Iustum Turnonium Iusti Ludouici fratrem, Christianissimi Galliarum Regis Caroli IX. ad Pium V. Legatum, *Clarissimum* dicere non dubitauit, cuius hæc sunt verba, *Legauit Carolus Rex, clarissimum & nobilissimum virum Iustum Turnonium Comitem Russilionis &c.* Huic adiungo Dionysium Lambinum Græcarum literarum Lutetiæ Regium Professorem Doctissimum, qui ἐν ἐπιγραφῇ Epistolæ, quam Commentariis in Horatium præposuit, Cardinalem Turnonium Mecenatem suum, *sapientissimum & clarissimum* appellat. Sicut & in Epistola, Ethicorum Aristotelis interpretationi præfixa. *Duæ res* (ait) *esse dicuntur Clarissime, atque ornatissime Cardinalis &c.* His igitur eloquentissimis viris vitio verte, si audes, quòd *contra loquendi consuetudinem* ἀπολιτικώτατοι *locuti sint*, ne in solos Academiæ nostræ Professores contumeliosè te odio peragresti commotum inuehi Lector intelligat. Qui omnes quid olim *Clarissimus* & *Clarissimatus* Romanis esset ante te didicerunt ex D. lib. 50. tit. 16. de verbo signific. l. 100. Speciosas personas. ἐπίσημα πρόσωπα. & lib. Cod. 12. tit. 1. de dignitatib. l. 11. si Senator. l. vn. Cod. de annon. & ca. Item vt ab Illustribus in l. 1. Cod. vbi Senat. De Clarissimatus vocabulo. Alciat. cap. 4. l. 3. de Dispunct.

Ioan. Serranus errauit, Ministri iudicio.

Calu. epist. ad Regi Gallia. ἀρχιλαονερί-της Ministro creditur.

P. Manut. in epist. ad Principem Massa.

A. Muretus in oration. ad summũ Pont. pro Galli. Oratore.

Dyonis. Lambinus in epistolis in Horat. & Aristot. Ethic.

Pag. 94. Ministri in summum Pontificem odium.

Dolet tibi prætereà vehementer, quòd in Epistola Academiæ, summus Pontifex ante Christianissimum Regem nominetur. Qua in re aduersus Ecclesiam Romanam (quam Galliarum Monarchę semper suspexerunt) tuum odium capitale apud omnes testatum relinquere voluisti. Lege grauissimā illam (de qua iam dixi) Mureti orationem, ac quæ semper fuerit Christianissimorum Regum erga summos Pontifices obseruantia, facilè cognosces. Attende, quæso, dum recito extremam elegantissimæ orationis partem, si fortè viri in omni iudicio politissimi, ad manus tuas Scripta nondum peruenerunt. *Per eum* (Comitem Turnonium) *Carolus Rex, Beatissime pater, Tibi, & toti Ecclesiæ de tuo Pontificatu gratulatur: Te verum Iesu Christi Vicarium, Verum Petri successorem non dubitanter agnoscit: Tibi & huic sanctæ Sedi verè, atque ex animo, quam debet obedientiam, præstat ac defert: Et vt certò sperat se in omnibus, quæ à te præstari poterunt, à te adiutum, atque ornatum iri: ita se omnes vires suas ad Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ defensionem semper promptissimo animo collaturum, neque hac in re cuiquam mortalium concessurum pollicetur.* Rex Christianissimus per Clarissimum Rusilionis Comitem, Pontif. Max. quam debet obedientiam, præstat ac defert: Et tu Caluini patrone temerè, atque iniuriosè à nobis post summum Pontificem, Regem nominatum esse contendis? Certè nostræ memoriæ historias legisse non videris. Nam, ne verera confecter, qui fuerint magni illius Galliarum Regis Francisci primi cum Leone X. & Clemente VII. Rom. Pont. congressus, nemo in rebus Patrum nostrorum memoria gestis versatus ignorat: Quanta verò vtrumque Pont. idem Rex coluit obseruantia, nō modo Doctorum virorum monumēta, sed multi etiam qui affuerunt, si veritatis cognoscendæ, studio teneris, te docere poterunt. Quid de Serrano tuo dices, qui Angliæ Reginam, omnium principum Christianorum primam ausus est affirmare? Ecquis hoc Francus feret? Epistolæ * Scriptorem obiurgas, quòd verba illa, *Franciscum dico Turnonium*, scripserit, cùm Professorum omnium nomine, Epistolam fuisse editam constet: Ego, si iusta est hæc tua reprehensio, frequenter in hac mea Scriptione errau, cùm sæpius numerum mutârim: ac nonnunquam, quasi mihi soli tecum esset negotium, tibi responderim, plerunque: quasi multi te refutassent, inanem loquacitatem compresserim tuam. Disce quæso antè Latinè loqui, quàm alios docere suscipias: Hunc è quamplurimis aliis, quos passim notauimus, purum putum in tua modesta responsione Solœcismum, neque Priscianus, neque alius vel minutus Grammaticus tolerabit. Agnosce, si placet, tuam elegantem, & Caluini Ministro dignam orationē: *Quū veritatē altercando amitti & vetus docuerit prouerbium, & funestissima post annos complures in hoc Regno experientia demonstrauerit, quantò rectius & vtilius futurum esset, de Veritate ex veritate disputare, eo videlicet quem veritatem maximè decet modo.*

Muretus in oration. ad Pium V. Regū Francorum in summū Pontificem obseruantia.

Caluinista ægrè fert Pontificem Prælatum fuisse Regi.

Serranus postremis verbis epistolæ ad Reginā Angliæ Elatonem.

Pag. 94.

Pag. 96. & 97. Ministri solœcismus è compluribus aliis. *Vide pag. 5. 15. 92. 97. & 183. & c.*

modo. Construe, destrue, omnia tenta, *quem veritatem maximè decet modo*, orationem esse ineptam & Grammaticorum præceptis planè repugnantem, negare non poteris. Vt nihil de tuo *post complures annos* dicam.

MINISTER. pag. 96.

Ad Academias omnes in Regni huius latifundio variè distributas, Parisinam comprimis nostrûm omnium, veluti matrem pertinet videre, Nequid detrimenti Ecclesia & Patria à vobis patiatur.

CATHOLICVS.

De Caluiniana doctrina grauissimum extat Parisiensis Academię Decretum, quam si omnium vestrûm Matrem agnoscitis, cur sanctissimis ipsius monitis obtemperare recusatis? Cur in optimam parentem vestram perpetuò insultatis? Lege pestiferum, quod scripsit Caluinus, præceptor tuus, Antidotum, in quo Parisienses Theologos probris, quibus potest, omnibus, maledictisque vexat. Ac si germanus haberi velis Caluinianus, in Parisiẽsi *Latifundio* nullum in quo, vel pedem ponas, locum inuenies. Atque si Vniuersitatis ratę, de rebus cùm Theologicis, tum Philosophicis (in quibus à nobis dissentis) sententiæ standum existimas, diem certum, tempúsque constitue, & nos, vt in amplissimo Doctissimorum, quibus floret nobilissima illa Academia, virorum consessu, Caluini commenta Christianæ religioni aduersari, doctrinam verò, quam nostris sumus complexi Assertionibus, certissimis ipsius veritatis principiis inniti, multis, & grauibus argumentis probemus, Lutetiam aduolaturos pollicemur. Caluinus rebellis filius in Academiã matrem inuehitur.

MINISTER. pag. 97.

Etiam veni Domine IESV.

CATHOLICVS.

Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo, & doloso erue me. Psal. 42.1.

MINISTRI ANONYMI INIQVA EXPOSTVLATIO, EIVSQVE nouę contra veritatem rationes, futiles esse paucis verbis demonstrantur.

CAPVT XL.

EA est mentis humanæ imbecillitas, vt cùm semel à recta religionis via declinare cœperit, nullum faciat errandi finé: nihilque sit tam absurdũ, quod pro veritate non colat, & amplectatur: vt mirari nemo debeat, si, qui nostra, Patrúmque nostrorum memoria, in rebus, suo iudicio exiguis, turpiter hallucinati sunt, prima fidei nostræ principia debellare tandem non erubuerint. Nullus siquidem tam paruus est error, cui si non quamprimùm occurratur, temporis progressu non crescat in immensum, pestiferósque, magno mortalium damno, fructus producat. Quòd ergo tu Caluini Minister, omni abiecto pudore, perniciosos errores mordicus teneas, noménque nostrum contumeliis lacerare non cesses, nobis (qui Sectæ vestræ mores planè cognoscimus) nouum nòn videtur. Euolueram illud tuum aliquot paginarum volumen, ac tibi, ne de tuis nugis insolenter, vt facis, gloriari posses, copiosè respondere cœperam, cùm ecce nobis affertur illius libri Summa, & ἀνακεφαλαιώσεις, vbi si quid noui fuerit, paucis iam (propitio Iesu Christo) à me dissoluetur. Non est igitur quòd asseras te nouam accepisse à nobis *Scytalem:* Apertam enim, & claram fidei Christianæ doctrinam, nullis verborum inuolucris proposuimus: Nisi dicas te tuæ ignorãtiæ conscium, tristitia non mediocriter affectum fuisse, cùm primùm ad te allatæ sunt Theses nostræ: quod ego facilè mihi persuadeo, téque sic à nobis accepisse ἀχνυμένην σκυτάλην non inficior. Ast quid te mouit Minister, vt quasi de nobis triumphans, prouerbium *Cramben bis coctam*, à nobis semel vsurpatum toties repeteres? Nonne in re simili, imò eadem penitus, illud idem tu ipse vsurpasti? *pag. 80. Responsionis, versu 11.* Quem ad locum nos, dedita opera, allusisse tibi debebas persuadere. Accedit quòd tui vnius causa repetitionem earundé Theologicarum propositionũ, quasi δὶς κράμβην vocauerimus, quas certò scimus tibi, tuique similibus verè esse θάνατον, ἢ τῶν παραδόξων ὑμετέρων ὡς ἀληθῶς σταυρόν; Sed Catholici eas sanè δὶς καὶ τρὶς τὰ καλὰ semper iudicant cùm vestris nugis nos inuictam veritaté veluti murũ æneum χθιζά τε καὶ πρωϊζά vident opponere. Quòd autem nihil noui in Thesibus nostris fuisse scribis: qui veterem fidem colimus, Religionis nouitatem repudiamus. Idem prorsus hoc, quod superiore anno inculcauimus, vt abiecta omni larua te in apertum campum pertraheremus, vbi quid posses, ab omnibus facilè cognosceretur. At falsi sumus: Quinque enim diebus (quibus in Theologia,

Pag. 2. Minister dolet cũ Theses accipit.

Cur Turnonij vsi sunt adagio, *Crambe bis cocta.*

Cur easdem assertiones iterum proposuerint.

Theologia,& Philosophia disputatum est) sedes tibi parata, vacua, & inanis remansit. Initio illius primi libri tui, certissimam nobis tui ad Academiam nostram aduētus, expectationē commoueras, postea te fidem fallere non puduit. Venit quidem ad nos Valentia, & Disputationibus nostris interfuit Camillus nescio quis Patauinus, in grege vestro non vltimus, nullis tamen precibus adduci potuit, vt vel vnum verbum pro causa vestra miserè deserta, siue publicè, siue priuatim faceret. Expectabat fortè Ioannis Serrani aduentum: qui sibi diffidens, verbosas ad Clarissimum Dominum Turnonium eiusdem prorsus, cum tua Expostulatione, argumenti, dedit litteras: quæ Nemausi 8. Cal. Oct. scriptæ, Cal. Turnonum perlatæ sunt. Atque ne in Michaëlitiis Disputationibus vestra intoleranda vanitas, ab Academiæ Doctoribus irridenda, frequentissimo hominum doctissimorum consessui proponeretur, haud dubiè de industria factum est, vt tardius in manus nostras iocularis ille vestrarum Ecclesiarum libellus perueniret. Quod autem scripsit Serranus, à vobis libellum vestrum quatridui spatio fuisse compositum, non miramur, cùm nihil doctrinæ penitus, sed inanem tantùm alterius repetitionem contineat. Certè si Turnoni Typographum, vel sicut vos, Ærarium habuissemus, iampridem tuis nugis fuisset responsum. Quod prætereà subiungis nos Auditoribus nostris, ne *Responsionem* vestram legerent interdixisse, mera est calumnia, cùm nos vnicum (idque opera Ioannis Primasij Turnonij I. C. prudentissimi) exemplar hactenus habere potuerimus. Imò Gilbertus Caronæus Anonensis, Medicus nobilissimus (qui vnà cum duobus fratribus suis Ludouico grauissimo Theologo, & Claudio Medico singulari, non modò hominum corporibus, sed animis etiā medetur, dum Catholicam religionem aduersus Caluinianos Ministros tuetur) Academiæ nostræ Rectori dixit se à Serrano tantùm, non aliundè, nec prece, nec pretio librum illum tuum habere vnquam potuisse. Cæterum nemo nostrûm est, Minister, qui contra Caluini errores *inoletū* (vt tu nugaris) *tueatur mendaciū, sed* περὶ ἀληθείας, ἐξ ἀληθείας *μεταχειριζόμεθα*. Neq; vllum extat *prostituti puderis nostri monumentum*, vt tu pro tua Caluiniana modestia loqueris. Nō legisti in Academiæ nostrę Epistola *Solam propositionum nostrarum elegantiam vobis minus probari.* Da operā Grammatico, qui te Latinæ linguæ nitorem doceat, vt quæ à viris eloquentibus scripta sunt, possis intelligere.

Quæris deinde, *num nostri Gymnasij angustias omnium Academiarum Latefundiis antepenamus?* Vis tibi paucis respondeam? Christianas omnes Academias magni facimus, earúmque nulli nostram præferimus: Caluinianas verò Scholas, parui sanè pendere solemus. *A nobis ad omnium Academiarum indicia, vos prouocare scribis.* Quam tuam prouocationem lubenter admittimus, ac Parisiensis Academiæ (in qua multi nostrûm, qui nunc Turnoni docent, magno Audito-

Fraus Ministrorum.

La bourse commune des Caluinistes faict tout.

Pag. 4.

Ministri calumnia.

Pag. 5.

tum concursu, Philosophiam, & litteras humaniores professi sunt) iudicio nos parituros æquo animo pollicemur. Cæterum Serranus in Epistola ad nobilissimum Dominum Turnonium, receptum in celeberrimis Academiis disputandi morem non obscurè contemnit, scribens eum nihil esse aliud, nisi (vt verbis eius vtar) *Debatre à la Pedantesque*. Si tibi Turnonium, quod appellas, Imperium displicet, instituatur Valentiæ disputatio. Nos nullum recusabimus laborem, modò Christi Ecclesiæ prosimus. Ac de inani vestra Expostulatione plura iam dicere superuacaneum esse iudico: Nostrū enim erat de vobis conqueri, qui temerè Assertiones nostras cùm eminus exagitare tentaueritis, cominus nobiscum quasi ῥιψάσπιδες recusaueritis confligere. Verùm libellis insulsè, & petulanter scriptis, ignauiæ, & timiditatis vestræ indignas viris doctis excusationes vos afferre non puduit. Atque hanc esse causam facilè mihi persuadeo, quæ te mouit Minister, vt aduersus nos ex insidiis, non palàm, & aperto marte (vt dicitur) agere volueris, nomen libellis non inscribens, sed Academiæ, quam vocas commenta tua, attribuens: Exemplo fortè Caluini, qui initio, *Alcuini* sibi sumpsit nomen, vt simplices minore negotio falleret, παιδοτρίβην suum Buccerum imitatus, qui *Aretius Felinus* vocari voluit. Ac ne rem incertam tibi affirmare videar, accipe primam Institutionum illius ὄπωγετὶν, *Institutio Christianæ religionis nunc verè demùm suo titulo respondens, Auctore Alcuino. Argentorati apud Vvendelinum Richelium, mense Augusto, anno 1539.* Atque vt Lector Alcuinum ad Carolū Magnum scripsisse crederet, Epistolam suam ad hunc modum inscripsit: *Potentissimo, illustrissimoq́ Monarchæ, Magno Francorum Regi, Principi ac Domino suo Alcuinus*: Si ἀναγραμματίζεσθαι voluit, verius certè dixisset, *Lucianus*. Sic & Bucerus: *Clarissimo*, inquit, *ac Pientissimo Principi Francisco Valesio Christianissimi Galliarum Regis primogenito, & Delphino, Aretius Felinus salutem precatur*. Ita de la Roche Chandiou, In *Sadeelem* Hebraicum nomen suum mutauit. Idem fecerunt & alij complures in quos rectè cōuenit præclara illa D. Ambrosij oratio, qua Auxentij, ob nominis sui mutationem, perfidiam notauit. *Auxentius ait, ne cognosceretur quis esset, mutauit sibi vocabulum, vt quia hic fuerat Auxentius Episcopus Arrianus, ad decipiendam plebem, quam ille tenuerat, vocauit se Mercurium. Mutauit ergo vocabulum, sed perfidiam non mutauit: exuit lupum, & induit lupum.* Si reliquas Compendij tui delyrationes excutere tentarem, ridiculus haberi possem: cùm ingens illud tuum ineptiarum volumen, accuratè iam refutarim: Vbi ergo quàm leuiter sis in logicis exercitatus, quámque ineptè tuam inscitiam tuearis obiter docuero, huic meo labori finem faciam.

Serranus disput scholasticas aspernatur.

Ministri. *Hastam abiiciunt. prouer. 81. chil. 1. cent. 9. prouerb. 97. chil. 2. cent. 2.*

Hæretici nomina sua ementiūtur, vt incautos faciliùs decipiant.

Caluinus *Lucianus* dicitur.

Sadeel Pseudonymus.

Ambros. in orat. in Auxentiū de non tradendis Basilicis.

MINISTER. pag. 10.

Viderint Iesuitæ Turnonij quid rerum agant, quum asserunt, verum Christi corpus in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento contineri. Affirmamus

mamus enim illud dogma esse prorsus inconueniens & incompatibile (vt puris putisque ipsorum verbis vtamur) cum doctrina Transsubstantiationis &c. Pura putáque Ministri calumnia.

CATHOLICVS.

Tu nostris verbis non vteris, cùm inquinatè & barbarè quicquid in buccam venit effutis. Vbi enim in Thesibus nostris legisti *inconueniens*, & *incompatibile*? Nos prætetea negamus has duas propositiones, *Christi Domini corpus in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento cōtinetur:* &, *Panis in verum Christi corpus transsubstantiatur*, Pag. 13. inter se pugnare, aut (vt tu Caluini Minister loqueris) *esse inter se disparatas, atque contradictorias.* Neque apud vllum Catholicum Scriptorem inuenisti, quod tu malitiosè nobis affingis, *Panem in Christi sanguinem transsubstantiari*: Panem enim in Christi corpus, & vinum in eiusdem sanguinem, verborum virtute, transsubstantiari profitemur.

MINISTER. pag. 10.

Primus Syllogismus. Qui Transsubstantiationis doctrinam euertit, is Romanæ Ecclesiæ autoritatem euertit: Atqui, Iesuitæ Turnonij, nouo illo suo dogmate quo statuunt verum corpus Christi in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento contineri, penitus euertunt doctrinam Transsubstantiationis. Ergo & Romanæ Ecclesiæ autoritatem pessumdant.

CATHOLICVS.

Transsubstantiationis doctrina à Christo Domino, cùm tradita sit, nulla potest impietatis machina euerti. Perspicua siquidem est illa Christi Domini oratio, *Hoc est corpus meum*, quam omnes Hæretici omnium suarum opinionum monstris, & portentis, nunquam Matt. 26. 26. obscurare poterunt. Et quamuis Lutherus auus tuus, Catholicam de Transsubstantiatione doctrinam probare noluerit, ac lubenter præsentiam corporis Christi, in venerando Eucharistiæ Sacramento negasset, tamen verborum Domini perspicuitate conuictus, scripsit, *Hoc diffiteri non possum, nec volo, quod si Carolstadius, aut alius quispiam ante quinquennium mihi persuadere potuisset in Sacramēto præter panem, & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi deuinctū reddidisset. Grauibus enim curis anxius, in hac excutienda materia multùm desudabam, omnibus neruis extensis me extricare, & expedire conatus sum, cùm probè perspiciebam, hac re Papatus cùm primis me valdè incommodare posse. Verùm ego me captum video, nulla elabendi via relicta. Textus enim Euangelij nimis apertus est, & potens, qui facilè conuelli non potest, multò minus verbis, aut glossis è capite vertiginoso confictis subuerti.* Doctrinam verò quam Ecclesia Romana de panis, & vini Transsubstantiatiōne tradit, amplectimur: & tantùm abest vt euertamus, vt eam contra tuas calumnias tueri, ac defendere ad extremum vitæ spiritum nunquam desistemus.

Lutherus in epist. ad Argentinenses.

Cōsecrationis verba clara fuat Lutheri iudicio.

MINI

MINISTER. pag. 10.

Secundus Syllogiſmus, quo probatur aſſumptio. 2. Genuina Tranſſubſtantiationis doctrina eſt, panem & vinum Euchariſtiæ Tranſſubſtantiari, id eſt, in verum Chriſti corpus, & ſanguinem realiter, ſenſualiter, & eſſentialiter conuerti, vt non amplius ibi ſit ſubſtantia panis, & vini, ſed noua ſubſtantia corporis Chriſti, quod in veritate manibus Sacerdotum tractetur, frangatur, fidelium dentibus atteratur, & in ventrem demittatur, &c. ac proinde panem Sacramenti, & verum Chriſti corpus idem planè eſſe vniuocè, & identicè. Atqui dicere verum Chriſti corpus in ſancto Euchariſtiæ Sacramento contineri, huiuſmodi doctrinæ ex diametro & contradictoriè repugnat. Illam igitur euertit: quum duæ contradictoria non poſſint eſſe ſimul vera.

CATHOLICVS.

In tuo ſecundo (quem vocas) Syllogiſmo, non potuiſti Miniſter, ſine calumniis tuam *inſtantiam* probare. Tranſſubſtantiationis ergo nomine, Chriſti Eccleſia intelligit, *conuerſionem totius ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini, in ſubſtantiam ſanguinis eius.* Relege ſi vis. Berengarij παλινῳδίαν, quam in tua *Reſponſione* attuliſti, atque vtrum fideliter eam deſcripſeris, tecum ipſe cogita. Explica nobis interim quid ſit *eſſentialiter conuerti:* Quam item dicas *nouam ſubſtantiam corporis Chriſti.* Nō eſt enim noua, ſed ea ipſa, quam ex B. Virgine iam olim accepit. Quomodo denique intelligas, *panem Sacramenti, & verum Chriſti corpus idem planè eſſe vniuocè, & identicè?* Cùm ex noſtra ſententia, ibi non amplius eſſe ſubſtātiam panis verè dixeris. Qui porrò, aſſerit, verum Chriſti corpus in ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento contineri, contra veram Eccleſiæ Catholicæ de Tranſſubſtantiatione doctrinam non facit.

Concil. Trident. ſeſſ. 13. c. 4.

Pag. 64.

MINISTER. pag. 10.

Tertius Syllogiſmus. Maior per ſe probata eſt: ſic probatur Minor. 3: Relatorū ea natura eſt, vt id quod ſunt aliorū eſſe, aut ad aliud quoquomodo dicātur: atque adeò in mutua affectione tota inſint, diſtincti nimirū illis terminis A quo, & Ad quem circunſcripta: vt vnū idémque eſſe non poſſint. &c. Atqui continere & contineri, ſunt relata. ergo vnum idémque eadem ratione eſſe nullo modo poſſunt.

CATHOLICVS.

Aſſumptio, quam probare debueras, erat: *Verum Chriſti corpus in ſancto Euchariſtiæ Sacramento contineri, repugnat doctrinæ Tranſſubſtantiationis:* Tu verò, tuo 3. ſyllogiſmo concludis: *Continere, & contineri, vnum idémque eadem ratione eſſe nullo modo poſſe.* Cogor te ſæpius monere, vt Dialecticæ ſtudeas. Quæcunque ſine ordine de continere, & contineri effundis, accuratè ſuprà diſcuſsimus. De reliquo, Panis non eſt Chriſti corpus, ſed in Chriſti corpus mutatur: Quare neque identicè, neque vniuocè (vt tu ſomnias) de corpore

Pag. 281.

Chriſti

Christi prædicatur. Lege, quæ hac de re disputauimus, & tuis ineptiis modum aliquem fortasse constitues.

Venio ad nouam tuam Responsionem, qua *Exceptionem* (vt tu loqueris) nostram euertere conaris. Quod igitur ibi scripsisti, *totum Christum in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento verè adesse, & a fidelibus totum, non portionem panis, sed totum & integrum verè percipi*, orthodoxam de Transsubstantiatione doctrinā cõfirmare, octaua nostra Thesi anni 1583. asseueramus. Quam quidem subiiciam, vt Lector certiùs de tua Responsione iudicium ferre possit: *Si vt profitetur, qui Academia Nemausensis nomine, cum Thesibus nostris bellum suscepit, totus Christus in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento verè adest, & à fidelibus non portio panis, sed totus, & integer Christus verè percipitur, nullam planè reperire possumus causam, cur à Transsubstantiationis voce aduersarij nostri abhorreant, qui rem ipsam Transsubstantiationis vocabulo comprehensam, publico Scripto se confiteri, apud omnes testatum esse voluerunt.* Huic exceptioni, Caluinico more, respondes: Primùm nobis exprobras, *quòd prætermisso Dei Verbo, & Catholicæ Ecclesiæ doctrina (sicuti in orthodoxorum Patrum monumentis explicatur) longum valere iussa, toti in Scholasticorum disputationibus hereamus.* Deinde eadem, quæ in tua magna Responsione frequenter repetiisti, denuò inculcas. Nos Dei verbum non prætermisimus, vt tu nugaris, sed illud quotidie, ex Ecclesiæ Catholicæ sententia Auditoribus nostris, pro virili parte, explicamus. Cúmque illi, inanes prorsus esse Caluinianorum captiones, sed à quouis sine Præceptoris opera discuti non posse, existimarent, superiore anno Theologiam Scholasticam ita docuimus, vt disputationum subtilitatibus Caluinianæ fraudes fuerint ab omnibus deprehensæ, qui non exiguos in vtroque studij genere progressus fecerunt. Vos autem Nemausenses, quam Theologiam vestris exponatis, hactenus intelligere non potui. Apud nos (vt tu asseris.) *Is qui cadit à syllaba cadit à toto*, quare ne quis tibi fortè Caluinicū panem eripiat, ais vos, *non portionem panis, sed panem in sua Cœna sumere.* Quot fortasis in Cœnis vestris sunt conuiuæ, tot sunt & panes. Beza inter alios Cœnæ vestræ ritus, panis fractionem numerat, & qui vestris Cœnis interfuerunt, portionem panis populo dari constanter affirmant. An portio panis, posit panis appellari, Nemausensibus philosophis (si qui sint) disputandum relinquo. Item, si *totus, & integer Christus* (vt tu fateris) *id est, verus Deus, & verus homo adest in Sacramento.* necessariò concedes, aut corpus Christi Domini esse in Sacramento, aut verum hominem corpore carere, quod est absurdum.

Vt verò librū tuum augeres, ex nescio cuius Ραψῳδῶν locis communibus, quæ ad susceptam à te de Eucharistiæ Sacramento disputationem nihil omnino pertinent, describere tibi visum est. Vtquè

Pag. 12.

Pag. 16.

Beza in lib. quæst. & resp. de Sacram. q. 173.

Pag. 14. Minister Scholasticorum sententias describit, quæ ad rem nihil faciunt.

ſingularis eruditionis ſpecimen nobis dares tuæ, quæ Petrus Lomb. & D. Thom. ſummo ordine ſcripſerunt, tu ſic perturbaſti, vt qui in ipſorum ſcriptis exercitatus non fuerit, non ſine labore, quæ tu miſerè confudiſti, diſcernat. Et ne calumniari me iurè poſsis, quòd illorum verba ex tuo libro non deſcripſerim, Locos omnes indicabo ex quibus fortè, illa *conferruminata ſunt* (vt ſic tecũ loquar) quò Chriſtianus Lector nõ ex tuis ſenticetis, ſed ex grauiſsimorũ virorũ fontibus, quæ ad ſacram Theologiam explicandam conducunt, hauriat. Loci ergo ſunt, Lombard. 3. ſentent. diſt. 1. 5. 6. 7. Thom. 3. part. q. 2. artic. 2. q. 17. artic. 1. & 2. q. 57. artic. 1. 2. 3. Habes Miniſter, breuem tuarum calumniarum confutationem: quam vt patienter legas, ac veritatis ſtatera examines, vehementer cupio: Deúmque præpotentem boni omnis auctorem, & parentem rogare non deſinam, vt te, qui nunc in Caluini caſtris contra Chriſti Eccleſiam militas, diuino ſuo ſplendore illuſtret, quò Romanam fidem oraculis cœleſtibus comprobatã, & ſumma Gentium omnium conſenſione confirmatam (quam per ſummum ſcelus, Lutherus & Caluinus Magiſtri tui abiecerunt) contra hominum improbitatem, nobiſcum tueri, ac defendere valeas. Si quid prætereà in poſtremum mihi obiicere volueris, quæſo, vt nomen aſcribas tuum, quò facilius quicum mihi ſit negotium intelligam: Deinde, vt diligentius & meliore ſide Auctorum Locos notes, ſi tibi à me rurſum reſponderi velis.

MINISTER.

Etiam veni, Domine IESV.

CATHOLICVS.

Non nobis Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam. Pſal. 113.

INDEX

INDEX TVM RERVM TVM VERBORVM QVÆ IN HIS LIBRIS CONTINENTVR.

Minister

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO,

Primus numerus paginam ſignificat, ſecundus lineam.

Pag.65.lin.31.Naphesc. 54. תמימות 104.28.in Antuerpiēſi editione ſic legimus. אנת חו באפא ועל חרה באפא אבנית לערתי Ibidem. חרין pag.123.24. שחר pag.162.19. בתולת 204. תמונת pag. 266.8. רגלין

Quoniam hos libros Typographus Latinis characteribus nouis, Græcis autem longo vſu, & vetuſtate penè conſumptis edidit, factum eſt, vt hi breuiores illis non ſemper literas, vel accentus omnes expreſſerint: nullo tamen negotio quæcunque videntur deeſſe ſupplebit is, qui vel mediocriter in lingua Græca verſatus fuerit. Secunda editio erit, Deo benè iuuante, & amplior, & emendatior.

Fol. α. p.5. lin. 29. inter eius. β. p. 4. lin.28. ἀδύνατον. β. pag. 8. lin. 12. διδάσκει. γ. p.3. lin. 41. παρρησιαστικὴν. ὄντων. p.5. l.26. στηλιτευτικῆς λόγοις. p.8.lin.9. τὴν ἄνοιγειν. & lin.38. ἀπολυκώτερος.

Pagina 4. linea 42. ἀφ' ἁπαλῶν. 13.9. ἀπιστῶτον. 14.40. ἀόρατον. 26.13. πρεσβεῖον. 27.27. συμπρεσβύτερον. 30.25. αὐθάδης. 32.40. ἀρχαία. 41. ἐναντίῳ. 33.1. ἀναλφαβήτοις. 35.27. ὑστέρων. 36.37. ὁμωνυμίαν. 41.35. πυθαγορίζειν. 43.20. βιβαιοῦσιν. 56.24. ἄλλο. 61.38. παραλείψειν. 65.28. ἀνεκφώνητον. 72.8. ἱεροφαντῶν. 80.36. ἀλαζονείαν. 89.29. πασῶν. 90.31. ἑρμῆς. 90.4. συναρμολογία. 97.22. ἔλοικον. 101.15. ἄγραφοι. 40. ἀκελεύθηστι. 114.17. νυμφοστόλος. 22. ὑψηλότερον. 117.10. χωρῆσαι. 119.43. ἐρωτήματος. 122.25. ὁμηρικῶς. 138.14. ψιλῆς διδασκαλίας. 145.39. ψευδολογίας. 152.1. ὑμῶν ὁ θησαυρος. 156.12. παρέργως. 159.41. [illegible]στικὸν. 167.34. ἑβδομάδος. 185.38. ἀντίδικος. 194.23. ἀκίνητον. 196.14. ἐπιγραμματοποιοῖς. 200.28. μηδὲ. 203.22. δεισιδαιμονίας. 204.23. διλημμα. 35. ζόανον. 208.42. πληρωσιν. 219.10. Huius tuæ δεισιδαιμονίας. 233.42. σταυρὸν. 238.35. ἀλάστωρ. δυσσεβὴς. 240.16. εὐφήμει. 247.10. τῆς. 249.30. ἄνευ. 251.11. μεταμόρφωσις. 253. ἀμισον. 29. αἰσχρολόγος. 42. ἀκοινώνητον. 253.21. ἀζύμῳ. 254.14. ἑαυτῶν. 13. δικαιοσύνης. 13. ἀρχὴν. 14. διασκεδασθῆναι. 16. φησι. 16. [illegible]. 18. μορφὴν. 23. [illegible]. 23. ἢ ξοάνων. 24. λεγόντων. 256.18. μάτην [illegible]ζύμων. 257.41. πολυθεΐαν. 260.29. ξένος. 262.4. εἰδωλοποιΐα, εἰδωλοποιΐαι. 268.30. ἐστὶν. 31. ἅπαντα. 269.18. διότι ποιεῖ. 290.39. γελοίως. 319.35. ἵνα. 333.39. ἐγκυκλοπαιδεία. 341.33. μεταχειριζόμεθα.

* Pagina 5. lin.28. immodeſtiæ. 8.17. incuriam. 18.33. quas in. 35. ſuperſtitioni. 22.12. Phyſica interrogatione. 23.21. ctorem. 25.12. neget. 27.40. diſertius. 34.27. multos antè.

Pag. 38. lin. 37. intelligit. 49. 28. de Cornelio. 45.27. cum idem nobis. 49.6. incuria. 51. 15. *dele* sed 2. 56.37. cum semper nō. 58. 41. Præscriptis. 66. 23. *dele* hac. 68:26. iugulatum. 78. 20. continetur. 81. 24. probri. 82. 17. *in margine* Art. 27. 88. 26. hæc verba. 90.39. tannidis. Tuo. 91.39. Dædale. 93.25. de industria. 104.36. merito. 130.39. cum idem non sit. 133.21. *in margine* de vitiis hæret. 155.33. *dele* im. 166.33. Baptismi. 167. 28. in sinu. 41.13. *in margine*. Hebr. 5.6.9. 174.42. Cypriano ascripsisti. 178. 19. Librorum. 206.11. mortuorum. 222.22. D. Augustinum. 240. 14. iactare. 246.39. scripto. 248.40. Apostolicæ. 265.25. non vetari. 269. *in margine*. Plato lib. 3. de Rep. 288.2. mysteria ex sententia. 308.9. dict. 12. in dict. 315.35. Nec. 325.16. Vnum. 325.24. inscitia. 36. & 37. accipit. 333. 24. profiteris. 333.8. caussa. 334.25. videbis. 335. *in margine*. lib. 7. 336.39. Turnonæus. 346. 19. in posterum. 20. fide. 37.5. confictam. 44. 14. ignominiosum. 91.18. descissent. 176.38. *in margin*. Quirinum. 178. 40. in volumine. 219. 29. hominis. 247.23. *in marg.* Adoratio, cùm Imaginibus tribuitur. 253.1. Numæ. 264.20. præcideretur. 300.26. *Dele* cu. 305. 29. traditam. 310. 8. subijciam. 325. 36. Accipit. In Præfat. γ. pag. 3. lin. 8. euomeres. γ. pag. 8. lin. 16. pro tua. lin. 33. immutatis.

Cætera tu-ipse facilè corriges, vtpote quæ ex literarum prætermissione, adiectione, mutatione, vel transmutatione contigerunt: sic & κακόφατα quædam, Inuerso nonnihil dictionum ordine, emendabis: legésque non autem, *vbi*, & non, *repereris.*